Réimpression anastatique du N° 97 / *Syr.48* = Scriptores Syri, Series secunda. Tomus LVI, Versio. — *Iacobi Edesseni Hexaemeron seu in opus creationis libri septem.* Interpretatus est A. VASCHALDE. 1932.

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

Vol. 97

SCRIPTORES SYRI
TOMUS 48

IACOBI EDESSENI
HEXAEMERON
SEU
IN OPUS CREATIONIS LIBRI SEPTEM

INTERPRETATUS EST

A. VASCHALDE

LOUVAIN
IMPRIMERIE ORIENTALISTE
L. DURBECQ
1953

RÉIMPRESSION ANASTATIQUE

PRAEFATIO.

I. Fusiores commentarios in opus Creationis sex diebus absolutum, seu εἰς τὴν Ἑξαήμερον, ecclesiasti scriptores nonnulli, tum graeci tum latini, elaboraverunt. Eos vero imitati Syri. Huiusmodi libro conscribendo operam navabat Iacobus, episcopus Edessae [1], cum morte praereptus est die quinta mensis iunii A. D. 708.

Liber scriptus est per modum dialogi inter Iacobum magistrum et discipulum nomine Constantinum; sed fortasse fictitia est methodus. De hoc Constantino nihil scimus; nonnisi aliquot quaestiones proponit initio libri, et postea vix semel aut iterum nomen eius recurrit; solus Iacobus loquitur.

Opus septem tractatus complectitur. Primo, de creatione priore, intellectuali et incorporea, angelorum agitur; secundo, de creatione posteriore, corporali et materiali, quattuor elementorum quibus constant caeli, terra et quae in iis sunt; tertio, de terra in habitaculum hominis praeparata, et de maribus, insulis, fluminibus, montibus celebrioribus, de plantis quoque et de arboribus quas, iubente Deo, protulit; quarto, de luminibus, sole nempe, luna, stellis omnique exercitu caeli; quinto, de animalibus reptilibusque in aquis viventibus et de volucribus; sexto, de feris animalibusque rapacibus, et de reptilibus terrestribus. Tractatus denique septimus, a Georgio, Arabum scenitarum episcopo [2], post mortem auctoris absolutus, de homine loquitur, quem ad suam imaginem creavit Deus.

[1] Iacobi episcopi Edessae, inter monophysitas scriptores praeclari, vitam et opera breviter recitarunt W. Wright, R. Duval, A. Baumstark, in suis historiis rei litterariae Syrorum, et fusius C. KAYSER, *Die Canones Jacob's von Edessa*, p. 50-74 (Leipzig, 1886).

[2] Georgius, anno 686 in episcopum consecratus, mortuus est anno 724.

II. Eis quae de codicibus huius operis dicta sunt in Praefatione ad textum, addenda est notitia codicis Glascovi asservati quam vulgavit anno 1898, T.-H. Weir, (*Journal asiatique*, 9ᵉ sér., t. XII, p. 550). Librum Parisiis, anno 1636, descripit quidam Franciscus Maresius [ܡܪܝܣܝܘܣ] ad fidem, ut videtur, codicis Leidensis.

III. Bibliographia:

P. MARTIN, *L'Hexaméron de Jacques d'Édesse* (*Journal asiatique* 1888; 8ᵉ sér., t. XI p. 155-219, 401-440. Opusculum etiam seorsim cusum). Conspectus totius operius et excerpta nonnulla e codice Lugdunensi. — Cf. TH. NÖLDEKE, in ephem. *Litterarisches Centralblatt*, anno 1888, p. 1743; etiam J. DARMESTETER, *Revue des Études grecques*, 1889, p. 180-188.

Arthur HJELT, *Études sur l'Hexaméron de Jacques d'Édesse*, Helsingfors, 1892, in-8° 45-LXXX pag. Pars tractatus tertii quae ad geographiam pertinet cum interpretatione latina (hic, p. 77-101). — Eiusdem auctoris, *Pflanzennamen aus dem Hexaëmeron Jakobs's von Edessa* (in *Orientalische Studien Th. Nöldeke... gewidmet*, p. 571), Giessen, 1906.

V. RYSSEL, *Georg's des Araberbischofs Gedichte und Briefe*; Leipzig 1891. Pag. 130-138, versio germanica eorum quae Hexaemero addidit Georgius.

A. V.

VOLUMEN TRACTATUUM DE CREATIONE SEU INSTITUTIONE CREATURARUM, QUI COMPOSITI SUNT AMORE LABORIS A VENERABILI IACOBO, EPISCOPO EDESSAE. p. 2

TRACTATUS PRIMUS : De praevia creatione, intellectuali et incorporali, virtutum caelestium et angelicarum.

[CONSTANTINUS][1] : Sermonem quidem priorem, de causa prima et creatrice, aeterna scilicet et omnipotenti, quantum poterat vis naturalis intellegentiae nostrae, tuum fuit, magister, dicere, et mentis meae infirmae *fuit* audire et accipere et considerare; et etiam ex Libris sacris fuit illi *sermoni* materia ad demonstrandum. Ecce iam expositus est et explicatus mihi, et satis est de illo, sicut ego in meipso considero et existimo. Quia vero hoc confiteor me accepisse, rogo ut etiam sermonem de creatione quae ab illa *causa* ad existentiam adducta est, nunc suo loco et ordine mihi proferas et tradas ut, tum mihi tum aliis multis qui in eum inciderint, sit ad illuminationem et utilitatem temporibus futuris.

IACOBUS: Ut filius dilectus et heres, o philothee Constantine, fructus laborum paternorum, etsi parvi sunt, quaeris; quia scilicet gratum est veris liberis eorum tantum, quae a parentibus suis sibi obveniunt, quaerere hereditatem, qualiacumque et quantacumque habeant. Sed parentibus quoque, cum dilectione liberorum suorum multum detineantur, *gratum est* laborare opesque struere pro viribus suis, et saepe etiam praeter vires suas, ut relinquant eis in hereditatem post mortem suam facultates et fruitionem ad longum tempus post se. Quamobrem et ego, etsi humile et parvum est quod relinquam, quia, sicut scriptum est[2]: « Non debent liberi reponere thesauros parentibus, sed parentes decet liberis reponere thesauros » et hereditates legare, alacriter et prompte petitioni tuae adsto. Verumtamen, quia indefinitum et indistinctum erat verbum

[1] Discipulus Iacobi magistrum rogat. Vide Praefationem. — [2] II *Cor.*, XII, 14.

tuum de creatura quacumque a Deo creatore ad existentiam * p. 3 adducta, nec indicavit de quanam ex eis * velit audire, nempe utrum de sensibili an de intellectuali, decet te, ut prudentem qui novit verba sua iudicio regere, aperte dicere de quanam ex illis quaeras sermonem.

Constantinus: Ego quoque scio, o magister, et iudico et concedo iustum esse, ut ostendam de quanam ex illis interrogaverim; nam non est conveniens nec possibile sermonem communem simul et commixtum dari de illis indistincte. Sed hoc est quod primum quaero: sermo de creatura intellectuali, immateriali, spiritali et incorporali et proxima aliquo modo per similitudinem virtuti creatrici quae condidit eam; de ea tantum nunc volo audire.

Iacobus: Scito bene, o frater, amans sermonis, hunc sermonem difficiliorem et incomprehensibiliorem esse sermone de causa prima et creatrice, quia, etsi verbum tuum est de natura creata et non aeterna, tamen etiam ista invisibilis est et incomprehensibilis et supra scientiam et virtutem et captum omnium rationalium qui his tenebris et domibus luteis inclusi sunt. Quomodo ille, qui tenebris et luto inclusus est et circumscriptus et extra ea non potest adspicere nec recipere vel fulgorem parvum, rationem quaereret de lumine illo quod est longinquum nec tenebris participat, et de natura quae omnino expers est luti et corporis et omnis sensibilitatis quae est proprietas corporum? Quomodo enim exibit de luto et tenebris, quae circumdant mentem humanam quae est, ut ita dicam, vapor quidam et parvum effluvium mentis perfectae eorum qui nobis proponuntur tractandi, et audebit cogitatione sua capere et labiis suis lo- * p. 4 qui de mentibus * Deo similibus, et de luminibus secundis, imaginibus et similitudinibus accuratis primi illius luminis? Verumtamen, quia ecce iam semel datum est ei, propter petitionem fratrum qui volunt proficere et cupiunt audire ac discere, ut loqueretur etiam de illo a quo habent ut existant et sermone tractarentur, et *a quo* mens humana habet ut creetur et veniat ad existentiam et polleat virtute balbutiendi de eis quae sunt supra [vires] rationis suae, et ausa est aliquatenus balbutire de mente illa magna et prima, et [luce] aeterna et causa increata et creatrice omnium, quae est et vocatur Deus, nunc,

etiam de eis, qui sunt mentes creatae et secundae et radii luminis creatoris ipsorum, balbutiamus sermone quodam pro viribus nostris, tanquam de rationalibus et moderate, confidentes in virtute eius, prout etiam nos virtutem sermonis ab eo accepimus. Et quemadmodum in primo tractatu de causa prima, Deo, ipsam causam posuimus sermoni nostro velut fundamentum et initium, sic et in tractatu hoc secundo, qui est de secundis, eandem causam ponemus nobis roborantem atque adiuvantem tum ad incipiendum tum ad absolvendum.

Constantinus: Bene dixisti, et ego quoque assentior.

Iacobus: Deus aeternus et omnipotens et implens omnia erat et est semper, sine initio et sine causa, manens absque mutatione idem, et ita est in saecula et sine fine, dum ipse laetabatur solus in gloria et magnificentia sua ut vere unus et solus. Et quot spatiis temporis et intervallis aut quamdiu aut quamdudum, aut nescio quomodo et quid dicam, ita solus fuerit, unice gaudens et laetans et ornatus multitudine gloriae suae, non potest dici. Sed hoc * tantum licet dicere eum ita et in his (* p. 5) fuisse ab aeterno ac firmiter, sine initio et semper et in saecula. Quare autem manserit ita solus, nec creaverit creaturas laudantes quae magnitudinem gloriae ipsius mirarentur, cum semper esset et sit creator et omnipotens, ipse solus novit, et hoc remotius est a creaturis et operibus eius quam ut cogitent aut dicant. Cum autem placuit bonitati eius creare creationem, voluit; et, cum voluit, statim illico factum est opus et res quaedam per voluntatem eius stetit. Quod enim Deus velit aliquid existere, hoc est eius creatio et stabilimentum promptum ac sine mora. Ipse motus cogitationis eius ad aliquid, ut humano modo dicam, est rei transitus de nihilo ad existentiam. Sic voluit mens illa magna, prima et aeterna, et statim constitutae sunt mentes secundae ac creatae; sic movit se et splenduit lux illa inaccessa et invisibilis, et statim vocatae sunt ad existentiam luces illae secundae, radii primae lucis. Sic Verbum, Filius mentis illius genitricis, cogitavit, et absque mora, illico, inventi sunt constituti ac perfecti rationales secundi, imagines vivae et rationales exemplaris vivi et largitoris vitae, Verbi, creatoris sui; pulchritudines secundae quae similitudinem pulchritudinis illius primae, opificis sui, referunt; boni in creatione

sua et cupidi amantesque bonitatis; effigies bonae illius qui solus est vivens et largitor vitae, increatus, aeternus, immortalis et sempiternus; entia creata et effigies verae illius qui solus est Ens increatum; qui inceperunt sed finem non habebunt; sancti illius qui solus est sanctus; mundi illius qui solus est mundus; fortes illius qui solus est fortis; sapientes illius qui * p. 6 solus est sapiens; * lumina et luces splendentes illius qui solus est lumen et lux splendidissima et lucem inhabitat inaccessam; intellectuales qui intellectu tantum apprehenduntur; intellegentes qui mente tantum capiuntur; invisibiles qui cogitatione tantum subtiliter adspiciuntur; omnino insensibiles qui ratione tantum imaginarie videntur; immateriales et incorporales, sine forma, sine figura, sine quantitate, sine qualitate; simplices in natura, incompositi atque remoti ab omnibus quae corporibus insita sunt. Natura sua sunt quidem mutabiles tanquam creati, immutabiles autem et immortales ex parte gratiae quae ipsis data est a creatore suo, ita ut scilicet iidem sint immutabiles quidem in natura, mutabiles autem in voluntate si velint; leves, prompti et facile se moventes; sapientes, subtiles qui facile migrant et transeunt per se invicem et per naturas corporum crassas, nec secant ea nec secantur eis velut corpora, propter naturae suae tenuitatem et incorporalitatem et immaterialitatem. Non concluduntur in loco parvo et angusto, nec dilatantur nec extenduntur in spatioso, quia omnibus facile praesentes sunt propter levitatem et promptitudinem naturae suae, et ad omnes fines celeriter volant cum iubentur; et cum sint finiti natura et loco, non sunt simul eodem tempore in omni loco, sed transeunt per omnia prompte et subtiliter.

Ita se habet creatio illa prima, quam creavit Deus opifex, quae incepit et finem non habebit, creata et immortalis, intellectualis et incorporalis, similis Deo creatori suo quantum creaturae creatori possunt esse similes. De creatione quidem eorum et virtute eorum naturae, sermo pro viribus suis satis laudavit * p. 7 et manifestavit de eis quod * potest vocabulis humanis manifestari. De scientia vero eorum et operatione simili modo manifestabit sermo humanus illuminatus prout per ipsos radius subobscurus luminis cognitionis transit ad mentem humanam quae cum luto commixta est. Haec ergo tantum est scientia

stabilis et firma, cum libertate voluntaria et intellegenti quae in eis est, ut sciant se esse factos et creatos, et virtute mandatoque Dei opificis omnium ad existentiam venisse. Et sciunt et certum habent et confitentur hoc esse ipsis essentiam et vitam et subsistentiam naturae suae, quod ex splendore lucis eius, cum affulget eis, sit ipsis conservatio stabilis et firma, et securitas inconcussa quae essentiam ipsorum servat. Sciunt enim seorsum ab hoc vitam non esse essentiae eorum nec essentiam vitae eorum, nec facultatem subsistentiae eorum, nec subsistentiam naturae eorum; sed regimine providentiae eius et illuminatione bonitatis eius habent subsistentiam et permanentiam firmam, et propensionem constantem et inconcussam, et virtutem robustam et indeficientem ad hoc ut in splendorem lucis eius intuitum suum figant, ut ita dicam modo humano, et maneant immutabiles et firmi in glorificatione eius.

Haec igitur est scientia eorum. Operatio autem eorum et assiduum negotium est ut mandatum factoris sui adimpleant et nutui voluntatis eius ministrent; etenim scriptum et cantatum est eos esse potentes virtute, et adimplentes mandata eius, et ministros facientes voluntates eius[1]. Legati enim sunt, qui a Deo mittuntur ad ea quae vult propter eos qui hereditaturi sunt vitam[2]. Ideo constanter et prompte haec est eorum cura et desiderium et alacritas voluntatis, ut ita dicam, ut accipiant mandatum a nutu eius ad ipsos, ut audiant vocem * verborum eius sicut scriptum est[3], ut celeriter ac sine mora adimpleant ea quae iubentur. Hoc est opus mentium illarum caelestium, ministrorum mandatorum mentis illius magnae et creatricis, quae ex se ipsis nullo modo se movent ad quamcumque operationem, sive magnam sive parvam. Etenim propter suam inclinationem et promptitudinem ad obsequium Dei mandatoris, etsi libero arbitrio pollent, etsi sunt zelantes et alacres ad adimplenda quae recta sunt, etsi sunt bonae et cupidae boni et amantes virtutis, cum similes sint Deo factori suo, tamen ad ea tantum quae ab eo iubentur inclinant et semper respiciunt, et exspectant dum ea mystice ipsis proferantur per radium significativum qui lumine suo monstrat eis. Concordes enim

[1] Ps. CII, 20. — [2] Hebr., I, 14. — [3] Ps. CII, 20 (iuxta LXX).

sunt cum eo et secum invicem in uno consensu pacifico et indivisibili, quia non tantum unionem secundum naturam habent ad invicem, sed cum ea etiam unionem voluntatis et consensum cogitationis absque ulla contrarietate aut dubitatione. Ideo et hierarchiam, quae inter ipsas est, custodiunt ac servant, qua unaquaeque earum in ordine sibi constituto stat firmiter et sine confusione immobilis.

De scientia autem earum et operatione, secundum ea quae sermo ostendit, hactenus. Ordines vero earum et appellationes communes — nam particulares et proprias sicut inter homines non habent nec *eis* indigent — *eae* tantum sunt quae nobis traditae sunt verbis sacris et sanctis in libris inspiratis. Audivimus eos scriptos esse et vocatos Angelos, — nam ab his qui inferiores sunt et novissimi et apud nos, incipimus et gradatim ad primos et superiores adscendemus, — et Archangelos, ordinem secundum, * p. 9 * et Principatus et Postestates, et Thronos et Dominationes, et Virtutes, Cherubim et Seraphim. Hos autem novem ordines, qui cogniti et enumerati sunt, quidam ex sanctis, de mysteriis tractantibus, ordinaverunt atque distinxerunt in tria agmina, et dixerunt et statuerunt eos esse tres ecclesias seu praefecturas. Ultima quidem, quae apud nos est, est ecclesia Angelorum et Archangelorum et Principatuum; secunda et media est ecclesia Potestatum et Thronorum et Dominationum; prima autem et superior et propinquior revelationibus divinis et magis illuminata radiis ex splendoribus lucis et scientiae est ecclesia Virtutum et Cherubim et Seraphim.

Hi sunt ordines mentium illarum sanctarum, et haec est hierarchia in qua stant, et perficiunt quae nutu mandatoris ipsis manifestantur, ita ut primi accipiant radium egredientem ad se ex luce magna et mente prima, et doceant successive et radios scientiae tradant eis qui sunt post se quotiescumque et quomodo et quousque iubentur. Appellationes autem communes et comprehensivae et collectivae denotant ordines illos, qui supra positi sunt, propter necessitatem et caducitatem vocum et verborum nostrorum. Sapientes quidem Hebraeorum eos vocaverunt Angelos tanquam legatos et iussos; angeli enim appellantur legati qui mittuntur a principe ut mandatum perfi-

ciant; ideoque vocantur etiam Ministri pro angelis. Archangelos autem denominaverunt ordinem qui est supra istum et secundus, ex eadem indigentia sermonis humani; ex more illo nostro, quo in omnibus populis eos qui constituuntur duces multis vocamus duces decem, et duces quinquaginta, et duces centum, et duces millium, et duces myriadum, et duces agminum in bello, et duces exercituum, * Archangelos quidem dixerunt, secundum hoc quod apud nos dicimus «duces hominum». * f. 30 Rursus Principatus vocati sunt, tanquam de more nostro quo appellamus principatus insignes, universales scilicet et particulares. Et etiam Potestates, simili modo, iuxta morem nostrum, qui dicimus potestates diversas, magnas et parvas. Sedes autem seu Throni denominati sunt tanquam requiescere facientes et honorantes; sedes enim apud nos est requiei et honoris. Rursus Dominationes vocaverunt ordinem sextum, quia etiam nobis mos est ut dominos vocemus eos qui sunt in sublimitate potestatis et honoris; nam, ut ita dicam, ipso nomine Domini sui vocantur et ornantur ad gloriam et honorem; et etiam regii vocantur eodem modo ex nomine regni. Rursus Virtutes vocati sunt, sicut duces exercituum, forsan quod sint super multos, aut quia possident virtutem magnam et validam, et potentiam, et fortitudinem ex qua bene merito denominantur fortes et describuntur pollentes virtute, sicut Spiritus psallens nobis tradidit[1]. Rursus Cherubim appellaverunt voce hebraica ordinem illum sublimem et propinquum Deo, cum significare voluerunt magnitudinem scientiae et integritatem puram ac splendentem claritatis eorum, quae perfectior ac ditior est quam illa ceterorum ordinum qui sunt infra eos. Cherubim enim dicitur apud eos lingua hebraica inter corporalia, quae fabricantur cum arte et cura magna, illud quod valde imitatur et exsecutione perfecte refert typum similitudinis alicuius ex his naturalibus, sive in arte lignaria et sculptura in lignis et lapidibus, sive in picturis *et sculpturis in auro et argento et aere, sive in texturis artificiosis vestimentorum per iuga multa textoria et colores diversos, sicut verba de operibus Beseleel nos docent[2]. Item verisimile est Seraphim appel-

[1] *Ps.* CII, 20. — [2] Cf. *Ex.*, XXXVI, 1.

latos esse sermone hebraico, quia existimati sunt a sapientibus spiritus esse magis ardentes et urentes et destructores omnis malae materiae, ad instar substantiae primae, et lucidiores et splendentiores quam ceteri ordines qui sunt post ipsos, et quia possunt illuminare et mundare alios propter maiorem et ditiorem illuminationem quam primi recipiunt ex luce magna et prima; propter hoc forsan scriptum est quod Seraphim calculum de altari tulit et ori Isaiae admovit[1].

Hae sunt appellationes communes agminum illorum; haec tantum nomina audivimus eis inducta esse in Scripturis divinis, et haec tantum firmiter tenere et usurpare debemus. Aliquando autem quidam ex sanctis inspiratis « animalia » appellaverunt unum de ordinibus, forsitan quia in similitudine animalium visi sunt eis[2]. Item et alium ordinem vocaverunt « seniores », quia visu corporali manifestati sunt ipsis ut senes, sicut Iohannes theologus in revelatione sibi facta nobis tradidit, dicens[3]:« Viginti quattuor seniores ». Rursus, omnes simul communiter appellantur nomine collectivo et generali « angeli »; item omnes simul communiter vocantur « exercitus », tanquam ex more et nomine exercituum qui ministrant et adhaerent regibus terrenis. Dicuntur virtutes caelestes[4], et virtutes regis caelestis, et militiae caelestes[5] et spiritales et im-
* p. 12 materiales, ut distinguantur ab illis * terrenis et corporalibus; virtutes spiritales et incorporales, spiritus intellectuales, coetus sancti ministrorum mundorum et splendentium divinitatis creatricis et curatricis et gubernatricis omnium. His omnibus appellationibus communibus vocantur et appellantur in Scripturis sanctis tanquam de more nostro, sicut prius dictum est, quia mens humana et sermo alia nomina convenientia excogitare illis non poterant nec appellationibus eorum imponere.

De eorum quidem ordinibus et appellationibus Spiritus haec omnia nobis tradidit; de multitudine autem et ineffabili numero eorum, sicut et de stellis quae non numerantur, consilium iniit ad rationem humanam accommodatum et dixit[6]: « Nu-

[1] Cf. Is., VI, 6. — [2] Cf. Ez., I; *Apoc.*, IV. — [3] Cf. *Apoc.*, IV, 4. — [4] Cf. Luc., II, 13. — [5] Cf. *Apoc.*, XIX, 14. — [6] *Ps.* CXLVI, 4.

meravit numero stellas et omnibus eis vocavit nomina », dum non numerantur nec vocantur nominibus. Et dicit[1] numerum eorum esse millia millium et myriades myriadum, dum sunt multo numerosiores quam dicit; quoniam per hoc indicare vult incomprehensibilitatem eorum, nam non erat in more nec in usu sermonis humani indicatio numeri altioris et maioris et superioris quam ei qui positi sunt[2]. Homines enim cuiuslibet populi aut linguae in toto hoc mundo non possunt adhibere maiorem et altiorem numerum quam hunc « myriades myriadum », quamtumvis alias inventiones et nomina numerorum excogitent.

De creatione vero et natura mentium illarum caelestium et spiritalium et incorporalium, et de earum scientia et operatione, et de earum ordinibus et hierarchia et appellationibus communibus, et de multitudine numeri earum incomprehensibili, satis declaravit sermo pro viribus nostris; et meum est dicere, et tuum est audire ac recipere. Quia vero ratio * etiam *p. 13 modum liberi arbitrii voluntatis earum scrutari vult, utrum sit omnino mutabilis an immutabilis, in eo paulum immorabimur, amore laboris propter maiorem amorem disciplinae ac utilitatem. Volebam quidem, propter inclinationem et firmitatem voluntatis earum erga Deum, dicere eas perfecte immutabiles et immobiles, ut in natura scilicet sic etiam in voluntate. et omnino non propensas ad declinandum ab intuitu in factorem suum; cito autem discedam et ego ab hac sententia, ut dicam eas facile mutabiles et propensas ad declinandum, quia liberam habent voluntatem se movendi ad quodcumque volunt. et quia unus ex eis cecidit et factus est mutabilis, et declinavit de statu suo, et factus est adversarius et rebellis in Deum factorem suum, propter quod vocatus est etiam Satanas, voce hebraica. Iste enim, cum considerasset et intuitus esset magnitudinem et splendorem naturae suae, et fortitudinem et celeritatem et acumen habitus sui, quia, sicut de eo dicit Scriptura sacra[3], cum Cherub obumbrante et ministrante creatus fuerat in monte sancto Dei et fulgebat de medio lapidum ignito-

[1] Cf. Dan., vii, 10. — [2] Cf. Cyrillus Hieros., *Catech.* xv, n. 24. — [3] Cf. Ez., xxviii, 16.

rum et velut stella matutina splendebat et lucebat inter omnes stellas rationales, quae lucem divinam recipiunt, superbia et arrogantia aegrotans in voluntate, cum mente rebelli et Deo adversaria, dicebat: Quis est sicut ego et quis est deus similis mihi? Quis est aequalis mihi honore et virtute? aut quis est deus alius praeter me? Et cum cor eius se exaltaret super pulchritudine et scientia, rebellionem et superbiam cogitans dicebat[1]: « In caelum conscendam et super stellas caeli ponam thronum meum, et adscendam super nubes et ero similis Altissimo ». Cum autem haec cogitaret et voluntarie diceret, * p. 14 * et inventa esset in eo iniquitas et rebellio in Deum creatorem suum, corrupta est pulchritudo cum scientia eius et detrusus est de monte Dei, et eiectus est de medio lapidum ignitorum propter magnitudinem iniquitatis eius, et factus est tenebrosus, et privatus est contemplatione angelica et receptione lucis scientiaeque divinae, et proiectus est in terram tanquam rebellis et adversarius Dei, et vocatus est Satanas et Malus. Igitur propter istius casum et mutationem de luce in tenebras, et conversionem de bonitate in malitiam et de servitio Dei in rebellionem et oppositionem contra eum, has *mentes* dicere volo et statuere declinabiles et mobiles voluntate, fortasse autem etiam natura, nam unus tantum est perfectus in omnibus et semper immutabilis in natura. Hic enim, quia est et non incepit, non habet mutabilitatem in natura sua; illae autem, quae inceperunt esse, etiam mutationis capaces sunt. Cum autem ratio hanc conclusionem necessariam considerat, statuere vult eas esse mutabiles in natura sua, tanquam creaturas. Cum vero vidissent casum illius et tenebras et ignorantiam ad quas damnatus fuit propter suam mutationem et rebellionem, factae sunt firmae et stabiles et prudentiores. Solet enim id accidere etiam in eis quae apud nos fiunt, ut timore illius qui castigatur, multi emendentur et corrigantur. Non mutabiles itaque et mobiles dicamus eas, sed id quod contrarium est, immutabiles quidem et immobiles et haud propensas ad declinandum, vel id quod accuratius et verius est dicamus, in quo non est praeiudicium nec contradictio, *nempe* eas iam non facile moveri aut induci ut

[1] Is., XIV, 13-14.

voluntate deficiant a firmitate et intentione intuitus sui * in lucem ordinatoris et creatoris sui, illuminatoris scilicet et gubernatoris et custodis. * f. 15

De modo liberi arbitrii voluntatis earum hactenus. Ratio vero investigans, praeter haec omnia, etiam scrutatur et quaerit explorare quid ex istis factum sit: Utrum statim cum creatione sua Satanas rebellis consideravit et intuitus est magnitudinem naturae suae, et intuitum suum a contemplatione creatoris sui avertit, et aegrotavit superbia, et rebellavit et obscuratus est, et factus est alienus a Deo et ordine suo, an longo tempore post creationem suam hoc passus est? Utrum diu mansit in statu et ordine angelico et in illuminatione divina, an statim ab initio mutatus est atque cecidit? Et dicimus id absconditum esse nobis et esse supra cognitionem naturae humanae; et in ea, quae supra nos sunt, non oportet ut quaeramus prorumpere; puto autem neque eas ipsas, eas *naturas* dico de quibus est sermo, hanc scientiam perfecte habere. Etenim si tempora et momenta, quae pertinent ad conversationem et institutionem vitae generis humani, et mensurantur ac moderantur revolutione et cursu solis, Pater in sola sua potestate posuit[1] et cognitionem et quantitatem eorum celavit etiam mentes illas splendentes, quomodo possemus confidenter dicere eas habere cognitionem quantitatis et spatii temporis quo ille cum ipsis perduravit priusquam Deus factor creationem hanc sensibilem crearet? Ideo dicimus nos non posse apprehendere nec dicere tempus illud a creatione earum usque ad casum illius, neque spatium temporis a casu rebellis usque ad tempus quo placuit factori creare creationem hanc visibilem et hominem. Moyses enim, cognitor secretorum creatoris, ne uno quidem verbo, * sive magno sive parvo, mentionem fecit creationis illius * f. 16
intellectualis. Verba autem sancta Spiritus, qui omnia novit, quae sunt in ceteris sacris libris, nobis tradiderunt mentes illas sanctas, immateriales et incorporales, esse creatas atque factas; quandonam autem creatae fuerint aut quam priores sint creatione hac corporali, nobis nullo modo indicaverunt, ita ut igitur non deceat nos haec scrutari aut quaerere. Etenim non

[1] Cf. *Act.*, I, 7.

omnia sunt nostri nec ipsorum angelorum Deo similium, sed ipsius Dei solius; abscondita enim sunt Dei, sicut dicunt verba sancta Scripturae a Spiritu inspiratae; manifesta autem sunt nostri et filiorum nostrorum et totius naturae humanae[1].

Proponatur autem, praeter ea quae investigata sunt, etiam illud: Quae sunt ea de quibus cecidit iste qui eiectus est et separatus a statu et ordine angelico, et quae sunt ea quae *ceteri* adhuc habent amplius quam iste et in eo nullo modo inveniuntur? Illi semper habent quod recipiant radium lucis divinae et contemplationis et cognitionis quae ex eo est, quod gaudeant in felicitate glorificationis magnificentiae eius, et quod nostra videant; iste autem eis spoliatus est et nescit videre ullum ex eis nec in eis participare a tempore quo obscuratus fuit, nec cognoscere nostra praeter ea quae impigritia sua et visionibus repraesentativis conatur scire et apprehendere ex cogitationibus nostris; nam ex nobis ipsis causas significativas prius accipit, aut ex eis quae tempore priore ipse in nobis seminavit, et sibi fingit fructus eorum videre et invenire secundum exspectationem voluntatis suae. Illa sunt illorum, haec autem istius, quantum ratio infirma ostendere potuit.

Haec sunt tibi, o fili dilecte et amans veritatis, ex sermone * p. 17 nostro imperfecto et paupere, * de creatione et natura mentium illarum creatarum, similitudinum mentis magnae et primae, et de earum scientia et operatione, et de earum ordinibus et hierarchia et ministerio, et de earum virtute et celeritate, et de earum illuminatione quae est ex luce eius magna et prima, et de firmitate et stabilitate status earum, et inclinatione et constantia intuitus earum in factorem suum.

Constantinus: Quae ex sermone tuo sunt accepi et habeo, et confiteor satis esse de eis; quae autem ex Scripturis sacris et a Spiritu inspiratis proferuntur et scribuntur de illis, cupio ut hic prope verba tua ponantur et explicentur et aperiantur mihi, ut sensum eorum intellegam, adiuvante sermone tuo, magister et dux mentis meae infirmae.

Iacobus: Id etiam, Deo me adiuvante, faciam secundum pla-

[1] Cf. *Deut.*, xxix, 29.

citum tuum et pro viribus meis, et iuxta ordinem ipsorum librorum divinorum verba, unum post aliud, consequenter ponam, et distinguam et clare indicabo quae sint propria illis immutabilibus et sanctis, et quae sint istius mutabilis et corrupti, seorsim, sicut et in Scriptura sacra a Spiritu inspirata distinguuntur et cognoscuntur.

In libro quidem sancto Moysis, Spiritus scriptor, cum de creatione mentium illarum sanctarum ne unum quidem verbum fecerit, narrat de illo rebelli et malo qui cecidit eumque vocat serpentem propter malitiam eius, in sermone allegorico de Paradiso, et sic dicit[1]: « Serpens autem erat multo callidior omnibus animalibus quae super terram, quae fecerat Dominus Deus. Et dixit serpens mulieri: Verene dixit Deus ut non comederetis de omnibus arboribus quae sunt in Paradiso? Et dixit mulier serpenti: De omnibus fructibus arborum quae sunt in Paradiso comedimus; at de fructu * arboris illius, quae est * p. 18 in medio Paradisi, dixit Deus: Non comedetis de ea neque accedetis ad eam ne moriamini. Et dixit serpens mulieri: Nequaquam moriemini, sed quia noverat Deus quod, qua die comederetis de ea, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii, scientes bonum et malum ». Hisce verbis memoravit Scriptura sancta illum qui creatus fuit bonus, sicut omnes mentes illae bonae, ministrantes Deo, sed voluntate sua factus est malus et adversarius Dei, propter quod vocatus est etiam sɐuɐʇɐS[2]; et ostendit per ea multitudinem malitiae eius, et arrogantiam in Deum, et invidiam in hominem, propter quod appellatur etiam calumniator et invidus et inimicus hominum; et propter hoc eum denominavit nomine serpentis, et bene merito ac congruenter. Etenim, si homines rationales, qui ad imaginem Dei facti dignitatem suam non intellexerunt, iumentis irrationalibus comparati sunt et assimilati[3], merito ille, qui creatus fuit bonus et factus est malus voluntate sua, denominatus est nomine serpentis, qui peior est et astutior et nocentior cunctis animalibus quae sunt super terram; callidus, ut astutus et deceptor; malus, quia factus est accusator contra Deum; nocivus et interfector hominum, quia invidit eis et seduxit eos fecitque

[1] *Gen.*, III, 1-5. — [2] Sic in cod., in signum contemptus. — [3] Cf. *Ps.* XLVIII, 13.

ut de felicitate deliciarum, quae fuit in Paradiso, caderent.

Rursus in eodem Moysis libro scriptum est[1]: « Cum progrederetur Iacob in Ḥarran, vidit scalam in somnio suo stantem in terra illa, et culmen eius pertingebat ad caelum, et angeli Dei adscendebant et descendebant per eam, et Dominus incumbebat super eam ». His verbis id quod futurum erat in oeconomia Christi prophetice ac mystice praesignificavit, quod quidem typice figuravit per visionem somnii et ostendit ad ho-
* p. 19 norem[2] * incarnationis et inhumanationis Dei, cum descendet et revelabitur super terram, nonnullos[3] ex exercitibus sanctis angelorum fore ministros et annuntiatores tum hominibus tum sibi invicem, tum in descensu eius, tum in eius ascensione. Cum autem adscenderet Iacob de Ḥarran et esset ipsi pavor et timor magnus ab Esau fratre eius, dicit Scriptura sancta[4]: « Elevavit oculos suos Iacob et vidit castra Dei applicantia, et occurrerunt ei angeli Dei. Et dixit Iacob, cum vidisset eos: Castra Dei sunt haec, et vocavit nomen loci illius Mahanaim ». Per ea quae vidit Iacob Deus ei ostendere voluit ut non timeret ab Esau fratre suo quia, quemadmodum per David cantat[5], « cohors angelorum Domini circumdat timentes eum », et reliqua, [6]et eripit eos a malis[6]. Et Iacob, cum haec vidisset et cognovisset certiorque evasisset, Castra Dei appellavit locum illum, quia velut castra multorum exercituum illic vidit exercitus angelorum sanctorum qui ipsum circumdabant; et ecce hodie usque Hebraei illum locum appellant Mahanaim, et in eo filii Israel civitatem illustrem, fortem et insignem aedificaverunt, in quam David se recepit cum fugeret coram Absalom, filio suo[7].

Rursus, in libro Exitus filiorum Israel de Aegypto, Spiritus scriptor narrat quod, cum Moyses mitteretur a Domino ut in Aegyptum descenderet et Israel de servitute Aegyptiorum educeret[8], « et esset in itinere, in diversorio, occurrit ei angelus Domini et quaerebat occidere eum; et tulit, ait, Sephora silicem et circumcidit praeputium filii sui, et procidit ad pedes eius ac dixit: Sponsus sanguinis es mihi; et discessit ab eo

[1] *Gen.*, XXVIII, 10-13. — [2] Paginas 19-20, quae desunt in A, supplevi e cod. C. — [3] Vide correctiones. — [4] *Gen.*, XXXII, 2. — [5] *Ps.*, XXXIII, 8. — [6] Interpolatio e contextu addita. — [7] Cf. II *Reg.*, XVII, 24. — [8] In cod. B « liberaret ».

angelus quia illa dixerat: Stetit sanguis circumcisionis filii mei »[1]. Hisce verbis rebellem illum, * Dei adversarium et hominum [* p. 20] osorem, designavit, qui Moysen occidere volebat et irritam facere salutem Israel quam praesentiebat, non autem unum ex angelis sanctis qui vocantur ministri eius, facientes voluntatem eius. Et eo quod vocatus est angelus Domini, non oportet nos decipi[2], quoniam in multis locis Scripturarum sacrarum invenimus etiam hos adversarios vocari angelos Domini et spiritus Dei; nam et ille destructor, qui primogenitos Aegyptiorum interfecit, et ei qui cum eo destruebant, angeli denominantur a Spiritu psallente, et legati mali; ait enim[3]: « Misit super eos iram furoris sui ». Iram furoris et tribulationem misit per angelum malum, de quo scriptum est[4]: « Non sinebat eum Deus ingredi domos Hebraeorum et destruere ». Et etiam Moyses, cum tabernaculum testimonii exstrueret, audivit Deum praecipientem sibi et dicentem[5]: « Et facies duos Cherubim », ut per ea typice significaret Cherubim sanctos esse mentes illas puras ac splendentes quae Deum factorem suum ministerio servitii sui colunt.

Rursus, in libro Deuteronomii Moyses dicit[6]: « Statuit terminum populorum iuxta numerum angelorum Dei », dum eo loco angelos Dei vocat et ponit Archangelos quos Deus, post diluvium, familiis populorum praefecit, principes et praefectos unicuique populo seorsim, quando Altissimus populos dividebat et quando regebat et separabat filios hominum ab invicem. Rursus, in eodem cantico, eodem libro dicit Moyses[7]: « Laetentur caeli cum eo et adorent eum omnes angeli Dei », dum per ea praemonstrabat futurum esse ut omnes mentes illae caelestes et exercitus angelorum * laetentur cum eo, cum [* p. 21] introduxerit Filium suum primogenitum in terram hominum: et cum videbunt eum corporaliter et cognoscent eum esse Dominum gloriae adorabunt eum, illi quidem propter descensum eius in terram, illi autem propter ascensionem eius in caelum cum per Ecclesiam innotescet sapientia eius multiformis Principatibus et Potestatibus quae sunt in caelis, sicut dicit Paulus[8].

[1] *Ex.*, IV, 24-26. — [2] Vide correctiones. — [3] *Ps.* LXXVII, 49. — [4] *Ex.*, XII, 23. — [5] *Ex.*, XXV, 18. — [6] *Deut.*, XXXII, 8. — [7] Sic. Cf. *Ps.* XCVI, 7; *Hebr.*, I, 6. — [8] Cf. *Eph.*, III, 10.

In libris quidem Legis his verbis tantum Moyses magnus et sapiens, quin immo Spiritus qui erat in eo, mentionem fecit virtutum illarum sublimium et immaterialium; in historia vero Iob iusti similiter, composite et valde sapienter loquitur iuxta vim auditus mentis eorum qui recipiunt. Ait enim[1]: « Fuit dies, et venerunt angeli[2] ut starent coram Domino; et venit Satanas inter eos ut staret coram Domino; et interrogatus est hic a Deo unde veniret; et respondit hic Deo; et dixit ei Deus: Ecce apposuistine cor tuum super servum meum Iob, cui non est similis in terra, vir rectus et timens Deum ». Et tradidit eum Deus in manus illius ut eius filios et filias et possessiones percuteret, et postea etiam corpus eius, ut per ea, quae posita sunt poetice et artificio sermonis secundum morem nostrum, aperte et clare omnibus ostenderet ea, quae sunt tentationis Iob, licentia et permissu Dei facta esse. Rursus, per verba Eliphaz dicit[3]: « Si servis suis non confisus est, angelis autem suis aliquid perversum imputavit, eos qui habitant in domibus luti, e quibus etiam nos sumus ex eodem luto et in pulvere constituti, percutiet sicut tinea et humiliabuntur coram tenebris et a mane usque ad vesperum amplius non erunt ». Hoc est quod Spiritus per Eliphaz verbis illis dixit: Si angelis sanctis,
* p. 22 servis suis, non adeo * confisus est nec adeo dedit eis in eorum creatione ut essent stabiles, immutabiles, constantes et non peccantes, quomodo dicet quis homines, qui in luto habitant, esse sine peccato et sine delicto? Haec dixit Eliphaz adversus Iob qui dixerat: Sine delicto percussit me Deus. Deinde dixit ei[4]: « Voca ergo si est qui respondeat tibi aut si quem ex angelis sanctis videas ». Hoc est quod dixit ei: Nemo est qui responsurus sit tibi eiulanti, neque ullum ex angelis sanctis, qui sunt creati, videbis. Desiste quaerere ut videas Deum invisibilem et loquetur tibi « quia stultum occidit ira et insipientem occidit zelus »[5]. Rursus, in secundo colloquio, cum eisdem verbis venit Eliphaz dum angelos sanctos in testimonium contra Iob adducit, ut ostendat ei hominem non esse sine peccatis et sine delicto, et ita dicit[6]: « Ecce sanctis suis non confidit et

[1] *Iob.*, II, 1-3. — [2] In margine: « filii Elohim ». — [3] *Iob.*, IV, 18-20. — [4] *Iob.*, V, 1. — [5] *Iob.*, V, 2. — [6] *Iob.*, XV, 15-16.

caeli non sunt mundi coram eo, quanto magis homo abominabilis et immundus qui bibit iniquitatem sicut aquam ». — Rursus, per verba Elihu memorat Spiritus scriptor angelos, qualescumque sint angeli, cum narrat in sermone suo de homine iniquo, sic dicens[1]: « Si autem putruerit caro eius et consumpta fuerit afflictione morbi, et multa ossa eius apparuerint nuda, et appropinquaverit ad corruptionem anima eius, et vita eius ad mortem et inferos, si fuerint apud eum millia angelorum mortiferorum, unus ex eis non percutiet eum nec tanget eum, si intelleget in corde suo convertere se ad Dominum, sed ostendet homini suum ipsius delictum et deficientiam naturae eius manifestabit ei ». Hisce ostendit quod, sive angeli sancti sint, qui a Deo mittuntur propter eum qui ad iram provocat, sive daemones rebelles, qui aliquando propter iram iubentur, si ille qui ad iram provocavit, converterit se et petierit a Domino, non poterunt * eum tangere, dum Deus miseretur eius et illos ab eo cohibet. Haec quidem dicit de illo qui peccat et deinde resipiscit et obsecrat Dominum; de impiis autem, qui nolunt cognoscere Dominum et cum increpantur non audiunt, dicit[2]: « Perversi corde peribunt et non clamabunt ad Dominum; in ira enim, cum venerit super eos et apprehenderit eos, si clamabunt cum ligabit eos, morietur anima eorum in iuventute, et vita eorum in fame, cum percutientur ab angelis eo quod tribulaverunt pauperes et infirmos ». Hisce verbis aperte ostendit hominem, cum clamat, interdum liberari, et interdum, cum clamat, non exaudiri nec liberari. Etiam in verbis quae Deus ad Iob loquutus est cum revelatus est ei et voluit eum arguere, dicit[3]: « Cum creavi simul stellas, omnes angeli mei laudaverunt me voce magna »; per hoc ostendit quod omnes angeli sancti, cum subito vidissent creationem lucis sensibilis, quam non viderant, et simul omnes stellas et luminaria caeli, obstupuerunt et admirati sunt mirantes spectaculum novum ac stupendum, et laudaverunt Deum opificem. Rursus, cum de ceto magno loquitur, qui est in aquis, seu dracone, quemcumque draconem intellegere volueris, sive illum sensibilem, sive illum intellectualem, dicit[4]: « Nihil super terram est simile ei qui fac-

* p. [illegible]

[1] *Iob.*, XXXIII, 21-24. — [2] *Iob.*, XXXVI, 13-14. — [3] *Iob.*, XXXVIII, 6-7. — [4] *Iob.*, XLI, 24 (iuxta LXX).

tus est ut illudatur ab angelis meis ». Hisce ostendit, si quis dicat illum sensibilem, qui est in aquis, hunc illudi ab angelis sanctis cum vident eum morderi omnibus animalibus minutis quae sunt in mari, et contorquentem se et exacerbari nec posse ultionem ab eis sumere, etsi tam magnus est, sicut et Spiritus de illo cantat[1]: « Draco hic quem creasti ad illudendum ei »; si autem *dicas* illum intellectualem et rebellem, simili modo cum videant eum, qui tam fortis est, illudi et contemni etiam *p. 24 ab hominibus rationalibus, * illudunt ei etiam ipsi eumque valde convenienter et merito contemnunt.

Verbis quidem Moysis ita Spiritus scriptor mentionem fecit sanctorum angelorum, qui creati sunt et constituti mentes purae ac splendentes ad similitudinem mentis magnae et primae et lucis aeternae et sanctae et purissimae; vocibus autem David regis, psaltae ipsius Spiritus, ita verbis paucis loquitur cum de homine facit sermonem, mirando simul et interrogando[2]: « Quis, ait, est homo quod memor es eius, et filius hominis quod visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum, et praefecisti eum cunctis operibus manuum tuarum ». Haec omnia verba de homine quidem ad litteram dicta sunt; ad Christum autem, qui factus est homo propter nostram salutem, spiritaliter transferuntur; homo quidem dicitur paulo minor angelis quia mens eius cum luto subacta est et ligata est materiae huic crassae et gravi, dum affinis est omnibus mentibus caelestibus et imago et similitudo Dei est sicut illae; Christus autem, Verbum Dei, dicitur factus paulo minor ab angelis, quia vere factus est homo propter nos, et assimilatus est nobis in omnibus praeter peccatum, cum omnia nostra in se voluntarie suscepit. Ita enim divus Paulus nos docuit, dicens[3]: « Eum, qui factus est paulo minor ab angelis, videmus esse Iesum propter passionem mortis suae». In alio autem psalmo dicit de Deo[4]: « Consedit super Cherubim et volavit, volavitque super alas venti ». Et in aliis[5]: « Qui sedes super Cherubim, manifestare », et[6]: « Sedet super Cherubim, moveatur terra », dum ex more equitantium, qui

[1] *Ps.* CIII, 27. — [2] *Ps.* VIII, 5-6. — [3] *Hebr.*, II, 9. — [4] *Ps.* XVII, 11. — [5] *Ps.* LXXIX, 2. — [6] *Ps.* XCVIII, 1.

apud nos sunt, occasionem rapuit ita dicendi et ex traditione legis per Moysen qui tradidit Cherubim esse sedem Dei, cum posuit eos in sancto sanctorum super propitiatorium et super arcam testamenti * Dei, qui fortis est et creator et sede prorsus * p. 35 non indiget, sed portat et tenet omnia virtute verbi sui. Haec vero forsan praeposuit mystice ac typice de descensu eius in terram et de oeconomia eius inter homines salvifica et ineffabili. — Cum autem de ascensu eius in alio psalmo loquitur, eos commemorat qui sibi invicem imperant exaltationem, seu apertionem portarum, in similitudinem eorum qui iubentur coram regibus terrenis, sic dicens [1]: « Attollite, portae, capita vestra, et elevamini portae aeternales, ut ingrediatur rex gloriae ». Haec quidem dicunt seu imperant hi qui prius in descensu eius mysterium didicerant et comitabantur eum simul in ascensione eius; ceteri autem, qui mysterium non cognoscebant, interrogabant eos qui imperaverunt ipsis, et dicebant: « Quis est rex gloriae? ». Respondent autem illi statim, prompte simul ac congruenter, dicentes: « Dominus fortis et gigas, Dominus potens in praelio ». Et rursus eadem imperant interrogantibus dicentes: « Attollite, portae, capita vestra, et elevamini portae aeternales, ut ingrediatur rex gloriae ». Et illi iterum idem mirabiliter interrogant, dicentes: « Et quis est hic rex gloriae? »; et hi eos proprius docent et dicunt manifestius: « Dominus virtutum ipse est rex gloriae ». — In alio psalmo clarius loquitur de eis et de eorum creatione [2]: « Verbo Domini facti sunt caeli et spiritu oris eius omnes virtutes eorum »; quibus verbis ostendit eos creatos esse et factos, et denominari virtutes caelorum, et Verbum Dei, opificem omnium, creasse et fecisse eos, quod est et appellatur rex virtutum, id est, ipsorum, eosque a Spiritu * Dei, qui simul cum * f. Patre et Verbo eius est etiam creator et factor, constitui, conservari et illuminari. — Rursus, in alio psalmo dixit [3]: « Cohors angelorum Domini circumdat timentes eum et liberat eos »; et sermone suo significavit eos non tantum esse bonos et imitatores Dei bonitate et humanitate erga nos, sed etiam praeponi custodiae nostrae, et, iubente Deo, eis esse curam, cum

[1] *Ps.* XXIII, 7. — [2] *Ps.* XXXII, 6. — [3] *Ps.* XXXIII, 8.

misericordia erga nos, custodiae nostrae et liberationis nostrae a daemoniis inimicis et ab aliis hostibus qui a foris in nos irruunt.

In alio autem psalmo, cum ex amore et dilectione filiorum, ut apud nos sunt, ostendere vult etiam eorum dilectionem et familiaritatem apud Deum, eis nomen filiorum imponit, dicens[1]: « Quis in caelis caelorum aequalis erit Domino, et quis similis erit Domino inter filios Dei?», dum « caelos caelorum », quod eo loco posuit, vel « nubes », ut in aliis exemplaribus, vocat agmen angelorum sanctorum, quemadmodum et « caelestes » saepe appellantur in Scriptura divina.— Rursus, in alio psalmo, sive ad hominem, qui ab angelis sanctis adiuvatur et custoditur, loquitur, sive ad Christum incarnatum et hominem factum propter nos et adimplentem omnia nostra pro nobis, sermone elevato spiritaliter, dicit[2]: « Non tanget te malum et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam angelis suis mandabit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis, et super brachia sua portabunt te ». — Et in quodam psalmo Spiritus psallens iubet eos adorare Christum in carne quidem revelatum et regnantem super omnes populos; et didicerunt sapientiam oeconomiae quam fecit propter salutem nostram, per ecclesiam eorum qui redempti sunt, et viderunt eum corporaliter adscendentem ad Patrem suum, et dicit[3]: « Adorate
* p. 27 eum omnes angeli eius ». In alio autem dicit eis imperative * et hortative[4]: « Benedicite Domino angeli eius qui polletis virtute, facientes mandata eius ad audiendam vocem sermonum eius; benedicite Domino, omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius ». Et per haec ostendit eos solos esse ex omnibus creaturis, qui polleant virtute ad facienda mandata eius, et ad audiendam vocem sermonum eius, et esse ministros qui voluntatem eius perfecte faciant, quia sunt et fortes et veloces natura sua, et expertes ponderis materiae corporalis.

In psalmo autem statim sequenti breviter atque convenienter de eis loquitur, ostendens vim et velocitatem naturae eorum et zelum eorum ardentem cum ministerium et mandata facto-

[1] *Ps.* LXXXVIII, 7. — [2] *Ps.* XC, 10-11. — [3] *Ps.* XCVI, 7. — [4] *Ps.* CII, 20-21.

ris sui adimplere iubentur [1]: « Ille qui facit [2] angelos suos spiritus et ministros suos ignem ardentem ». Per illud quod dixit: « facit »[3], ostendit se non de natura eorum loqui sed de eorum velocitate et zelo tantum; etenim ignis aut spiritus non est natura eorum, quia sunt absque corpore. — Rursus, in alio psalmo mentionem eorum facit cum ad Deum omnium dicit [4]: « In conspectu angelorum psallam tibi, et adorabo in templo sanctitatis tuae, et confitebor nomini tuo », dum verbis suis significat omnes, qui timent Dominum, cantare laudes eius in conspectu angelorum sanctorum et adorare eum in conspectu virtutum illarum spiritalium in templis sanctis, et confiteri nomini eius sancto et laudabili. — In alio autem psalmo et in fine psalmorum suorum, cum universam creationem, intellectualem scilicet et sensibilem, iuberet laudare opificem Deum, cum ordine ei congruenti atque pulchro, incipit a caelis et desuper, id est, a mentibus illis caelestibus et incolis caelorum, et dicit hortative [5]: « Laudate Dominum de caelis; laudate eum in excelsis; * laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius », dum caelos et excelsa forsan vocat virtutes illas primas et superiores et proximas Deo, propter splendorem ipsarum perfectum, Seraphim, dico, et Cherubim, qui radios primos et fulgentes lucis divinae et theoriam scientiae perfectae recipiunt. * p. 28

Verbis quidem David, regis, psaltae et prophetae, Spiritus mentes illas caelestes, similitudines Dei, ita memoravit. In libro autem Regnorum narrat ipse Spiritus scriptor [6]: « Misit Dominus pestilentiam in Israel de mane usque ad sextam horam; et mortui sunt a Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum; et extendit, ait, manum suam angelus super Ierusalem ad destructionem eius; et Dominus cohibuit angelum mortis qui delebat populum dixitque ei: Multum delevisti, contine manum tuam; et angelus Domini stabat iuxta aream Areuna Iebusaei ». Hisce verbis Spiritus significavit angelorum fortitudinem et celeritatem et zelum ardentem contra eos qui impie agunt et Deum ad iram provocant, et diligentiam

[1] *Ps.* CIII, 4. — [2] Sic legendum, etsi puncta diacritica aliter suadere videntur. — [3] Cod. P addit: non autem « fecit » (sic legendum). — [4] *Ps.* CXXXVII, 1-2. — [5] *Ps.* CXLVIII, 1-2. — [6] II *Reg.*, XXIV, 15-16.

eorum ad adimplendum ministerium mandatorum Dei, — quemcumque putet quis hunc angelum fuisse — et indulgentiam philanthropiae Dei et promptitudinem inclinationis eius ad misericordiam. Fecit etiam Salomon[1], sicut Moyses, Cherubim obumbrantes in sanctuario super propitiatorium; et per hoc figurat ministerium et obsequium Cherubim sanctorum, mentium primarum et splendentium virtutum supernarum.

Verbis autem Michaeae prophetae loquitur, quasi more ministrorum regis terrestris, ostendens ope sermonis humani, obsequium voluntatis divinae et derelictionem ad hoc ut Achab impius decipiatur et proficiscatur ad bellum et moriatur[2]: «Vi- *p. 29 di Dominum virtutum sedentem super thronum suum, * et omnem militiam caeli stantem apud eum a dextris et a sinistris»; quibus significavit eos semper esse paratos ad ministerium eius et adimpletionem mandatorum eius. Et cum elevatus est Elias propheta de terra in caelum, dicit[3]: «Cum Elias et Eliseus sermocinarentur et incederent, ecce currus igneus et equi ignei, et diviserunt utrumque, et adscendit Elias per turbinem in caelum». Haec autem facta sunt non quasi formam equorum aut currus haberent, aut saltem formam corporum, cum mentes sint immateriales et incorporales et similitudines mentis magnae creatricis eorum, quae est invisibilis et incogitabilis, sed ut per imitationem conferret honorem ei qui odio habitus est a regibus impiis, superbis ac gloriosis qui cum pompa circumducebantur super equos et super currus aureos. Et rursus de Eliseo dicit quod oravit coram Domino, dicens[4]: «Domine, aperi oculos pueri ut videat; et aperuit Dominus oculos pueri et vidit; et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisei»; et per ista significavit quod, sicut dixit David[5], cohors angelorum Domini circumdat timentes eum liberatque eos ab omnibus malis; et idcirco ostendit ei equos et currus igneos circumdantes eos ad custodiam eorum, quod puer vidit equos et currus exercitus Idumaeorum qui circumdabant eos et volebant eos apprehendere.

[1] Cf. III *Reg.*, VI, 23. — [2] III *Reg.*, XXII, 19. — [3] IV *Reg.*, II, 11. — [4] IV *Reg.*, VI, 17. — [5] *Ps.* XXXIII, 8.

Et rursus dicit in hoc libro Regnorum [1]: « Factum est in nocte illa, et egressus est angelus Domini, et occidit in castris Sennacherib assyrii centum octoginta quinque millia; et surrexerunt mane et viderunt, et ecce omnia corpora mortua »; quod similiter indicat eorum fortitudinem et celeritatem et zelum ardentem et diligentiam et promptitudinem ad explendum mandatum Domini sui. In libro autem Regnorum, verbis ibi positis, Spiritus scriptor mentionem fecit virtutum illarum caelestium et angelicarum mentium Deo similium.

* Rursus, verbis Isaiae [prophetae] et visione quam ostendit ei, idem Spiritus propheticus sermonem habet de eis, sic dicens [2]: « Et factum est, ait, in anno illo quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum, et plenum erat templum gloria eius. Et Seraphim stabant in circuitu eius, sex alae uni et sex alae uni; et duabus quidem operiebant faciem suam, duabus autem operiebant pedes suos, et duabus volabant, et clamabant alter ad alterum, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth, cuius laudibus plena est universa terra ». Oportet nunc, ut puto, elucidemus et manifestemus sermone ea quae dicit. Istis autem verbis haec existimantur significari. « In anno, ait, illo quo mortuus est Ozias rex »: ille qui ausus est appropinquare ad Deum inaccessum et invisibilem et inapprehensibilem factis et creatis, et appetere illicita sibi, adolere incensum et cogitare etiam offerre sacrificia sicut sacerdotes, filii Aaron, cogitans magna de potestate sua regia. « Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum », illum per quem reges regnant. Id est quod dicit: Cum mortuus esset ille qui tam se exaltavit et superbivit et ausus est, nec reprehendit eum ullus ex prophetis, visus est Deus sedens super thronum excelsum et elevatum, ille a quo habent fortes potestatem sedendi super thronos, ad correptionem illius qui mortuus est et eorum qui illum non reprehenderunt. « Et plenum erat, ait, templum glorificatione eius », cuius gloria etiam caeli et terra plena sunt. « Et Seraphim, ait, stabant in circuitu eius », ad correptionem illius qui magna spirabat propter milites qui stabant

[1] IV *Reg.*, XIX, 35. — [2] Is., VI, 1-3.

coram ipso et mandata eius perficiebant. « Sex alae, ait, erant * p. 31 * unicuique ex eis, et duabus quidem operiebant faciem, duabus autem operiebant pedes », et reliqua. Non quasi sic se haberent, nec quasi corporalem adspectum aut formam possiderent, ita visi sunt prophetae, sed visi sunt sex alas habentes ut per hoc significarent sex regiones huius universi esse laude opificis plenas. Duabus quidem faciem tegebant et operiebant, ut silentio tegerent principatum[1] et prioritatem rationis theologiae aeternae, Patris dico, et Filii et Spiritus sancti; facies enim prioritatem et principatum rei manifestat. Scriptum est autem quod duabus pedes operiebant, ut per hoc significaret eos silentio mystico tegere et honorare mysterium [incarnationis] quod in fine futurum erat; pedes enim finem et extremitatem rerum indicant. Positum est vero quod duabus volabant, ut per hoc significarent per creaturas, quae in medio huius universi moventur, invisibilitatem Dei factoris eorum mystice et allegorice intellegi. Et ter clamabant « Sanctus », ut per hoc mystice ostenderent ineffabilitatem et statum absconditum Trinitatis sanctae cuius laude caeli et terra sunt plena. Ita Seraphim sancti et sanctificantes cognoscuntur pollere scientia excelsa atque perfecta, quia ipsi primi recipiunt radios primos splendorum mundorum et fulgentium scientiae divinitatis purae et sanctae et splendidissimae, et hi primi mandata eius adimplent, et lucem cognitionis deferunt etiam ad alios ordines qui sunt post ipsos, dum per ordinem suum et nomen suum cognitionem perfectam, qua pollent, manifestant.

Rursus et per Ezechiel[2] Spiritus propheticus ostendit visionem quandam corporalem velut currus terrestris et figuram quandam animalium iunctorum et rotarum diverso modo volu- * p. 32 bilium, sicut * ea quae sunt apud nos super terram, dum haec omnia, quae illic videbantur et movebantur, ne dicam de singulis particulariter, mysterium quoddam mystice gestabant eorum quae revelanda erant in mysterio magno et eximio redemptionis nostrae quae in ecclesia Christi redempta adimpleta est. Iterum autem vidit Ezechiel[3] sex viros instrumenta ultionis manibus suis portantes, et alterum indutum

[1] Vide correctiones. — [2] Cf. Ez., x. — [3] Ez., ix.

bysso et praecinctum zona sapphiri inter eos. Iste quidem iubetur signare signum super frontes virorum illorum qui gemebant super abominationibus quae fiebant in Israel; illi autem iussi sunt omnes non signatos absque misericordia delere; et etiam illi erant angeli, legati, [ministri] mandati Domini qui voluntatem eius faciunt, sicut dicit Spiritus psallens [1]. Rursus et illud quod Dominus praecepit viro byssum induto ut volas suas carbonibus igneis impleret et spargeret super civitatem [2], et venit et stetit iuxta rotas et non tulit, sed unus ex Cherubim manum suam extendit et ignem tulit et in volas viri byssum induti immisit, prioritatem et excellentiam Cherubim indicat.

Rursus et per Zachariam prophetam Spiritus propheticus de angelis ministris qui visi sunt ei loquitur, de illo scilicet qui super equum rufum adscendebat et inter arbores obumbrantes stabat [3], et de illo qui funiculum mensorium ad mensurandam Ierusalem manu sua tenebat [4], et de illo qui in Zacharia propheta loquebatur [5], et de alio qui in occursum eius egressus dixit ei [6]: « Curre, loquere ad puerum istum ». Et per ea quae de illis narrat ostendit eos esse ministros mandatorum Dei, ab eo missos ut per prophetas Aggaeum, Zachariam et Malachiam filiis Israel manifestarent tempus iam advenisse ut Ierusalem reaedificetur et renovetur.

[Simili autem modo] in libro Danielis, saepe ac varie mentionem angelorum fecit Spiritus propheticus qui eos videt, regit, cognoscit * et illuminat. Tres enim pueri, qui in fornacem (* p. 33) ignis ardentis missi fuerant, cum benedicerent Deo et [laudarent et] loquerentur ad eum, et confiterentur ei peccata sua et peccata parentum suorum, dicebant [7]: « Benedictus es qui intueris abyssos et sedes super Cherubim; benedicite Domino, cuncti angeli eius; benedicite Domino, cunctae virtutes eius ». Sedentem super Cherubim appellaverunt quidem Dominum, ex more antiquo apud omnes Hebraeos et apud Moysen et David et Salomon; angelos autem et virtutes nuncupaverunt eos omnes communiter, denominantes eos omnes nominibus communibus et collectivis, et rogaverunt eos ut Domino cum uni-

[1] *Ps.* CII, 21. — [2] Cf. Ez., X, 2-8. — [3] ZACH., I, 8. — [4] ZACH., II, 2. — [5] ZACH., I, 14. — [6] ZACH., II, 4. — [7] DAN., III, 55-58.

versa creatione benedicerent. Omnes enim angeli legati sunt et nuncupantur, missi propter eos qui hereditate accepturi sunt vitam, sicut scriptum est [1], et sunt et [vocantur] virtutes militiae ipsius regis creatoris sui. Et etiam ille, qui in fornacem ad pueros descendit cohibuitque ab eis flammam, angelus denominatus est Scriptura divina, etsi multi ex interpretibus opinentur eum esse Angelum magni consilii [2], et forsan propter hoc ipse Spiritus sanctus ore Nabuchodonosor regis eum Filio Dei assimilavit [3]. Etiam vigil et sanctus ille, quem Scriptura sancta dixit de caelo descendisse et fortiter clamasse ac dixisse [4]: « Succidite arborem », cum de Nabuchodonosor rege loqueretur, unus de virtutibus caelestibus erat. Similiter et ille de quo Daniel dixit Dario regi [5]: « Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum et non nocuerunt mihi »; et vir ille qui venit ad Danielem multis vicibus et eum visionem docuit sicut iussus erat [6]; et Michael [7] quoque, qui refertur esse princeps populi Hebraeorum; et ille sanctus quem loquentem Daniel dixit se audivisse [8]; et ille ⌜quidam qui loquebatur [9]
* p. 34 * et ille qui bysso honoris indutus erat, cuius lumbi praecincti erant maiestate gloriae et luctabatur cum principe Persarum, cuius adspectus varius erat et formam non habebat, cuius vultus sicut visio fulguris, cuius oculi sicut lampadae ignis et brachia et humeri sicut scintilla aeris candentis, et vox sermonum sicut strepitus exercituum multorum, qui nuntiavit Danieli de regno Graecorum [10]; et ille qui apprehendit Habacuc prophetam capillis capitis eumque de Iudaea Babylonem ad Danielem adduxit [11]: illi omnes archangeli erant et angeli legati, ministri voluntatis Dei creatoris et praeceptoris sui, de quo Daniel sic dixit [12]: « Videbam thronos positos esse, et antiquus dierum sedit; vestimentum eius sicut nix candida, et capilli capitis eius sicut lana munda; thronus eius flamma ignis, et rotae eius *rotae* ignis urentis; fluvius igneus fluens egrediebatur a conspectu eius; millia millium stabant coram eo et myriades myriadum ministrabant ei ». Hi omnes sunt ministri

[1] *Hebr.*, I, 14. — [2] Is., IX, 6 (LXX). — [3] DAN., III, 92. — [4] DAN., IV, 11. — [5] DAN., VI, 22. — [6] DAN., VII, 16. — [7] DAN., XII, 1. — [8] DAN., XII, 7. — [9] Sic; sed videtur lapsus pro: « alter cum quo loquebatur » prior. — [10] DAN., XI, 2. — [11] DAN., XIV, 35. — [12] DAN., VII, 9-10.

mandati creatoris omnium, Dei, et nuncupati sunt angeli Scriptura divina; quantitas autem eorum non declaratur per hunc numerum « millia millium » et « myriades myriadum » quem vidit et dixit Daniel, sed incomprehensibilitas et infinitas numeri eorum nobis innuitur per numeros hos ingentes et omnibus numeris superiores.

Has omnes mentiones et vocabula significativa virtutum illarum spiritalium et caelestium nobis scripsit et tradidit in libris Veteris Testamenti Spiritus scriptor legis et prophetarum, qui eas semper tenet et servat, et operatur in eis easque illuminat. Dum ipse quidem dicitur Spiritus Dei ut factor et creator simul, et aequalis in essentia et aequalis in aeternitate Patri et Filio, illae autem appellantur spiritus Dei, ut legati missi et ut spiritus ministrantes.

* Similiter Spiritus, factor et gubernator et illuminator ea- * p. 35
rum, mentionem earum facit etiam in Novo Testamento, non solum per verba Apostolorum et Evangelistarum, sed etiam per verba ipsius Dei magni, Verbi Dei, Iesu Christi, qui est earum factor et creator cum Patre et Spiritu sancto. Verbis quidem divi apostoli Pauli in ep. ad Romanos de eis ita loquitur [1]: « Persuasum enim habeo neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque Potestates, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudinem, neque profundum, neque ullam aliam creaturam posse me *separare a dilectione Dei quae est in Domino nostro Iesu Christo ». In epistula autem, secunda [2], quae ad Corinthios, apostolus ita loquitur de seipso et de eis, qui sunt sicut ipse [3]: « Existimo enim quod nos apostolos postremos constituerit Deus tanquam ad mortem, quia spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus ». In eadem epistula, cum de potestate quae data est a Deo eis qui crediderunt scribit, sic dicit [4]: « An nescitis quod sancti mundum iudicabunt? quod si mundus per vos iudicandus est, nonne digni estis iudicare iudicia minuta? Nescitis quod angelos iudicaturi sumus?»; et apertum est quod angelos a nobis iudicandos eo loco vocat daemones rebelles qui de ordine angelico ceciderunt. Rursus, in eadem epistula, cum mulieribus

[1] *Rom.*, VIII, 38-39. — [2] Sic, per lapsum; lege « prima ». — [3] I *Cor.*, IV, 9. — [4] I *Cor.*, VI, 2-3.

imponeret legem ut capita sua velarent, dicebat[1]: « Propter hoc tenetur mulier ut potestas sit super caput ipsius propter angelos ». Similiter etiam, cum de caritate scribit ad Corinthios, ait[2]: « Si qualibet lingua hominum loquar et ea quae angelorum, caritas autem non sit in me, factus sum aes resonans aut cymbalum edens sonum ». — In secunda autem ad *p. 36 eos epistula dicit[3]: « Si enim Satanas * transformatur in angelum lucis, non est magnum negotium si ministri eius transformantur in ministros excellentiae »; dum ministros quidem excellentiae vocat eos qui rectam Christi fidem docent, ministros autem Satanae haereticos qui docent contra fidem. — Ad Galatas autem dicit[4]: « Enimvero etsi nos aut angelus de caelo annuntiaverit vobis praeter id quod vobis annuntiavimus, anathema sit ». Et rursus dicit ad eos[5]: « Et data est ipsa lex per angelos in manu mediatoris »; dum mediatorem, qui legem per angelos dedit, vocat Christum qui factus est mediator Dei et hominum cum inhumanatus est. — Rursus, in illa ad Ephesios, de Christo dicit[6]: « Et fecit eum sedere a dextera sua in caelo supra omnes Principatus et Potestates et Virtutes et Dominationes, et supra omne nomen quod nominatur », scilicet supra Sedes et Cherubim et Seraphim qui dicuntur ministri primi et excelsiores. — Simili autem modo, in illa ad Colossenses, de Christo scribit[7]: « Per quem habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis et primogenitus omnium creaturarum, per quem creata sunt omnia, quae in caelo et quae in terra, omnia visibilia et omnia invisibilia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnia, et per eum omnia consistunt ». Rursus, in eadem epistula, de Christo loquens, mentionem facit ministrorum dicens[8]: « Et in eo vos quoque completi estis, quoniam ipse est caput omnium Principatuum et Potestatum ». Et paulo post, in ea epistula cum iterum de Christo dixerit[9]: « Dimisit nobis omnia peccata nostra, et delevit mandatis suis chirographum

[1] I *Cor.*, XI, 10. — [2] I *Cor.*, XIII, 1. — [3] II *Cor.*, XI, 14-15. — [4] *Gal.*, I, 8. — [5] *Gal.*, III, 19. — [6] *Eph.*, I, 21. — [7] *Col.*, I, 14-17. — [8] *Col.*, II, 10. — [9] *Col.*, II, 13-14.

delictorum nostrorum quod erat contrarium nobis, illudque sustulit de medio ac affixit illud cruci suae », pergit dicens: « Per exspoliationem carnis suae diffamavit Principatus et Potestates, et confudit eos palam in semetipso », dum * Prin- * p. 37 cipatus et Potestates eo loco appellat daemones rebelles, ministros Satanae, qui de ordine angelico ceciderunt. — In epistula autem ad Thessalonicenses scribit[1]: « Ipse Dominus noster in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelis ». — Ad Timotheum autem scribit[2]: « Vere magnum est arcanum iustitiae quod manifestatus sit in carne, et iustificatus spiritu et visus angelis et praedicatus inter gentes et creditus in mundo et assumptus in gloria ». — In epistula autem ad Hebraeos mentionem eorum facit verbis multis ac frequentibus cum de Christo loquitur, et dicit in sermone ita[3]: « Tanto praestantior fuit angelis quanto excellentius nomen prae illis hereditavit; cui enim ex angelis unquam dixit Deus: Filius meus es; ego hodie genui te ». Rursus ait[4]: « Cum introduxit primogenitum in orbem terrarum, dixit: Adorent eum cuncti angeli Dei; de angelis autem dixit: Qui facit[5] angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem ». Item, in eadem epistula, cum de Christo loquitur, dixit[6]: « Non ex angelis assumpsit, sed ex semine Abraham assumpsit »; dum per id quod dixit ostendit angelis non fuisse delictum, nec corpus, nec carnem, ut ex eis assumens carnem liberaret eos a delictis eorum, sed Adamo et eis qui ex eo sunt fuisse delictum quod sanatione indigebat, et ideo eum ex semine Abraham assumpsisse animam et carnem ut per carnem animatam, quae assumpta est, delictum animae et corporis sanaret redimendo et suscitando a casu totum hominem qui deliquerat. — In eadem autem epistula ad eos qui crediderunt dicit[7]: « Vos accessistis ad montem Sion et ad civitatem Dei viventis, Ierusalem illam, quae in caelis est, et ad coetus myriadum angelorum, * et ad ec- * p. 38 clesiam primogenitorum qui conscripti sunt in caelis ».

Illa quidem de angelis a Paulo dicta et scripta sunt. In libro autem Actuum Apostolorum haec de eis scripta sunt[8]:

[1] I *Thess.*, IV, 16. — [2] I *Tim.*, III, 16. — [3] *Hebr.*, I, 4-5. — [4] *Hebr.*, I, 6-7. — [5] Cf. p. 21, n. 2. — [6] *Hebr.*, II, 16. — [7] *Hebr.*, XII, 22-23. — [8] *Act.*, I, 9-11.

« Et cum haec dixisset Dominus noster Iesus, dum intuerentur eum, elevatus est; et nubes recepit eum, et opertus est ab oculis eorum; et cum suspicerent in caelum, eo proficiscente, inventi sunt duo viri stantes apud eos in vestibus albis, et dicunt eis: Viri Galilaei, quid statis et suspicitis in caelum? Hic Iesus qui elevatus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum adscendentem in caelum ». Patet igitur hos duos viros fuisse angelos, et ex eis qui noverant mysterium oeconomiae quam Christus super terram fecit, et comitabantur eum adscendentem in caelum. Et Lucas evangelista, cum narrat de apostolis qui in carcere inclusi erant, dicit[1]: « Tunc per noctem angelus Domini aperuit portam carceris eduxitque eos ac dixit eis: Ite, state in templo, et loquimini ad populum omnia haec verba vitae ». Et cum de Stephano, diacono et martyre, narrat, dicit Iudaeos, qui intuebantur eum, vidisse vultum eius quasi vultum angeli[2]; et narrat eum cum loqueretur cum Iudaeis, dixisse illis[3]: « Recepistis legem per mandatum angelorum et non custodistis ». — Et cum de Philippo diacono et praecone narrat, dicit[4]: « Et loquutus est angelus Domini ad Philippum dixitque ei: « Surge, vade ad austrum per viam desertam quae descendit ab [Ierusalem in Gazam] ». Et cum de Cornelio centurione narrat, dixit[5]: « Hic vidit visionem, angelum Dei manifeste circiter ad nonam horam interdiu; et ingressus est ad eum eique dixit: Preces tuae et eleemosynae tuae adscenderunt in recordationes coram Deo». Et rursus dixit de eo[6]: « Cum ab eo discessisset angelus qui loquebatur illi, * p. 39 vocavit duos vernos suos et militem quendam timentem * Deum qui assistebat ipsi, et narravit eis omnia quae viderat misitque eos in Ioppen ». Et etiam qui missi fuerant narrant Simoni Petro, dicentes[7]: « Dictum est Cornelio per visionem ab angelo sancto ut mittens introducat te in domum suam et audiat sermonem a te ». Et ipse Cornelius, respondens Simoni interroganti quare misisset ad ipsum, dicit[8]: « Cum orarem domi meae, adstitit vir quidam coram me, indutus albis, dixitque mihi: Corneli, exaudita est oratio tua, et de eleemosynis

[1] *Act.*, v, 19-20. — [2] *Act.*, vi, 15. — [3] *Act.*, vii, 53. — [4] *Act.*, viii, 26. — [5] *Act.*, x, 3-4. — [6] *Act.*, x, 7-9. — [7] *Act.*, x, 22. — [8] *Act.*, x, 30-32.

tuis commemoratio fuit coram Deo; mitte ergo in Ioppen civitatem et accersi Simonem qui vocatur Petrus ». Et ipse Simon, cum narraret discipulis in Ierusalem ea quae Deus fecerat per ipsum in domo Cornelii, ait[1]: « Narravit nobis quomodo vidisset domi suae angelum ». Omnes igitur has mentiones fecit Scriptura de angelo qui Cornelio centurioni visus est. — Rursus, cum Simon Petrus inclusus esset in carcere Scriptura sancta de eo dicit[2]: « Dum dormiret inter duos milites vinctusque esset duabus catenis et alii custodirent fores carceris, angelus Domini adstitit supra eum, et lux refulsit in tota domo; et pupugit ei latus, et excitavit eum, eique dixit: Surge velociter. Et ceciderunt catenae de manibus eius; et dixit ei angelus: Accinge lumbos tuos et calcea sandalia tua ». Et narrat de Simone dicens[3]: « Nesciebat verumne esset id quod fiebat per angelum; existimabat enim se visum videre ». Et rursus pergit dicere: « Cum egressus esset et pertransiisset plateam unam, discessit ab eo angelus; tunc cognovit Simon ac dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum et eripuit me de manu Herodis regis ».

His igitur verbis ostendit Scriptura talia effici posse ab angelis sanctis cum mittuntur a Deo ad fideles adiuvandos. Rursus autem evangelista scriptor, in libro sacro Actuum Apostolorum, * mentionem facit etiam daemonum rebellium et adversariorum Dei et hominum, qui sunt eiusdem naturae ac angeli sancti et rebellione sua de ordine angelico ceciderunt, et dicit de Paulo quod mandato eius daemones egrediebantur et discedebant ab hominibus: « Studuerunt autem, ait[4], quidam de Iudaeis, qui ambulabant et adiurabant daemonia, adiurare per nomen Domini nostri Iesu super eos qui habebant spiritus immundos, dicentes: Adiuramus vos per nomen Iesu quem praedicat Paulus ». Item, cum accusaretur Paulus a Iudaeis coram tribuno in Ierusalem, et cognovisset partem populi esse Sadducaeorum et partem esse Pharisaeorum, narrat Scriptura Paulum dixisse[5]: « Viri, fratres mei, ego pharisaeus sum, filius pharisaeorum, et de spe resurrectionis mortuorum iu- * p. 46

[1] *Act.*, XI, 13. — [2] *Act.*, XII, 6-8. — [3] *Act.*, XII, 9. — [4] *Act.*, XIX, 13. — [5] *Act.*, XXIII, 6-8.

dicor; et cum haec dixisset, ait, irruerunt alter in alterum Pharisaei et Sadducaei, et divisus est populus; Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque angelos, neque spiritum; Pharisaei autem haec omnia confitentur ». Rursus narrat Scriptura sancta Paulum, cum naufragium passus esset in mari, eis qui naufragium secum passi erant sic dixisse[1]: « Apparuit enim mihi hac nocte angelus Domini illius cuius sum et cui servio, dixitque mihi: Ne timeas, Paule, futurum est enim te stare coram Caesare ». Et in libro Actuum Apostolorum omnia haec verba et mentiones nobis posuit et tradidit divus Lucas evangelista, scriptor libri.

In evangeliis autem sanctis sunt mentiones et verba quae angelos indicant. « Cum ingressus esset Zacharias in templum Domini et omnis turba populi staret foris tempore incensi, apparuit ei angelus Domini stans a dextris altaris incensi; et turbatus est Zacharias cum vidisset illum et timor irruit super eum. Dicit autem ad eum angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua »[2]. Et paulo post[3]: « Et dixit Zacharias ad angelum: Quomodo istud sciam? Ego enim sum
* p. 41 senex et uxor mea * provecta est in diebus suis. Et respondit angelus eique dixit: Ego sum Gabriel qui adsto coram Deo, et missus sum ut te alloquar et haec tibi evangelizem ». Et iterum[4]: « Mense autem sexto missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen Ioseph e domo et familia David; et cum ingressus esset ad eam angelus, nuntiavit ei ac dixit ei: Pax tibi, plena gratia ». Et paulo post[5]: « Et dixit ei angelus: Ne timeas. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Respondit autem angelus ac dixit ei: Spiritus sanctus veniet super te; et discessit ab ea angelus ». Et rursus scriptum est[6]: « Ioseph autem, vir eius, iustus erat et nolebat eam diffamare; cogitavit eam occulte dimittere. Cum autem haec cogitaret, apparuit Ioseph angelus Domini et dixit: Ioseph, fili David, ne timeas accipere Mariam coniugem tuam. Cum autem surrexisset Ioseph de somnio, fecit sicut

[1] *Act.*, XXVII, 23. — [2] LUC., I, 9-13. — [3] LUC., I, 18-19. — [4] LUC., I, 26-28. — [5] LUC., I, 34, 35. — [6] MATTH., I, 19-20.

praeceperat illi angelus Domini ». Et rursus[1]: « Et pastores erant, ait, in regione, qui degebant in agro et custodiebant custodiam noctis super gregibus suis. Et ecce angelus Domini adstitit supra eos, et gloria Domini illuxit eis; et continuo facta est cum angelo multitudo virtutum caelestium glorificantium Deum ac dicentium ». Et rursus[2]: « Cum autem discessissent Magi, angelus Domini apparet Ioseph in somnio, dicens: Surge, accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum ». Iterum[3]: « Cum autem mortuus esset Herodes, ecce angelus Domini in somnio apparet Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel ».

Cum autem Calumniator Deum nostrum tentaret, sic scriptum est de eo in evangelio[4]: « Tunc ducit eum Calumniator in civitatem sanctam, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: Si filius es Dei, mitte te deorsum; scriptum est enim: Angelis suis mandavit de te »; et deinde * ait[5]: « Tunc *p. 42 reliquit eum Calumniator, et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei ».

Sunt quidem in evangeliis multae mentiones, praeter illas angelorum sanctorum, etiam daemonum rebellium qui de ordine angelico ceciderunt, sicut Legio ille qui erat in viro[6], et sicut ei qui erant in duobus daemoniacis, et qui cum ab eis exiissent petierunt ut in greges porcorum mitterentur[7]. Et Christus, cum parabolam zizaniorum discipulis suis exponeret, dixit[8]: « Is qui seminavit semen bonum est Filius hominis; ager autem est mundus; semina vero bona sunt filii regni; zizania autem filii Mali; inimicus autem qui seminavit ea est Calumniator; messis vero est consummatio mundi; messores sunt angeli. Sicut ergo colliguntur zizania et igne comburuntur, sic erit in consummatione mundi huius. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et omnes agentes iniquitatem; et separabunt malos de medio iustorum ». Rursus scriptum est[9]: « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est ». Rursus

[1] Luc., II, 8-13. — [2] Matth., II, 13. — [3] Matth., II, 19-20. — [4] Matth., IV, 5-6. — [5] Matth., IV, 11. — [6] Marc., V, 9. — [7] Matth., VIII, 31. — [8] Matth., XIII, 37-41, 49. — [9] Matth., XVIII, 10.

Christus, cum retunderet linguam Sadducaeorum, dixit[1]: « In resurrectione mortuorum non nubent sed erunt sicut angeli caelorum ». « Et videbunt Filium hominis, ait[2], venientem super nubes caeli cum virtute et gloria multa; et mittet angelos suos cum tuba magna, et congregabunt electos eius a quattuor ventis ». Et iterum[3]: « Cum autem venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes angeli eius sancti cum eo, tunc sedebit super thronum gloriae suae, et congregabuntur coram eo omnes gentes ». Dicit autem evangelista de Christo[4]: « Apparuit ei angelus de caelis qui stabat iuxta eum et confortabat eum; *p. 43 * et cum factus esset in agonia sollicite orabat ». Et etiam Simoni, qui gladium exemerat, dixit[5]: « An putas me non posse petere a Patre meo, et constituet mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? ». Et rursus, cum parabolam de centum ovibus et ove una perdita diceret et de muliere quae perdiderat unam drachmam de decem drachmis, pergit id adducere post finem parabolae: « Ita dico vobis, erit gaudium coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente[6] ». Et etiam de Lazaro paupere dixit[7]: « Accidit autem ut moreretur ille pauper, et perduxerunt eum angeli in sinum Abraham ». Et cum ad Nathanael loqueretur dixit ei[8]: « Amen dico vobis, ex nunc videbitis caelos apertos et angelos Dei adscendentes et descendentes ad Filium hominis ». Et de piscina Siloe evangelista dicit[9]: « Angelus semper descendebat in piscinam et turbabat aquam ». Et etiam cum Christus dixit ad Patrem[10]: « Pater mi, glorifica nomen tuum, et venit vox de caelo: Glorificavi et iterum glorificabo, turba quae adstabat et audiverat dicebat tonitruum esse factum; alii dicebant: Angelus loquutus est ei ». Et ipse Christus Pilato dixit[11]: « Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent ut non traderer Iudaeis », dum ministros suos eo loco vocat angelos sanctos; describuntur enim ministri eius qui faciunt voluntatem eius. Et etiam mulieribus quae ad sepulcrum Christi venerunt, evangelistae dicunt apparuisse angelos sanctos, quibusdam quidem duos, aliis autem unum tantum, et hos indu-

[1] MATTH., XXII, 30. — [2] MATTH., XXIV, 30-31. — [3] MATTH., XXV, 31-32. — [4] LUC., XXII, 43. — [5] MATTH., XXVI, 53. — [6] LUC., XV, 10. — [7] LUC., XVI, 22. — [8] IOH., I, 51. — [9] IOH., V, 4. — [10] IOH., XII, 28-29. — [11] IOH., XVIII, 36.

tos albis et forsan per hunc adspectum significantes, quantum fieri potest, excellentiam naturae suae.

Has mentiones sententiis auditis ac scriptis, iuxta virtutem hominum scripsit * et tradidit nobis in libris sanctis prophe- * p. [illegible] tarum et apostolorum de virtutibus illis angelicis, spiritalibus et caelestibus et Deo similibus, Spiritus sanctus qui est earum cognitor et illuminator et gubernator. Illas quidem creatas esse atque factas aperte scripsit et tradidit nobis per verba Scripturarum divinarum; nunc quandonam creatae fuerint aut quam priores sint creatione sua creatione mundi huius visibilis, aut quare non statim cum creatione earum creatus fuerit mundus hic sensibilis sine mora interiecta, aut quare Moyses non loquutus fuerit de creatione earum cum verbum fecit de creatione huius mundi, haec nobis abscondita et ignota sunt, puto autem, inquam, etiam ipsis angelis pariter, et sunt Dei solius, ita ut igitur non debeamus de eis inquirere, sed, sicut scriptum est[1] et superius dixi, sufficiat nobis tantum aestimare et dicere manifesta quidem esse nostri et filiorum nostrorum, abscondita autem esse Dei creatoris et cognitoris omnium, et Verbi eius opificis et Spiritus eius sancti et creatoris simul, qui novit et scrutatur omnia et profunda Dei, cui gloria et honor et potestas nunc et semper et in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit tractatus de virtutibus spiritalibus, quae vocantur mentes caelestes et incorporales.

[1] Cf. *Deut.*, XXIX, 29.

TRACTATUS SECUNDUS: De creatione caeli et terrae et eorum quae sunt in eis aut cum eis, quae sunt creatio secunda, corporalis scilicet et materialis, quattuor elementa diversa, terra, aqua, aer et ignis.

Rursus, causa illa prima, creatrix scilicet et effectrix omnium, aeterna et omnipotens, propter multitudinem bonitatis suae ad creandum movetur. Ratio enim, quae Deum ad crean-
* p. 45 das creaturas incitavit, liberalitas est bonitatis eius * multa. Ille quidem, dum semper est creator et factor et fortis qui facere potest quodcumque vult [et quotiescumque vult], et sapiens qui novit quae sint quae creari debeant, retinuit et cohibuit, quamdiu noverat conveniens esse, mare bonitatis suae ne exundaret, et robur virtutis suae creatricis et omnipotentis coercuit, et voluntatem suam a creando retardavit. Cum autem placuit voluntati eius, et cum sapientia eius, quae omnia novit, iudicavit iam conveniens esse ut crearet et revelaret mare bonitatis suae, et manifestaret robur virtutis suae, et notam faceret scientiam sapientiae suae, post tempora longa, ut ita dicam, et hominibus ineffabilia, puto autem etiam omnibus creaturis, quamdiu iudicavit aequum esse ut moraretur neque crearet, post creationem mentium illarum quas mens magna ad similitudinem suam creavit, quae sunt splendores lucidi secundi quos lux prima splendere fecit, virtutes spiritales et caelestes, immateriales et incorporales, pulchritudines eximiae, imagines pulchritudinis illius quae est super omnia, repraesentationes accuratae creatoris sui quantum hoc possibile est creaturis, ministri assidui voluntatis factoris sui, post creationem hanc simplicem et Deo similem, subtilem et agilem, ut ita dicam, intellectualem et spiritalem et propinquam et aliquo modo creatori suo cognatam, creare voluit etiam creationem alteram valde diversam et a se remotam, sensibilem scilicet et crassam, corporalem et capacem multas mutationes recipiendi.

Itaque ut bonus voluit et movit se ad creandum; et ut fortis et omnipotens voluntatem suam bonam, ipsius operis perfectricem fecit; et ut sapiens et cognitor omnium, omnibus convenientibus et necessariis et utilibus, a motu et momento primo, ditavit creationem istam quam fecit, ut esset in omnibus sufficiens ei propter quem creata est, qui post illam creandus erat. Ita, ut bonus et fortis et sapiens, Verbum opifex, Filius unigenitus mentis magnae, Dei Patris, factoris et creatoris omnium, qui est etiam Deus * verus et Filius Dei veri, sapientia * P et virtus genitoris sui, dextera et brachium roboris virtutis eius, splendor gloriae eius et imago perfecta ac repraesentativa bonitatis Patris sui, hanc nostram creationem sensibilem et corporalem a nihilo ad existentiam subito adduxit; vel, ut secundum mentem ac sensum plenum Scripturae divinae et Spiritu inspiratae loquar et sermonem caute, duce Spiritu, disponam, ita Deus Pater, creator et factor et causa omnium, per Verbum suum et Spiritum suum, qui sunt ei consubstantiales et coaeterni, aequales virtute et voluntate et potestate et operatione, creationem visibilem mundi huius sensibilis et materialis adduxit ad hanc formam magnam et ornatum mirabilem eximiumque, qui constat caelo et terra et omnibus aliis quae in medio sunt, quae in eis et cum eis sunt et creata fuerunt.

De hac creatione Spiritus sanctus et scriptor per Moysen dicit [1]: « In principio creavit Deus », vel, sicut alii interpretes tradiderunt: « In principio fecit Deus caelum et terram », dum illud « creavit », nihil differt sensu ab hoc « fecit », sicut in eis quae a nobis hominibus efficiuntur est intellegendum; sed utrumque auditori et lectori, propter quos etiam dicta sunt et scripta, significant quod cum haec creatio omnino non existebat nec condita erat nec ad existentiam venerat, Deus eam creavit et fecit et condidit et stabilivit et subito fecit ut existeret et videretur in forma sua essentiali et in natura substantiae suae, sicut et nunc sensibiliter videtur per omnes species et modos et qualitates varias ac mirabiles quae in ea et super eam et apud eam condita sunt. Notum quidem et com-

[1] *Gen.*, I, 1.

pertum est quod etsi Scriptura dicit Deum fecisse caelum et terram tantum, propter eorum maiorem cognoscibilitatem et * p. 47 visibilitatem, et ob effabilitatem et confessionem ab * omnibus, — omnes enim, ut ita dicam, vel simplices qui nihil investigant, conspiciunt et vident caelum et terram melius quam cetera, — tamen evidens est et confitendum est absque explicatione et absque contentione quod, una cum caelo et terra, simul creata sunt aqua et aer et ignis, quattuor elementa, inquam, universalia e quibus composita sunt et componuntur et in quae denuo resolventur omnia corpora quae in hoc mundo sunt. Ita, subito et uno temporis momento indivisibili et valde exiguo, Deus stabilivit hunc mundum et ornatum mirabilem et ineffabilem nutu voluntatis suae et motu roboris virtutis suae, ut ita dicam vocabulis humanis usus, quia non sunt mihi verba nec vocabula convenientia. Creavit et fecit et condidit materiam quandam corporalem quae esset sibi, tanquam opifici forti et artifici perito, materies sufficiens ad opera multa et mirabilia naturarum diversarum et corporalium, et ad species varias ac dissimiles, multas et innumerabiles, utiles scilicet et necessarias et commodas, quas testantur esse pulchras tum ipse creator tum homo spectator, propter quem creatae et praeparatae sunt. Haec autem erant quattuor elementa magna, comprehensiva et universalia, terra et aqua et aer et ignis, e quibus componitur et stabilitur hic mundus et quodcumque visibile aut saltem sensibile, omnia, inquam, corpora haec visibilia aut quae modo quocumque sub vim sensitivam cadunt.

Hanc igitur materiam quadruplicem differentiis seu quadruplicem elementis, quam opifex subito creavit, cogitatione prima considerare debemus fuisse adhuc commixtam, non separatam, et unumquodque elementum nondum cognitum fuisse nec separatum seorsim et manifesto. Etenim aqua tunc commixta erat cum terra inseparabiliter, forsan sicut massa quaedam * p. 48 lutea subacta et formata simul ex pulvere et aqua, * et aere et igne simul cum eis, tanquam cribratione et mixtione, et sicut gleba quaedam rotunda, composita et coagulata, subacta et formata simul ex fragmentis quibusdam arenosis et luto et aqua et stipula. Ita mens investigatione depingit et repraesentat quattuor elementa fuisse unum cum alio unam sphaeram

quandam rotundam, compactam scilicet et coagmentatam, ut ita dicam, dum elementa confusa et permixta erant, et aqua non erat limpida nec pure mundata a luto ut in se reciperet radium quendam aut fulgorem illuminantem, et visus pure penetraret et introspiceret in eam sicut nunc cum limpida est; neque ipsum lutum habebat statum firmum et compactum ut dure ac vere palparetur. Simili modo, aer non erat purificatus nec mundatus ab aqua; neque ipsa aqua ab eo aut ab igne; similiter neque ipse aer ab igne, neque ignis ab eo pure; sed ita commixta erant et confusa simul sicut fusile quoddam ex argento et aere et plumbo conflatum, quando homines avari, cupidi et fraudulenti adulterationem facere volunt sive in argento sive in auro. Id cum artifices mundare ab aere volunt et adulteratione cum eo permixta, dum plumbum in eo mixtum est, et comburunt illud igne forti et vehementi, vix possunt illud mundare ab eius adulteratione. Oportet nos cogitatione prima intellegere quattuor elementa materiae recenter creatae ita fuisse dum commixta erant, et unumquodque eorum pollebat qualitatibus sibi ab opifice inditis quae conantur illud necessario et naturaliter trahere ad locum quem ei assignavit voluntas factoris eius a prima eius creatione; quae qualitates idcirco necessariae ei sunt ut separaretur a sociis suis.

Quia vero exemplum quoddam, quod gerat vel parvam similitudinem, quantumvis * partialem, in sermone requiritur, * P
et imago quaedam quae innuendo ostendat typum rei quae dicitur, quamvis non sit nobis exemplum perfectum in omnibus simile, necesse est ut illud excogitemus et praebeamus per similitudinem, quantum fieri potest, ut auditor et lector ad uberiorem intellegentiam perducantur. Sit vero nobis huiusmodi exemplum: Sumat quis vas quoddam vitreum rotundum ac sphaericum, et mittat in illud simul, mensura aequali, vivum argentum seu hydrargyrum, mel purum, aquam et oleum; et statim aperte et facile videbit unumquodque eorum decertans secundum qualitatem naturae suae ut stet in loco sibi convenienti, dum hydrargyrum stat infimum, et mel supra illud, et aqua supra mel et oleum supra omnia. Quod si voluerit is, qui vas manu tenet, invertere illud et ponere latus eius superius infra et inferius supra, et coegerit ea mutare stationis

suae loca quae occupabant, statim videbit certamen eorum naturale et necessarium et sine ulla remissione, donec unumquodque eorum locum suum sicut prius occupet, et oleum stet supra omnia, et aqua infra illud, et depellant mel infra se in medium locum et hydrargyrum infra omnia.

Si autem volueris, sic etiam facito. Sume vas vitreum et fundens subito imple illud aqua, et statim videbis certamen aeris in aqua, dum fidit eam fissuris multis et adscendit in ea sicut fila tenuia, donec ponat seipsum totum complete super eam et purget eam a communione sua. Cum autem subtraxeris dimidiam partem aquae de vase, pro ea mitte in illud pulverem minutum, et concute et agita illa donec complete permisceantur et amittant unumquodque eorum adspectum suum naturalem; et deinde, cum reliqueris ea hora una, videbis quomodo purgaverint se invicem a mutua communione; unumquodque quidem
*p. 50 occupat locum suum sicut constitutum est, * dum pulvis considit infimus et aqua supra illum, et aer adscendit et considit supra utrumque. Id quidem faciunt ubicumque sunt et commiscentur, sive in fontibus, sive in stagnis, sive in fluminibus, sive in rivis parvis, [sive in variis vasibus parvis aut magnis], dum pulvis stat infimus et aqua supra illum et aer supra utrumque. Si autem volueris videre ignem sicut illa certantem currere ad locum sibi constitutum, etsi in vase eiusmodi operationem videre non possis, tamen videbis eum facientem certamen suum naturale ut separet se a communione horum trium et abeat in locum quem assignavit ei creator, per vapores et exhalationes quae adscendunt de lebetibus et ollis succensis, et per vapores qui adscendunt de terra humida sole calefacta, et per vapores et fumum qui adscendunt de incendiis, et videbis eum in adspectu suo perfecto cum exsilit de flamma et de concusso silice, et de fornacibus, et fidit secatque aerem linguis suis ardentibus et illuminantibus. Si autem exemplum parvum et partiale volueris, etiam in hoc vase vitreo, in quo conspexisti pulverem et aquam et aerem, motus ignis in sublime videre poteris, cum loco aquae frigidae calidam in illud effuderis; statim videbis in hoc vase exhalationes eius adscendentes sursum supra aerem qui in eo est; ita ut per omnia haec exempla et similitudines partiales discas haec quattuor

elementa in sua creatione a Deo naturaliter habere quod unumquodque eorum semper moveatur ad occupandum locum sibi a factore suo constitutum secundum qualitates in se insitas.

Terra igitur propter soliditatem et compactionem et densitatem tenebrosam et duritiem quae ipsi obtigerunt, et gravitatem frigiditatemque perfectam et magnam in ipsa insitas, et siccitatem similem siccitati ignis, constituta est ut sit media et interna et infima omnium, * et ut aqua circumplectatur * p. 53 eam desuper et extrinsecus a sex lateribus, et habeat terra similitudinem aliquo modo cum σημείῳ seu signo albo et parvo quod videtur in medio vitelli aurei in ovo; quemadmodum vitellus hoc signum circumdat et cingit ab omni parte, sic aquae terram a sex lateribus circumdant et cingunt, et sunt vicinae et consistunt ei proxime propter gravitatem et frigiditatem et condensationes partiales quae obtigerunt eis[1]. Et extra aquam et super aquam a sex regionibus seu lateribus, sicut albumen aquosum et humidum quod ovi vitellum circumdat, cingit aquam aer ille mollis et mundus et levis et purus et maxime tenuis et expers omnis qualitatis coloris. Item et extra hunc aerem et supra eum, a sex lateribus, sicut cortex ille tenuis, siccus et durus, qui totum ovum circumdat, Deus condidit ignem calidum et lucidum et illuminantem et levem et maxime tenuem, et siccum sicut terram, ut circumdet et amplectatur in seipso, et desuper et extrinsecus cingat tria elementa supradicta, aerem et aquam et terram, ita ut quattuor elementa, quae sunt intra invicem et extra invicem, disposita sint sphaerice, rotunde et circulariter. Terra enim est in aqua et sub ea; et aqua est in aere et sub eo; et aer est in igne et sub eo. Ita haec elementa a Deo factore suo creata sunt et condita et disposita ut moveantur in invicem, unumquodque ad locum sibi constitutum; nam terra movetur in aqua deorsum et intrinsecus, et aqua in terra sursum et extrinsecus, et aer in aqua sursum et extrinsecus, et aqua in aere deorsum et intrinsecus, et ignis in aere sursum et extrinsecus, et aer in igne deorsum et intrinsecus. Ita, aut ea quae condita sunt infima praeponderant et deorsum gravitate feruntur per ea quae sunt

[1] In cod. B, melius: « ei ».

supra ipsa, aut ea quae constituta sunt supera exsiliunt et se * p. 52 effundunt et adscendunt * per ea quae sunt infra et intra ipsa.

Haec est creatio secunda quam creavit opifex, quae contrarie se habet in suis omnibus modis et differentiis variis erga creationem primam, invisibilem et intellectualem, mentium splendentium et lucidarum, spiritalium et caelestium, Deo similium. Illa quidem est insensibilis et incorporalis, haec autem sensibilis et corporalis. Illa quidem est subtilis et levis, et mente tantum apprehenditur; haec autem est crassa et gravis, et oculis adspicientibus videtur aut quodam ex ceteris sensibus percipitur. Illa est immutabilis et ita semper absque corruptione permanet; haec vero patitur omnes mutationes et fluens est semper et corruptibilis. Illa quidem incepit, sed finem non habebit; haec autem incepit et finem habebit, aut, sicut dicunt verba sacra et mystica, mutabitur mutatione magna et manebit absque mutatione[1]. De hac quidem Scriptura testatur in initio temporis creatam fuisse, de illa autem, ne quando[2] quidem adducta est ad existentiam a creatore suo. Illa est simplex et singularis in existentia sua; haec vero a principio suo divisa est in quattuor partes, et plena est omni contrarietate.

Sic creatio haec secunda e contrario manifestatur aliena ac diversa in modis suis respectu creationis primae. Ex ea quidem est una pars unumque et primum elementum, ut ab eo quod est magis propinquum nobis et super quod positi sumus aut stamus aut ambulamus incipiam, terra scilicet seu pulvis seu, secundum aliud vocabulum, lutum. Haec gleba, super quam degemus aut volvimur, est unum et primum elementum huius materiae quam Deus hoc motu secundo creavit. Hoc quidem est corpus solidum et condensatum, crassum scilicet et durum et compactum, in quo insiti sunt omnes colores diversi, et in quo sunt omnes species et modi varii, et omnes odores et gustus om- * p. 53 nis generis. Hoc est principium[3] * omnis gravitatis et frigiditatis, effector malorum et causa corruptionis, et genitor tenebrarum nigrarum et horrendarum et inimicarum. Quapropter appellatum est etiam deus et ens malum a Manichaeis atheis

[1] Cf. *Rom.*, VIII, 21. — [2] Vide correctiones. — [3] Ad verbum: « mater ».

filiis malis et Mali, et a patribus eorum Marcionistis, et a primis patribus patrum eorum Valentinianis. Hoc « luctatur semper, sicut hi dicunt, adversus deum bonum et calidum et calefacientem, solem », ut verbis paucis ac brevibus secretum malitiae exponam, quia non est mihi otium multa adversus hoc dicendi; nam non est tempus controversiae neque nunc in sermone hac de re agitur. Haec est mater et generatrix omnium vaporum et exhalationum quae odores naribus animalium praebent, sive suaves sive exosos, et productrix saporum variorum perceptioni oris et gutturis quae qualitates probant.

In hac terra sunt species multimodae et qualitates variae rerum inventarum utiliumque hominibus: ferrum, dico, et aes, stannum, plumbum, vitrum, argentum, aurum, electrum; et margaritae omnes et lapides boni ac pretiosi: sardonyx, carchedonius, beryllus, sardius, topazion, smaragdus, anthrax seu carbo, sapphirus, iaspis, lyncurium et achates, amethystus, chrysolithus, onyx, lapis prasinus, crystallum, smyris, adamas, haematites, magnes et aliae lapidum species. Et stibium, arsenicum, lapis lazuli, alumen, minium, cadmia, vitriolum, pyrites cupri, chalcanthum et aliae species diversae et stillicidia pinguia quae manant ex pinguedine et fertilitate elementi huius, et sunt utilia et necessaria medicinae et aliis artibus et usibus hominum: bitumen, inquam, pyx, sulphur, naphta, hydrargyrum, et alia multa [illis similia] inveniuntur. Etenim in hoc corpore, sicut metallici et fossores et structores canalium narrant, sunt non tantum species exhalationum et vaporum suavium et gratorum et utilium, quae de terra adscendunt, sed, una cum eis, etiam exhalationes * quaedam mortiferae et exitiales * p. 54 hominibus et non tolerant, ut dicunt, nec lumina nec flammas ignis, quae in terra ad eas deferuntur.

Rursus, in eo diversi sapores inveniuntur, non tantum utiles et necessarii et commodi, ut dicunt medici, sicut sapor boracis et *mardekha* seu lithargyri, et alii multi similiter, sed simili modo inveniuntur in eo etiam alii lethales, qui sunt venenum mortis, sicut sapor hydrargyri et pyritae cupri et aeruginis et alia multa quorum nomina necesse non est ponere, e quibus homines mali et impii et athei pharmaca exitialia et mortifera sociis suis parant et praebent. Rursus, inveniuntur in luto terrae

sapores diversi et aliae qualitates, praeter eas quae enumeratae sunt, diversae coloribus variis et odoribus et gustu et differentia tactus. Talia sunt, inquam, insipida et insulsa(?)[1], et amara, et salsa, et alia multa quorum nomina nescimus; haec, cum aqua eis supervenit, efficiunt id quod vocatur borax, et sal dulce, et sal amarum, et nitrum aliasque species multas. Etenim etiam propter ea, aqua sapores diversos acquirit; et dum est natura sua unica specie et unica gustu et unica colore, mutatur secundum qualitates locorum et saporum in gustu et qualitate et aliquando etiam colore. Alia enim est aqua terrae nigrae et alia aqua terrae albae; et alia est aqua montium et alia aqua planitiarum; et differt aqua locorum saxosorum et ea quae est in desertis. Rursus etiam lutum differt virtute generativa et germinativa et nutritiva et augmentativa; in aliquibus locis invenitur germinans et faciens fructus multos; in aliis autem non potest germinare nec incrementum
* p. 55 dare. Et etiam lapides, * qui in eo sunt, simili modo differunt qualitate sua, sive coloribus sive odoribus, sive tactu et adspectu: est enim lapis adamas, quem dicunt insecabilem, et silex, et saxum, et marmor, et lapis molaris, et alabastrites; et est etiam *lapis* albus, et ruber, et niger, et aureus; et mollis, et durus, et gypseus, et nitrosus(?), et nitidus, et pellucidus, et recipiens lucem in seipsum, et etiam inutilis ex quo non est usus ullus; et aliae multae species quas mens aut sermo colligere non potest nec enumerare cum differentiis earum.

Quanta igitur est diversitas dispositionis et constitutionis terrae! Illa quidem constat montibus altis, asperis scilicet et imperviis, et divisa est ac secta rupibus inviis et foveis profundis, et alveis, et valleculis, et convallibus et fossis et collibus et vallibus; illa autem extensa est in planities et deserta vasta et invia et inaccessa. Illa vero est humida et profert effluvia aquae, et efficit fontes et stagna aquarum, et fluere facit flumina, et gignit arbores et silvas et germinare facit prata; illa autem est sicca et macra et nihil utile in ea germinat. Illa quidem est habitabilis et apta ad commorationem animalium; illa

[1] « Gypsea » seu « calcaria » secundum etymon. Hae voces, nobis incertae significationis, quae formam nominum qualitatis referunt, pro substantivis adhiberi et quasdam species fodinarum designare videntur.

autem est prorsus inhabitabilis quia non habet temperamentum moderatum et tolerabile hominibus aut animalibus, sive propter nimium frigus sive propter calorem solis urentem.

Praeter haec omnia, sunt in hoc elemento etiam cavitates longae atque profundae in terra, et speluncae et fissurae depressae et obscurae, et voragines et abyssi horrendae et altae quae sunt sub montibus et sub planitiis et desertis, quia ipsum solum inter cetera elementa naturam habet aptam ut talia in ipso sint propter compactionem et soliditatem eius; et hae cavitates non vacuae sunt sed plenae semper: illae quidem repletae sunt natura aquae, quae terram circumdat, et efficiunt fontes cum in multis locis desuper scinduntur; * illae autem aere laxo * p. 56 et molli; illae vero natura ignis exardescenti. Forsan autem interdum et alicubi nonnullae earum plenae sunt aqua et aere simul; rursus nonnullae ex voraginibus et cavitatibus inveniuntur plenae aqua et igne, aut aere et igne simul; et etiam aer et aqua fiunt calida et fervida et ardentia propter proximitatem suam ad ignem, ita ut, ubi illae desuper perforantur, et, sicut ceterae omnes cavitates, faciunt eruptionem supra terram, sive foramina sint aeris tantum, sive aquae tantum, sive amborum simul, fiant utiles curationi corporum hominum et animalium, praesertim eis qui morbis et doloribus ex frigore laborant, cum abluunt se in aquis calidis, quae sunt in illis locis, aut manent in calore qui ex illis oritur. Sunt etiam loca multa ubi natura seu ipsa substantia ignis erumpit et de terra sursum erumpens in aere supra terram conspicitur, et etiam a longe, praesertim noctibus, videtur, sicut in montibus qui sunt in Phrygia, et in illis Cretae, et maxime in illis Siciliae.

Itaque cum cavitates eiusmodi in terra sint, sicut diximus, ratio bene merito investigat unde sit nutrimentum elementorum illorum quae in eis sunt, aquae, dico, et aeris et ignis, ita ut sensim impleantur neque fiant vacuae dum ora foraminum coram se semper emittunt ex hoc quod in unaquaque continetur; ecce enim ab initio praeparationis terrae usque nunc non cessarunt neque defecerunt neque vacuae factae sunt. De his quidem cavitatibus, quae plenae sunt aqua, et de eis quae plenae sunt aere dicendum est. Sententia vero haud reiicienda est cavitates aquae ex maribus, quae terram circumdant, sensim ali

* p. 57 et impleri, cum aqua ex locis et regionibus, * quae sunt prope sinus marium, et altiora sunt respectu circuli sphaericitatis terrae, eiicitur et impellitur in cavitates ne deficiant; cavitates autem aeris impleri ex eodem aere, cum ex locis longinquis sint ipsis aditus qui aerem introducunt et eas gradatim implent, et etiam ex aere qui corpori terrae vicinus est.

Ratio autem de cavitatibus igne plenis, quia scilicet elementum igneum nullibi vicinum est terrae sicut elementa aquae et aeris, in multas cadit dubitationes, cum quaerit et investigat unde toto hoc mundi tempore gradatim impleantur, nec exhaustae fuerint, nec defecerint, nec cessaverint ignem emittere; sed saepe accidit, sicut narrant annales hominum, ut crateres, qui sunt in Sicilia insula, ignem fortiter evomant et emittant, ita ut ignis diluvie super faciem terrae exundet et loca multa comburat et consumat. Et sermo dubitatione premitur cum nihil evidens neque certum dicere possit. Forsan istae cavitates ex regionibus Aethiopiae torridae, prope aequinoctialem circulum sitae, quae semper subsunt radiis solaribus, et omni tempore adustae sunt calore et incendio aeris qui ibi sole accenditur donec ignis erumpat et terram comburat, habent pone seipsas aditus per quos flammis ardentibus implentur, et hoc semper facit ut non deficiant nec cessent ignem coram se emittere. Etenim, ut videtur, omnia foramina, quae sunt elemento huic igneo super terram, sunt in regionibus septentrionalibus, non in meridianis, et omnes thermae, quae aquas calidas attrahunt, in regione Palaestinae et aquilonem versus sitae sunt, et nemo est qui narraverit aut dixerit aut scripserit esse aquas calidas quae oriantur aut ignem qui erumpat sursum de terra sive in regionibus Arabiae Felicis, sive in Aegypto, sive in terris Aethiopum, sive in illis Africanorum,
* p. 58 * sive in Mauritania, sive in Caesarea, sive saltem in universa Libya, parte meridiana terrae habitabilis, ita ut ratio investigans dicere merito eligat aditus cavitatum illarum ignearum esse in regione australi, exitus autem et foramina cavitatum esse in regione septentrionali. Sunt enim qui narrent, ut id sermoni nostro adiungamus, esse in Chio insula locum in aquis maris, in sinu ubi aquae una statura hominis tantum altae sunt, in quo oritur fons aquae calidae et fervidae e foramini-

bus rupis quae est sub aquis maris. Cum locus iste innotuisset hominibus ibi degentibus, aquas calidas a marinis per ductum plumbeum separaverunt et fecerunt sibi locum ad lavationem et sanationem corporum hominum. Alii autem narrant esse in loco quodam, qui vocatur ʻUthār, in regione Emesenorum, exitum aeris calidi et urentis, et fissuram, quae in eo est, vento a regione meridiana spirante, fortiter emittere aerem calidum et vaporem ferventem et ardentem, ita ut nemo ad eum appropinquare possit, et inde opinio merito vindicatur aditum aeris ardentis, qui ibi est, esse a regione meridiana, et forsan similiter cavitates ignis inde habere aditus alentes qui non sinant eas deficere nec desistere nec cessare ab emissionibus suis. Quod si haec opinio de hoc dubio cuidam vera existimetur, acceptabilis sit ei qui vult; sin autem eadem dubitatio omnibus adhuc remaneat et mens dictis non confidat; relinquatur res, cum aliis multis incognitis et incomprehensibilibus, scientiae creatoris qui omnia novit, qui res ita secreto condidit * fecitque * p. 59
infirmae rationi humanae incomprehensibiles.

Dubium autem et ignotum omnibus est etiam illud: Quare necesse fuit existere in corpore terrae cavitates aeris et ignis? Evidens est enim et compertum cavitates aquae constitutas esse ab opifice ad solatium et beneficium hominum, ut fontes et flumina in terra efficerent. Et ad hoc dubium valde convenienter et merito dicitur Deum cavitates quidem aeris et ignis minime fecisse vanas nec sine commodo et utilitate generi humano omnibusque animalibus quae cum eo sunt; omnia enim pulchre et optime et sapienter et necessario constituit et posuit in toto opere creationis suae, nec fecit inter ea quidquam inutile et vanum.

Praeter haec omnia quae sunt commemorata et inclusa sermone demonstrativo, et hic scripta et tradita sunt intellegentiae, etiam scripto non consignata aut sermone praetermissa, et inaudita ignotaque pluribus non remanere debet res quaedam aut qualitas, aut operatio, aut nescio quid et quomodo eam vocem. Equidem magnum est et mirabile, et multis etiam incredibile, id quod Deus ita condidit et fecit, ut eveniat et efficiatur in locis terrae, intra abyssos eius absconditas, extra cognitionem et visum hominum, res scilicet quae, praeter tes-

timonia scriptorum physicorum et metallicorum qui terram fodiunt, testimonia scripta de se loquentia in quibusdam chronographis habet, et etiam ex verbis quorundam antistitum insignium qui aliquando in ecclesiis surrexerunt. Cum illis autem, etiam in sermone de consuetudinibus et narrationibus humanis, sunt multi qui dicant et verbo narrent se oculis res vidisse
* p. 60 quae testantur id quod nunc sermone expositurus sum. * Est qualitas quaedam, ut videtur, et accidens physicum in terra quod capax est mutandi, in variis locis in cavitatibus eius, lutum molle et dissolutum aquis, in quibus antea erat, et convertendi illud in substantiam duram ac solidam lapidis illudque reddendi velut saxum indissolubile et infragile quod vel ferro vix rumpi potest. Et testantur id verum esse et facultatem eiusmodi in terra esse, etiam verba viri diserti et insignis, Eusebii Caesariensis. Hic scilicet, etsi in aliis sit homo qualiscumque, tamen in rebus eiusmodi scias eum esse virum fide dignum. Dicit hic in historiis a se compositis, in proemio quod scripsit et disposuit ante Chronicon universale quod elaboravit, cum vult ostendere aquas diluvii vere consurrexisse super omnes montes terrae quindecim cubitis, sicut Scriptura dicit[1], et in hunc modum scribit[2]: « Diluvium vere consurrexisse supra montes altiores omnibus altitudinibus confirmavit nobis, qui haec scribimus, conspectus piscium diversorum qui temporibus nostris inventi sunt in excelsis apud vertices altissimos cacuminum montium Libani. Dum enim quidam hoc loco lapides ad aedificandum de montibus caederent, species piscium marinorum diversas invenerunt; cum illi scilicet in profundis, quae sunt in montibus, simul cum luto absumpti fuissent et concreti et indurati et quasi calefacti et arefacti et mutati in lapides, accidit ut maneant usque nunc, ita ut etiam per hunc conspectum testimonium Antiqui Testamenti nobis confirmetur». Testantur autem rem ita se habere quidam lapicidae, caesores lapidum, qui rupes in montibus secant et lapides excisos ad aedificia extrahunt, et etiam ego qui cum uno ex eis sermonem con-
* p. 61 tuli, et olim * narrationem rei audiveram et de narratis dubitaveram. Quem cum vidissem diligenter de re interrogavi, et

[1] *Gen.*, VI, 20. — [2] *Chronic.*, I, XVI, 12. (*Patr. Gr.*, t. XIX, col. 154; cum textu graeco ex Georgio Syncello).

cum testimonio iurato famam prius auditam mihi confirmavit et rem, sicuti erat, me docuit. Narravit enim quod, dum caederet et secaret lapidem excisum in monte Harranitarum, inventa sunt in lapide exciso, in media rupe, cum non esset in ea prorsus foramen neque aditus neque fissura, ossa carpi humani in ea strata et posita, et cum eis duae costae eis superpositae. Cum ferrum secans ad illa pervenisset et aliquid tenerum et fragile in rupe praeter consuetudinem ictu invenisset, dum ille vir leniter percuteret, sicut dicebat, educto lapide exciso, illa ossa servata sunt absque confractione et absque iniuria. Hanc quidem narrationem et testimonium ego ipse, qui haec scribo, ab oculatis testibus accepi.

Adiungatur autem sermoni nostro, propter confirmationem et propter uberiorem intellegentiam, etiam sermo unius ex viris disertis et famosis qui fuerunt in civitate Harranitarum. Hic vir, cum fortiter arripuisset patrocinium doctrinae fati et decreti quod est a septem stellis supra omnia quae in hoc mundo fiunt, adversus Vologesum edessenum, virum disertum ex fautoribus Bardesanis, qui cum eo disputabat et loquebatur contra doctrinam fati, et per ea quae fiunt naturaliter in terra eam confutare studebat, prompte ei respondit vir et haec loquutus est: Quod attinet ad res mirabiles quas dixisti esse in hoc mundo et interdum fieri, sunt quae vidi et sunt quae audivi; et ut scias me non controversiam proponere, ego quoque dicam id quod audivi quodque testantur multi qui viderunt in monte Beth Nešokh. Ibi dum lapicidae rupes scinderent et multum in lapicidinas descendissent, * inter secandum inventum est * D. corpus hominis et cadaver canis, res difficilis creditu; quae ego oculis meis vidi et alii multi mecum. Ille autem, qui adversus eum dicebat, narrabat sermone suo se vidisse locum ubi erat fons aquae infra in fissuris profundis terrae, et aquam, cum fluxisset et decidisset et mansisset in loco quodam, media terra, coagulari et indurari et fieri lapides quos homines frangebant et educebant foras in lucem, et non resolvebantur, sed similes erant, ait, alabastritae in quo sunt colores diversi; et mutata erat mollities aquae et facta sicut durities lapidis.

Haec et alia multa similia dicunt physici fieri per qualitatem illam naturalem elementi terrae, et evenire et effici in

ea sive ob frigiditatem multam, quae est in natura aquae, sive ob alias qualitates quae sunt in terra ipsa, quarum causae nobis ignotae sunt. Sunt autem illis similia quae testantur alia multa esse eiusdem qualitatis. Inveniuntur enim in alveis et in scissuris collium et in faucibus profundis rupes quaedam durae et insecabiles et prorsus indissolubiles quae speciem praebent corporum formatorum et compositorum ex luto et arena et lapidibus, quae mixtione unum corpus facta sunt; et videntur in lateribus eorum conchae quaedam margaritiferae et conchylia testacea aliaeque multae species eis adhaerentes et coniunctae quae sunt, ut ita dicam, ex natura ipsa rupis inseparabiliter. Rursus inveniuntur in alveis fluminum saxa alia formata quae constituta sunt ex sordibus et immunditiis quae sunt in aquis in quibus inveniuntur, et sunt dura et insecabibila, ita ut ex rebus eiusmodi et aliis similibus iam vera existimetur qualitas quae dicta est inesse naturae elementi terrae. *p. 63 Haec res, etsi * cum testimoniis a nobis posita est, nescimus quomodo vere se habeat neque quae sit causa eius efficiens, utrum humiditas aquae an siccitas terrae, utrum frigiditas an calor. Sunt autem, praeter haec omnia, quae sermo protulit, in elemento hoc terrae alia multa nobis abscondita.

Qualitates quidem et differentias varias et species et modos et sapores, qui sunt in elemento terrae, et cavitates quae sunt in ea, et dubitationem de illis, ita breviter et modo commemorationis sermo tractavit et exposuit. De magnitudine autem corporis terrae et de mensura quantitatis sphaerae elementi huius terreni, seu de inflatione crassitudinis luti huius duri et gravis et frigidi, non est nostrum perfecte ac vere dicere quanta sit aut quomodo sit, neque debilium aut imperitorum qui sunt sicut nos, puto autem dicendum, neque totius cogitationis aut rationis humanae, est scire et statuere, sed illius tantum qui scientia sua eam dimensus est et mensuravit cum eam fecit et praeparavit, de quo sacra Scriptura interroganter dicit[1]: « Quis tenuit omnia extrema terrae? Quis enim mensus est aquas vola sua » — audi Scripturam sacram, immo Spiritum propheticum scriptorem eius, loquentem — « et cae-

[1] *Prov.*, XXX, 4 (LXX); *Is.*, XL, 12-14.

lum dimensus est palmo suo et mensus est pugillo suo pulverem terrae? Quis libravit montes in pondere et colles in statera? Quis cognovit mentem Domini aut quis fuit ei consiliarius qui doceat eum?» Quae cum legimus et didicimus, nos quidem tanquam ex nostris nihil audemus dicere de mensura et mensuratione quantitatis magnitudinis terrae; afferemus autem opinionem et sententiam ex verbis sapientium qui desipuerunt et in multitudine sapientiae suae ea quae sunt supra captum suum aggredi ausi sunt. Igitur de * aliis multis et una * p. 64 cum eis etiam de hac opinione disseremus, ut inde cognoscamus utrum vera sit an falsa; etenim non est perfecte vera neque accurata, quia aut defecit aut abundavit. Miremur autem magnitudinem operationis Dei nec extendamus nosmetipos audacter, sicut illi, ad cognitionem eorum quae sunt supra vires nostras et ad incomprehensibilitatem virtutis eius quae in operibus eius videtur. Quidam ex eis, cum totum sphaerae terrae circuitum in trecentas sexaginta partes aequales geometrice divisissent, sicut astronomi qui sphaeram caeli in trecentas seginta partes simili modo diviserunt, omnem quidem partem statuerunt et dixerunt facere nonaginta milliaria, et omne milliare septem stadia cum dimidio, et omne stadium quadringentos cubitos, et dixerunt totum terrae circuitum, cum pertransitur ab occidente et ab oriente, et a superiore parte et ab inferiore parte circulariter, esse triginta duo milia et quadringenta milliaria, et de latere ad latus, cum funiculus mensorius transit per centrum eius, sive de occidente ad orientem, sive de austro ad aquilonem, esse tertiam partem omnium milliariorum circuitus eius, seu decem millia et octingenta milliaria. Alii autem ex eis, cum posuissent unamquamque partem esse septuaginta quinque milliaria tantum, dixerunt totum sphaerae terrae circuitum esse viginti septem milia milliaria, ita ut inveniatur funiculus ille mensorius, qui eam per centrum eius de latere ad latus dividit, novem milia milliaria. Hae sunt opiniones studii et audaciae cogitationis humanae de quantitate magnitudinis huius elementi, ita ut, — cum sive verae sint sive falsae. sive non attingant veritatem sive excedant, non minuitur magnitudo rei de qua tractamus, — sicut propter adspectum eius, ita etiam propter nimiam quantitatem men-

surae eius, potentia opificis eius miranda atque laudanda sit.

1. Unum quidem elementum primum ex hac materia corpora- *p. 65 li, quam Deus * opifex nutu voluntatis suae et verbo virtutis suae creavit, illud est quod vocatur et est terra seu lutum; et haec omnia sermo ausus est de eo dicere, sed multa omisit propter excessum et quia, si multiplicaretur aliaque multa sine mensura diceret, ab eo quod est conveniens et aequum et sufficiens omnimodo cessare deberet. « Quis enim, ait Spiritus[1], loquetur potentias Domini, aut quis enarrabit magnitudinem virtutis eius et auditas faciet omnes laudes eius?»

2. Elementum vero secundum, quod est post elementum terrae, est laxius et mollius et levius et tenuius elemento terrae, et spissius et durius et gravius et densius elemento aeris, hoc est quod est et vocatur aqua, quae est, iuxta verbum demonstrativum et significativum, corpus humidum, molle, solutum, perspicuum, mediocriter tenue, leve, moderate et minus quam terra frigidum, unius coloris et unius saporis, et contrarium siccitati terrae, et facile accipit ut misceatur cum ea et solvat maciem et duritiem eius propter liquiditatem et mollitiem suam. Non solum cum natura terrae seu luti promptum est ut facile et cito commisceatur, sed etiam cum duobus ceteris elementis, aere, dico, et igne: cum aere quidem, quando aqua sicut fumus miscetur per vapores tenues; cum igne autem, quando in ollis accensis permiscetur. Ita se habet elementum aquae quod tunc ab initio terram circumdabat et complectebatur desuper et extrinsecus et a sex lateribus, sicut supra diximus, et propter gravitatem suam descendebat et certabat ut e sublimi consideret super eam; cum ea enim continuo certabat ut se separaret et purificaret et naturam suam nitide mundaret a natura terrae turbida et spissa et gravi. Hoc est elementum materiae secundum post elementum terrae.

*p. 66 3. Elementum autem tertium, post elementum aquae, quod naturam aquae desuper et extrinsecus a sex lateribus, sicut supra dictum est, similiter circumdabat, et erat tertia sphaera extra eam, est natura munda et laxa aeris tenuis qui propter suam levitatem et tenuitatem et puritatem etiam ipse continuo certabat ut se nitide purgaret a natura aquae spissa et

[1] *Ps.* cv, 2.

gravi, qui, iuxta verbum demonstrativum et significativum, dici debet corpus tenue, purum, mundum, molle, et subtilius et lucidius omnibus corporibus. Propter hoc sensus visionis eum facile et sine impedimento pertransit, cum intuetur et videt a longe omnia corpora in eo commorantia. Accipit autem in se, propter laxitatem et mollitiem suam, ut cum ipso misceantur et coniungantur tanquam suae, non solum qualitates contrariae vicinorum suorum, frigiditas aquae, dico, et calor ignis, cum fiat et dicatur nunc frigidus et nunc calidus, sed etiam cum eis facile et valde convenienter accipit ut substantia seu natura duorum horum elementorum cum ipso commisceatur et coniungatur et aliquid unum cum ipso existimetur. Quapropter cum tribus modis seu differentiis videtur esse. Apud terram quidem, ubi vicinus est ei eique adhaeret, procul ab elemento aquae, videtur esse purus et mundus et siccus, nam parum tantum pulveris tenuis de terra invenitur cum eo commixtum, et hoc propter coarctationem et constrictionem mansionis eius in medio. Et quia sicut in utre ita includitur et circumscribitur a factore extra duo haec elementa in ipso inclusa, terram, dico, et aquam, propter firmitatem et stabilitatem suam * extra illa, non permittit ut illa sint supra * p. 17 ipsum et extra ipsum, nec ut ipse sit sub eis et intra ea, sed tanquam aliquid stabile et condensatum, et, ut ita dicam, tanquam corpus solidum et durum semper continet ea ne egrediantur, mandato factoris sui qui condidit et constituit eum; sic etiam firmamentum vocatur a Scriptura sacra, et caelum. Supra illum est zona secunda, ubi cum eo miscetur et unitur natura aquae et fit cum ea aliquid unum commixtum et compositum inseparabiliter, ut ita dicam, et est humidus et mediocriter frigidus, condensatus et spissus et densior quam ille qui est sub ipso. Deinde supra hanc zonam tertia aeris zona videtur, constituta aequaliter ex mixtione aeris et ignis, semper fervida et ignea, arida scilicet et tenuis et privata omni humiditate, quae est et vocatur a Graecis aether, quod interpretatur aer igneus. Hoc est elementum tertium.

4. Elementum autem quartum materiae est ipsa natura ignis sola, quae tria cetera elementa in se et sub se per circuitum amplectitur et circumdat, secundum mandatum voluntatis creato-

ris eorum, ne circumvagentur neve disperdantur, et constringit ea ut sint sphaera quaedam composita et rotunda, tanquam domus aedificata et constituta e materiis diversis, lapidibus, dico, lateribus, lignis et tegulis, cuius fundamenta, parietes, trabes et tectum sunt unum opus compositum colligatum perita eius scientia qui illud aedificavit. Hoc vero elementum, iuxta verbum demonstrativum, est corpus [aridum], calidum, leve, tenue, lucidum et illuminans omnia corpora. Hic ignis, dum est pars corporum et positus est et absconditus in eis, non est eis
* p. 68 nocivus; * cum autem ab externa parte eis supervenit, omnino invenitur dissipator eorum et destructor. Hoc est elementum quartum materiae quam Deus opifex creavit ad stabilimentum et compositionem omnium rerum corporalium quas creaturus erat. Et haec est creatio secunda, quam creavit et fecit in initio mundi huius visibilis et materialis, de qua Moysis liber dicit: « In principio fecit Deus caelum et terram ». Id est quod Deus creator adduxit et transire fecit de nihilo ad existentiam, propter stabilimentum mundi huius, et appellatur materia operum Dei, et constat quattuor elementis, seu quattuor partibus diversis, quae dicuntur terra, aqua, aer et ignis.

Sermo vero meus infirmus et deficiens haec tantum dicere potuit de creatione hac corporali, quam Deus, opifex omnium, creavit, quae est et vocatur una materia quadruplex corporibus et quattuor elementa diversa ex ea divisa; et cum sermo ab imo et ab eis quae sunt prope nos narrationis suae initium fecerit et finem in superioribus, incepit ab elemento terreno et infimo et finem habuit in elemento superiore, igne. Verumtamen quia liber Moysis sacer non solum de institutione huius creationis apte narravit, sed etiam de ordine eius praeparationis valde convenienter loquutus est, necesse est ut verba Scripturae sermoni meo debili et infirmo continuo adiiciam, ordinem et disponam, atque eius infirmitatem et haesitationem vi, firmitate et limpiditate eorum roborem. « In principio, ait Scriptura, fecit Deus caelum et terram », dum caelum et terram vocavit quattuor illa elementa, quae sermo posuit, caelum honorans prioritate propter prioritatem gloriae eius apud omnes tanquam habitationem Dei. Hanc enim simplicium opinio-

nem verbaque laudatoria, *nempe* Deum iudicem et definitorem in caelo, non autem in hoc mundo nostri hominum habitare, * p. 69 Scriptura amplexa est, ex * more hominum qui vident dominos in conclavibus contignationum superiorum habitare, et servos in habitationibus inferioribus. Et, amans brevitatis, caelum et terram tantum memoravit atque posuit, nec recitavit nomen aquae nec aeris nec ignis, quia sciebat lectores intellegentes ea cognoscere; haec enim cum illis creata sunt. Spiritus enim scriptor hunc mundum universum et quae in eo sunt inclusit et posuit sub nomina horum duorum praecipuorum et magnorum. Et cum in sermone priore terram posuisset posteriorem, in sermone secundo ad terram revertitur ponitque historiam eius. Dicit enim: « terra erat t o h et b o h », id est, invisibilis et incomposita, et « tenebrae erant super abyssum, et Spiritus Dei incumbebat super faciem aquarum ». Ecce vero etsi in sermone priore aquas non memoravit nec de creatione earum loquutus est, tamen in sermone secundo, cum de positione earum loqueretur, declaravit et ostendit eas existere et prius simul cum terra creatas fuisse, et propter hoc terram fuisse invisibilem, quia aquae illam per circuitum circumdabant, et in profundo cordis abyssi aquarum abscondita erat.

Perrexit autem dicere sermone suo quod non solum invisibilis sed incomposita erat, ut verbis suis clare ostenderet eam, dum circumdaretur abysso aquarum, nondum fuisse aptam ad hoc ut animalia super eam ambularent et habitarent, nec idoneam ad plantes et arbores et radices et herbas et semina quae in ea germinarent et ex ea nutrirentur et super eam crescerent; quod significabat vox « incomposita ». « Et tenebrae, ait, erant super faciem abyssi » aquarum quae terram circumdabant; quia aquae commixtae erant aeri qui erat supra ipsas et adhuc velut unum corpus cum eo constituebant; et cooperta erat caligine et tenebris densis desuper, quia scilicet aer nondum mundus erat quem pertransiret fulgor illuminans, neque * aestus erat qui caliginem dissiparet. Etenim ele- * p. 70 mentum ignis nondum purificatum erat nec perfecte mundatum ab aquis et aere quae erant sub ipso. Propterea igitur tenebrae adhuc diffusae erant super abyssum quae terram cooperiebat, et ipsae erant quae ita eam magis invisibilem reddebant.

Et « Spiritus Dei », creator, qui dat vitam et spirat halitum, perfector et obsignator omnium creaturarum, qui dat animationem et motum et sensibilitatem omni viventi, « ferebatur et incubabat aquis », quas faceret fructiferas et germinantes. et cum eis etiam terram quae in eis erat. Et haec dicta sunt a Scriptura Spiritu inspirata tanquam de more apud nos homines. Et nemo mirari debet quod Scriptura Spiritus Dei in compositione sermonis sui morem sermonis humani imitetur. sed hoc mirari debet, quod est vere mirabile et laude dignum, quod Spiritus veritatis inimicis veritatis concedat ut veritatem suadeant et declarent et scribant, dum imitantur etiam ipsi verba veritatis, ita ut inde magis credatur veritati cum ab inimicis profertur et ostenditur. Ecce enim in libris Chaldaeorum, qui affirmare volunt caelum, terram, solem, lunam omnesque stellas esse entia increata et deos et dominos et rectores et curatores huius mundi, scriptum est haec a Spiritu Dei fovente creata fuisse, dum servant, etsi inscii et inviti, ordinatim et verisimiliter, similitudinem quandam et typum adumbrantem quae similia sunt ordini et seriei verborum nostrorum; ad verbum enim ita loquuntur[1]: « Olim omnia erant tenebrae et aqua, priusquam essent dii et homines; et spiritus incubabat aquis, et has septem planetas creavit, et fecit eis caelum et terram et signa Zodiaci in mansionibus eorum, et terminos regno eorum, et gradus cursui eorum; et instituit diem ac noctem, et depinxit figuras in signis Zodiaci, et posuit
*p. 71 formam in terra et regiones * in caelo. Et primum fecit Bel et post eum Marwad, ut dominos deorum, et, post eos, ceteros; et lunam et solem fecit reges diei ac noctis ». Ita declarata est similitudo verbi veritatis etiam ab adversariis et inimicis veritatis; et ita ipsi quoque verbis antiquis et brevibus, sicut Scripturae nostrae, sermonem de creatione caeli et terrae et omnium quae sunt in eis fecerunt, et verbis suis clare ostenderunt ea non esse increata aut non facta, iuxta opinionem ethnicam et erroneam, sed esse opera Dei creatoris omnium. sicut Scripturae Spiritus veritatis docent.

Cum autem elementa adhuc sic commixta essent nec mundata a se invicem, nec tunc perfecte separata, ita ut unumquod-

[1] Locum scriptoris profani (obelo enim notatus est) non reppeci.

que qualitates sibi naturales pure haberet, aqua scilicet limpiditatem suam, aer munditiem et puritatem suam, et ignis illuminationem et calefactionem suam, tunc dicit Scriptura: « Iussit Deus et dixit: Fiat lux, et facta est lux ». Scriptura verbis brevibus manifestavit id quod mandatum Dei voluit fieri cum dixit: « Fiat lux »; et statim subiunxit et posuit sine intermissione ac continuo: « Et facta est lux », et celeritate brevitateque sui sermonis ostendit id quod iussum fuerat statim et sine mora opere completum fuisse; et indicavit mystice simul et tacite eum ad quem mandatum factum est. Etenim ad illum, qui mandatum ad opus perducere poterat, omnino dicta sunt haec verba cum dixit imperative: Fiat lux, et statim illico lux facta est. Et apertum est quod haec dixit ad Verbum suum opificem quod est sapientia eius et virtus eius et brachium eius, quod dicit[1]: « Quando praeparabat caelos cum eo eram, et quando validas faciebat nubes desuper, et quando tutos faciebat fontes qui sunt sub caelis, et quando confirmata faciebat fundamenta terrae, eram apud eum componens», tanquam ex persona sapientiae loquens.

Haec igitur verba Scripturae *sacrae inspirata ostendunt * p. 72 Deum ad Verbum opificem, sapientiam suam, dixisse: Fiat lux; et apertum est haec dicta esse atque scripta ut ad nos exiret fulgor scientiae, sapientiae et operationis Dei. Notum est ergo quid sit quod dixit: « Fiat lux »; illud autem: « Praeparabat caelum », erat: Mundentur et purificentur elementa aeris et ignis, et videatur lux in aere et illuminet super aquas, et immittat fulgorem illuminantem usque ad fundamentum abyssi dum aquae purificantur. Et illud: « Validas faciebat nubes desuper », ostendebat firmitatem firmamenti quod est in aere; et illud: « Tuta faciebat fundamenta terrae », nihil aliud innuebat et significabat nisi ostensionem et confirmationem et compactionem terrae, cum separaretur et elevaretur a facie abyssi elementi aquae quod super eam diffusum erat et coacervatum. Ita Deus dixit ac iussit: « Fiat lux », et ita natura ignis statim purificata est et ostendit lucem suam, filiam essentiae suae, et emisit fulgorem suum ad mundandum et purificandum

[1] *Prov.*, VIII, 27-30.

aerem qui est sub ipsa. Lux enim filia est ignis in quo condita est ab initio creationis eius, quemadmodum et umbra illa obscura et obscurans filia est corporis solidi elementi terrae. Ita facta est lux et illuminavit omnia quae sub ipsa sunt, id est, aerem et aquam et terram, iuxta mandatum creatoris. « Et vidit Deus quod esset pulchrum ». Et Scriptura sacra etiam testimonium laudis eius Deo attribuit. « Et separavit Deus inter eam et tenebras », filiam et umbram terrae; quia ubi haec lux cognita est, statim illico illae generatae sunt, et separatae, et factae sunt hostes eius situ et statu contrario; propter hoc Scriptura dixit: Separavit Deus inter lucem et tenebras. « Et vocavit Deus lucem diem et tenebras vocavit noctem ». Haec est mens et sensus verborum quae Deus dixit: Fiat lux. * p. 73 Mandatum illud, quod elementum * ignis movebat ut purificaretur et mundaretur separando se ab aere vicino suo, et ostenderet lucem quae erat in natura sua ab initio creationis suae, ita adimpletum est et cognitum et scriptum; et exivit ad nos mandatum primum Dei factoris, et ita traditum est et scriptum diem primum factum esse.

« Et dixit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit dividens inter aquas et aquas; et factum est ita. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus inter aquas quae erant sub firmamento et inter aquas quae erant super firmamentum. Et vocavit Deus firmamentum caelum; et vidit Deus quod esset pulchrum; et factum est, ait, vespere et factum est mane, dies secundus »[1]. Mandatum quidem primum quod dixit : Fiat lux, erga elementum supernum et exterius naturae ignis edictum est, ut nitide separaretur et purificaretur et ostenderet lucem suam et illuminaret omnia quae sunt sub ipso et intra seipsum; mandatum autem secundum, quod sermo nunc ponit, erga naturam elementi aeris edictum est, ut ipse aer mundatus a natura aquae, quae sub ipso est, et purgatus et purificatus clare et perfecte constringeretur et firmaretur valide stabiliterque extra elementum aquae, atque aquas et terram, quae erat intra eas, per circuitum circumdaret, et fieret tanquam aer quidam constrictus et firmus, sicut videmus aerem esse qui

[1] *Gen.*, I, 6-8.

in utre conclusus locum quo egrediatur non habet; et propter hoc etiam ille videtur et intellegitur esse aliquid firmum, et palpatur ab eis qui vident et tangunt eum. Deus iussit firmamentum quoddam constrictum et validum fieri ex illo clare purificato et compresso et firmato super et extra aquas, et dividere inter aquas quae erant sub ipso et inter aquas commixtas aeri humido et genitori nubium qui est super ipsum, aeri scilicet ex quo mittuntur omni tempore, mandato opificis, rores et imbres et grandines et nives et glacies, qui refrigerat et conservat ea * quae in aere hoc sicco et puro commorantur, * p. 74 homines, inquam, et animalia et volatilia et plantas et arbores et semina et radices, ne laedantur aut comburantur aethere urenti et igneo qui sub sole est. Et etiam ex sphaera urenti et consumenti huius luminaris est firmamentum quod iussit Deus fieri inter aquas terrae superpositas et inter aerem aquosum qui est super ipsum, qui vocatus est aqua a Scriptura propter humiditatem et mollitiem suam, et hic est qui videtur in similitudinem coloris cuiusdam sapphirini, nigri et albi, et vocatur diciturque ab omnibus caelum; quia scilicet nihil aliud videmus supra nos in hoc aere puro et mundo et pellucido, in quo versamur, nisi hunc conspectum concavum aeris, parem et similem colore suo caeruleo colori nigro et caeruleo abyssi marium. Ita ergo firmamentum factum est et paratum mandato factoris, et divisit, sicut Deus dixit, inter aquas diffusas et sparsas circa terram, et eas quae sunt supra ipsum, quae commixtae sunt aeri et constituunt zonam secundam et mediam inter aerem hunc mundum et illum urentem et igneum qui aether appellatur. Et ita hoc firmamentum vocatum est « caelum » a Deo, sicut dixit Scriptura; et vidit Deus quod esset pulchrum, et perfectus est dies secundus.

Cum autem de hoc mandato sicut de primo loquimur, ea quae dixit Scriptura: « Dixit Deus: Fiat firmamentum », Deo Patri, creatori et factori omnium tribuimus, quae ab eo dicta sunt ad Filium unigenitum, aequalem in essentia et aequalem in aeternitate et virtute et voluntate et operatione, tanquam ad artificem sapientem et peritum, et creatorem, et opificem fortem et omnipotentem. Illud autem: « fecit firmamentum », aut illud quod positum est: « vocavit Deus firmamentum cae-

lum », quod est pro: « fecit » aut « formavit », congruenter dicimus de Filio scriptum esse, quia est et dicitur Dei Patris
* p. 75 sapientia et virtus, et dextera et brachium; * et scriptum est et verum est quod per eum creavit creaturas et fecit saecula. Et ipse est qui hoc firmamentum fecit et vocavit seu formavit ut esset caelum supra nos. « Verbo enim Domini facti sunt caeli, scriptum est et cantatum, et spiritu oris eius omnes virtutes eorum [1] ». Ita factus est et paratus est aer hic mundus et purificatus, qui circumdat aquas et terram quae in eis est, a Verbo opifice, ut esset et videretur firmamentum et vocaretur caelum, et ita visus est Deo pulcher. Et Deus gavisus est et laetatus est in eo, sicut scriptum est, quippe qui illum pro terra habitabili paravit ut esset habitationi animalibus quae sunt in eo, et esset pervius naribus eorum propter mollitiem et munditiem suam nitidam. Hic igitur aer mundus et purus, in quo habitamus, est et dicitur caelum propter concavum suum et colorem suum obscurum; et propter hoc volatilia, quae in eo volant et natant et volitant, sicut pisces in aquis, appellantur « volatilia caeli », non tantum sermone communi, sed etiam ipsa Scriptura sacra, tanquam de more nostro et apud nos. Hunc scilicet, propter concavum et amplitudinem eius multam, visus carnalis et debilis non potest totum contueri nec suspicere nec penetrare usque ad summum, nec videre aerem illum humidum et aquosum qui est supra eum. Si quis velit dicere quod visus noster hunc penetrare potest propter eius puritatem et claritatem et pelluciditatem, et pertransire totum usque ad illum aquosum, omnino dicere debemus concavum huius et illius, quod videmus supra nos tanquam colorem quendam nigrum et album, id esse quod nos omnes homines appellavimus et appellamus caelum, in omni populo et in omni lingua. Itaque, sicut dixi, illum quem supra nos videmus nobis visibilem solemus vocare caelum; hic autem, sicut ecce iam saepe diximus, nihil aliud esse videtur quam concavum aeris huius qui est supra nos.

Igitur cum haec de hoc aere seu caelo sermo elaboravit et
* p. 76 posuit, adducimur * ut ponamus alia connexa, quae in cogita-

[1] *Ps.* XXXII, 6.

tionem veniunt, ut sint ad intellegentiam eorum qui in ea incident. Et primum quidem dicemus de appellatione quod dicimus š e m a i ā (caelum); deinde autem de omnibus quae videmus in eo fieri. Ś e m a i a autem, quod dicimus caelum, non est *vox* sermonis nostri aramaei seu linguae Mesopotamiae, sed e lingua sermoneque Hebraeorum *eam* mutuati sumus et sumpsimus, eaque iam utimur omnes de more et a longo tempore ut nostra, dum hoc ignotum est vel multis qui loquuntur aut legunt aut scribunt. Quapropter hoc vocabulum, quia adscititium est, voce prolata non dicitur apud nos singulariter et pluraliter; quoad sensum autem utrumque dicitur apud nos, cum uno eodemque vocabulo utimur tum singulariter tum pluraliter. Š e m a i ā enim dicimus de uno et š e m a i ā similiter de pluribus; nec possumus hoc vocabulum mutare quia, sicut dixi, alienum est nec proprium sermoni nostro. Apud Hebraeos autem, quorum lingua est illa prima Adami, hoc vocabulum dicitur singulariter, et etiam pluraliter auditur et scribitur. Dicunt enim š ō m ā singulariter et š ō m a i i m pluraliter; et quantum coniectare licet, hoc vocabulum e nomine et appellatione aquae habet etymologiam et compositionem. Etenim apud eos aqua dicitur m ā singulariter et m a i i m pluraliter, et š ō m ā, sicut dixi, est unum caelum, et š ō m a i i m pluraliter, ita ut igitur inde valde congruenter concludatur quod ex compositione adspectus huius albi et nigri, aeris scilicet et aquarum, quae sunt supra eum et commixtae sunt aeri et factae sunt velut unum corpus, existimetur et dicatur esse hic color sapphirinus, quem vocamus caelum, compositum ex aere et aqua. Apud Hebraeos quidem hoc vocabulum ita videtur compositum et lectum. Apud Graecos autem, qui existimantur rerum multarum eiusmodi studiosi, hoc vocabulum *dicitur o u r a n o s; cuius etymologia explicatur apud eos et compositio ex eo quod est terminus supernus; ita ut secundum definitionem dicamus caelum esse aut terminum supernum, secundum etymologiam vocis Graecorum; aut corpus compositum ex aere et aqua, secundum verba secundo loco superius allata; aut aerem constrictum et compressum, validum scilicet et firmum et purum et mundum super nos diffusum, et cavum et profundum et nigrum et album et

*p. [illegible]

stantem firmiter sub aere illo humido et commixto, secundum verba priora.

Naturam quidem et stabilimentum ipsius caeli, et appellationem et etymologiam nominis eius, sermo satis, ut puto, laudavit; haec autem, quae videmus effici in hoc aere seu caelo nunc sermo elucidans gradatim et clare pro viribus suis dicere et narrare tentabit. In summis quidem aeris huius puri et mundi et purgati nubes subito generari saepe videmus, dum non est in eo vel parum quid: nec magnae nec parvae exhalationes humidae, nec vapores ab imo adscendentes. Ex destillationibus et effluviis tantum aeris humidi et commixti, qui est supra illum, nubes graves fiunt et fluunt, ut ita dicam, quando mandato gubernatoris huius universi ventus orientalis aut meridianus spirat; in initio quidem videntur parvae et vix conspiciuntur; deinde vero cum paulatim ad occidentem aut ad septentrionem se movent, spissae fiunt, et cum sensim accipiunt destillationes humidas et incrementa successiva fiunt magnae et perfecte videntur et totum caeli conspectum obducunt. Videre autem possumus eas facile et celeriter dissipari et dissolvi et evanescere et invisibiles sensim fieri et absorberi in hoc aere quasi non fuissent, dissimili ratione formationis suae primae, quando, iubente gubernatore, subito spirat ventus septentrionalis qui illas ad regionem meridianam impellit. Ita videtur fieri in aere generatio nubium ex aere illo humido et aquoso, qui est supra hunc siccum et purum qui est apud nos. Similiter autem videtur haec nubium generatio ex aere illo humido com- * p. 73 mixtoque et dissipatio earum, * alio modo, tempore aestivo quando spirat ventus occidentalis et adest vertex quidam altus qui surgit et adscendit in aerem altius quam cacumina aliorum montium, usque ad fines aeris aquosi et humidi. Hanc enim generationem nubium ego oculis saepe vidi apud verticem illum altum, apud quem habitabamus in regionibus Antiochiensium. Generabantur quidem in summis aeris ad occidentem fastigii verticis illius alti, duobus aut tribus interpositis stadiis a monte, et adhuc videbantur obscurae et tenebrosae, ut secundum Scripturam loquar [1], velut

[1] Cf. III *Reg.*, XVIII, 44.

palma manus hominis; quae cum flante vento occidentali impellerentur ad fastigium verticis gradatim crescebant et videbantur donec, cum pervenissent recte ad fastigium medium et summum verticis, fierent ingentes et valde spissae et densissimae et totum montem operirent, et aliquando imbrem minutum et roscidum effunderent; et cum ventus paulatim eas ad regionem orientalem movisset, cum longe essent a fastigio verticis et ab aere humido et madido qui apud eum est, vorabantur in aere et dissipabantur, et prorsus fiebant quasi non fuissent; ita ut agnosceretur et concederetur ab omnibus spectantibus, illas propter humiditatem et densitatem aeris apud verticem illum excelsum ita generatas fuisse et visas esse spissas et densas, atque cum longe ab eo essent, imminutas fuisse et dissipatas.

Fiunt autem in hoc aere seu firmamento cum nubibus, aut in eis, ut congruenter loquar, etiam fulgura illuminantia et ignea, et tonitrua terrentia et fragosa, quando creator iubet et statuit ut ita fiant, praesertim in temporibus autumnalibus, dico, et vernalibus, cum luctantur in aere alia adversus aliam qualitates illae contrariae, frigiditas et calor; fiunt etiam fulmina * urentia et mortifera et exitiosa, quando ira furoris * p. 79 gubernatoris mittuntur ad castigandos peccatores aut ad cohibendos et terrendos multos ne peccent. Rursus, fiunt in eo et videntur noctibus fulgores ignei et illuminantes qui in eo volant ad omnes regiones velut sagittae volantes, et vocantur a multis simplicioribus stellae errantes et volantes. Illae in eo videntur interdum et praesertim quando Deus gubernator mutationes quasdam in ditionibus populorum efficere vult, forsan ad castigandos et terrendos multos qui talia videndo conturbantur; aut *quando vult* dare signum timentibus se, quemadmodum scriptum est[1]: « Ut non fugiant a conspectu arcus »; aut aliis rationibus absconditis cum, secundum iudicia sua incomprehensibilia, sive tempore vespertino pone solem versus regionem occidentalem, sive tempore matutino ante solem versus regionem orientalem, facit signa terribilia et terrifica quae habent fulgorem quendam luminis cum manifestan-

[1] *Ps.* LIX, 6.

tur, et ab eis egrediuntur virgae albae sicut radii splendentes; ex his *signis* quaedam figuram scoparum habent, alia autem similitudinem hastarum aut trabium productarum prae se ferunt, alia vero similitudinem stellarum in radice sua habent, et alia videntur quasi sint eis capilli super se aut infra se aut in uno ex lateribus suis, ita ut propter hoc appellentur a Graecis cometae et pogoniae et docides, id est, capillatae et barbatae et in modum trabis; et stant et videntur in hoc aere seu caelo se moventes et perlustrantes totum sphaerae caelestis circuitum diebus quibusdam determinatis, quamdiu placet gubernatori et tenenti habenas, rectori huius universi.

Praeter illa videntur in eo interdum noctibus, et quando vult is qui gubernat, etiam fulgores quidam lucidi et radii similes fulgoribus ignium accensorum, qui stant in una regione nec discedunt a locis suis, nec moventur diebus quibusdam determinatis; forsan et hi a Deo fiunt ad terrefactionem hominum aut ad annuntiandum aliquid futurum.

De fulguribus quidem et tonitribus et signis igneis et ful-
* p. 80 goribus * lucidis et illuminantibus quae videntur in aere, ita moderate sermoneque brevi mentionem fecimus. De destillationibus autem et effluviis quae de hoc aere in terram decidunt nunc in hunc modum dicemus. Ex humiditate et madore aeris huius aquosi et aquae commixti, ut ita clarius dicam, generantur nubes, sicut dixi superius; quando vento flante in se ipsas comprimuntur et condensantur, et vapores tenues, cum densiores fiunt et alius cum alio miscentur, spissi evadunt et crescunt et efficiunt guttas maximas quae aere molli ac laxo amplius sustineri non possunt, tunc nubes tanquam spongiae quae premuntur, descendere faciunt aquam et gignunt rores et imbres et guttas minutas et gratas, et etiam imbres vehementes et aliquando validos et graves. Cum autem nubes maiorem altitudinem in aere attingunt et aer frigidus sub eis abundat, si sint in eis flatus ventorum vehementes qui etiam fulgura et tonitrua solent in eis efficere, statim subito efformant lapides grandinis, aut gelicidium si non sunt valde altae. Si autem nullus sit in eas flatus ventorum, tunc ex eis gignitur aut nix cum frigore valido et duro, aut imber nivosus et laxus et levis et valde aquosus, si non est cum eo nimia frigiditas.

Disseremus autem, praeter haec omnia quae dicta sunt, etiam de destillationibus iucundis quae tempore aestivo et calido de aere decidunt. Temporibus quidem vernalibus, cum ex germinationibus iucundis plantarum et arborum dulcium gustu, et ex floribus et fructibus suavibus et gratis radicum et seminum herbescentium, temporibus autem autumnalibus et in fine aestatis cum ex fructibus suavibus qui sole maturescunt, adscendunt in aerem exhalationes spissae ac vaporeae, suaves et dulces et gratissimae, et in eo condensantur et maxime concoquuntur praesertim illa caliditate quae in eo coacervatur, tunc ex aere descendit sicut ros tener species dulcis mellis aut manna album quod in foliis arborum considit, similitudo manna illius quod Deus curator in deserto populo Israel descendere fecit. Cum autem Deus gubernator iubet vapores turbidos et exhalationes cum arena terrena commixtas in hunc aerem adscendere ex pulvere qui est super * terram, et sursum multum elevari usque ad aerem humidum et aquosum et cum eo commisceri, videtur etiam lutum de caelo descendere cum imbre levi et in lapidibus et in foliis arborum considere, sicut historiae scriptae iam ostendunt saepe factum esse; et etiam oculis nostris vidimus Deum id fecisse ad terrefactionem nostram et ad castigationem peccatorum et iniquitatum nostrarum.

Sunt autem multi homines adhuc inter vivos qui narrent se vidisse nivem rubram de caelo per hunc aerem descendere, tanquam ex causa prius allata, et dicunt quod cum consedisset in alia nive quae ante ipsam descenderat, agnoscebatur et videbatur multis diebus colore suo differre. Cum autem ex herbis quibusdam nocivis et forsan ex saporibus terrae et qualitatibus malis et noxiis, ut ita dicam, iussu gubernatoris, quando vult castigare nos propter iniquitates nostras, flatus et exhalationes turbidae et vapores nocivi in hunc aerem adscendunt et commiscentur cum madore illo qui stillicidia descendere facit, tunc descendit super segetes frumenti, tempore vernali, imber quidam turbidus et foetidus similis faeci, et considit et concrescit super folia spicarum viridium aut super spicas novas et teneras nondum maturas, et corrumpit segetes ne veniant ad completionem et dent nutrimentum, et conspicitur, postquam siccatus est, super stipulam spicarum earum-

que folia velut maculae croceae et signa pallida; quae res quia, ut videtur, colorem flavum habet, apud omnes populos plerumque appellata est rubigo, sicut ille morbus qui corpora hominum invadit et rubigo seu i k t e r o s a medicis nuncupatur.

De destillationibus et effluviis humidis, quae in hoc aere fiunt, sermo explanatorius ita breviter tractavit. Omittenda autem non est in sermone mentio motuum ipsius aeris tenuis et soluti qui in eo eveniunt in loco terrae vicino, qui ab hominibus [* p. 82] venti seu flatus vocantur, ut cum eis * et per ea quae dicentur de aere et de ventis, qui fiunt et flant in eo, notum sit omnibus, si est qui nesciat, aliud esse ipsum aerem seu naturam eius, et aliud ventos. Aer quidem est, — ut hic, dum occasio postulat, rursum eius definitionem et distinctionem reponamus, — corpus tenue, purum, mundum, molle et subtilius et pellucidius omnibus corporibus. Venti autem sunt, non id quod vocatum est aer, sed commotiones ipsius aeris ad quamcumque regionem, et transitus et discessus eius de loco ad locum, ita ut omnibus, etiam simplicioribus et imperitis qui legunt aut audiunt, compertum sit id quod movetur aliud esse ac eius motionem et incessum, quemadmodum aqua aliud est ac commotio et incessus eius qui videtur et est in flumine, aut in rivo, aut in alio canali. Venti vero seu flatus fiunt in regione aeris ex ipso aere cum movetur et incedit et transit et discedit de loco in locum, et volutatur sicut corpus aquae, et simili modo violenter impellit, modis multis ac diversis, alia corpora sibi occurrentia, sicut physici de eo narrant et dicunt, et multi homines, qui viderunt, pariter testantur.

Moventur quidem venti in aere ex quattuor regionibus sicut videmus, ex oriente, dico, et ex occidente et ex septentrione et ex meridie; ventos itaque e nominibus et appellationibus ipsarum regionum cuncti homines plerumque nuncupant et denominant, illosque tantum numerant et appellant praecipuos et omnibus notos. Solemus enim dicere ventum orientalem et occidentalem, et ventum septentrionalem aut meridianum. Sunt [* p. 83] autem et memorantur et appellantur ab omni populo alii * octo numero inter illos quattuor praecipuos iam cognitos et descriptos. Etenim unicuique ex illis praecipuis duo adsunt apud ip-

sum, ab utroque eius latere, qui oblique ac tortuose respectu huius praecipui spirant; his vero singulis in omni populo et lingua nomina quaedam diversa ac appellationes imposuerunt, ex nominibus scilicet locorum quorundam aut montium insignium qui inter eos sunt, quia non erant eis nomina fixa aut nota ex causis naturalibus, sicut quattuor illis praecipuis. Equidem quod attinet ad illos praecipuos, ne ullus eorum maneat absque explicatione demonstrativa, illum orientalem et illum occidentalem appellamus ex ortu solis super terram et ex occasu eius ab ea, et sicut nos plerumque etiam omnes populi. Ventum quidem meridianum (t a i m n ā) ita appellamus quoniam ex Hebraeis antiquis, quorum lingua prima est, nos quoque didicimus eum sic denominare. Illi hac appellatione eum vocaverunt quasi ex nomine civitatis Taimān, quam aedificaverunt filii Taiman, sive filii eius qui ex filiis Ismael[1], sive filii eius qui ex filiis Cethurae, sive filii eius qui ex filiis Esau[2], quia scilicet tres veteres sunt qui hoc nomine Taiman appellantur; et cum haec civitas meridiem versus ab habitatione Hebraeorum sita est, verisimile est hunc ventum inde appellatum fuisse Taimna tum apud Hebraeos, tum apud nos Aramaeos. Quare autem ille septentrionalis (g a r b i a) ita vocatus fuerit ab antiquis filiis Aram, nobis ignotum est.

Illos ergo quattuor praecipuos sic vocant homines. Illos autem laterales et obliquos, qui sunt apud eos sicut dixi, ex nominibus regionum aut locorum unde veniunt cum spirant appellamus, sicut incolae Mesopotamiae seu Edesseni vocant ventum aramaeum, et ventum aišumeum, et ventum deserti aliasque appellationes multas et diversas, omnes sicut olim obtinuit consuetudo et nomen. * Etenim et in Scripturis divinis talia inveniuntur * p. [illegible] scripta; et in historiis quibusdam a veteribus scriptis inveniuntur appellationes derivatae ventorum qui ex locis nuncupantur, sicut illud quod de Deo in psalmo scriptum est[3]: « Transtulit seu spirare fecit de caelo austrum et adduxit in virtute sua liba, et demisit illis carnem sicut pulverem et sicut arenam marium volucre pennatum »; et sicut illud[4]: « De omnibus regionibus congregavit eos », nam in eisdem psalmis etiam haec

[1] *Gen.*, XXV, 15. — [2] *Gen.*, XXXVI, 11. — [3] *Ps.* LXXVII, 26-27. — [4] *Ps.* CVI, 2-3.

scripta sunt: De oriente, et de occidente et de septentrione et de mari; dum notum est quod Psalmista eo loco nomen maris pro meridie posuit, quemadmodum in tota Scriptura sacra invenimus Hebraeos nomen maris pro nomine occidentis scribere, quia scilicet mare ad regionem terrae eorum occidentalem situm est; et rursus sicut illud quod in Actibus scriptum est[1]: « Exivit contra eos, qui natabant in mari cum Paulo, ventus typhonicus qui vocatur Euroclydon », id est, procella a regione Euri. Eurus autem est regio inter meridiem et orientem cui adhaeret proxime et continuo, paulum tantum deflexa ab eo. Et alia multa eiusmodi inveniuntur scripta in historiis, praesertim in eis quae a viris Graecis scriptae sunt.

Necessarium autem iudico hoc loco in sermone adducere etiam appellationes octo ceterorum ventorum seu flatuum, secundum denominationes quas viri Graecorum antiqui eis imposuerunt post illos quattuor praecipuos. Itaque, ut cum ordine congruenti et disposite omnes hi duodecim a nobis simul ponantur, sicut apud Graecos, ecce cum illis octo, qui recensendi sunt, disponam etiam quattuor praecipuos iam cognitos et descriptos. Sunt vero unus post alium ita: Orientalis; deinde Eurus qui est ad austrum eius et spirat ab ortu solis hiemali; tertius, Euronotus; quartus, Auster; quintus, Libonotus; sextus, Libs; septimus, Occidentalis, qui vocatur apud quosdam ex scriptoribus antiquis Zephyrus; octavus, Iapyx; nonus,
*p. 85 Thrascias; * decimus, Septentrionalis; undecimus, Caecias; duodecimus et omnium ultimus, Apeliotes qui est ortus solis aestivus. Hi sunt venti communes totius mundi, qui in hoc aere cum movetur spirant, et denominantur secundum regiones unde veniunt. Spirant autem in eo etiam alii multi modis diversis. Illi quidem egrediuntur et spirant e montibus altis et nivalibus et toto tempore aestivo ministrant, et aliquando deflectuntur in cursu suo vehementi propter positionem montium obliquam; illi autem ex foraminibus terrae egrediuntur et fortiter spirant, aut ex abyssis profundis sursum adscendunt; illi vero coram via nubium terribilium cum impetu currunt. Illi quidem temporales sunt tempore matutino

[1] *Act.*, XXVII, 14.

leniter spirantes; illi autem tempore tantum inclinationis diei spirant. Sunt autem quidam ex eis qui impetu suo directe progrediuntur sive leniter sive vehementer; alii autem motum suum circulariter peragunt, hi scilicet quos multi solent vocare procellas ac turbines. Sunt autem ex istis multi qui a Deo cum ira violenter mittuntur, et moventur impetu vehementi et forti, et vastatores sunt dum humi deiiciunt etiam aedificia alta ac munita, et avellunt plantas firmas a radicibus earum, et confringunt arbores ingentes impetu violento et irae pleno, sicut ille qui diebus nostris fuit, et vidimus oculis nostris ea quae fecit, terribilia et horrenda et incredibilia iis qui non viderunt et audiunt narrari, cum arbores excelsas tanquam cypera quaedam virentia de terra eradicaret et volveret sursum in aerem et in terram deiiceret, et saxa dura, quae volvi non possunt, devolveret ad terram velut calculos exiguos, et quodcumque occurrebat sibi, sive animalia sive plantas sive ligna sive lapides, tanquam stipulam siccam colligeret, et etiam aedificia sibi occurrentia, si permisisset gubernator misericors et amans hominum, funditus eruisset et stravisset super terram.

* Sunt autem aliae varietates ventorum et flatuum aeris. * p. 36
Illi quidem frigidi sunt, secundum vapores terrae frigidos, et efficiunt aut glacies duras aut gelu et pruinas sparsas sicut cinerem super terram; illi autem calefacti sunt et valde calidi, secundum inflammationem quae fit a sole in aere. Illi vero ministrant et refrigerant animalia et plantas, et dant incrementum seminibus et radicibus et omnibus terrae graminibus; illi autem sunt nocivi et exitiales omnibus, quando is qui gubernat vult castigare, sive cum ventum urentem spirare facit, sive cum iubet flare ventum ultra modum frigidum qui et aquas reddit sicut lapides, et flumina maxima indurat et facit ne fluant, dum conficit etiam pisces qui sunt in eis, et absumit animalia et volatilia et reptilia terrae, et arefacit plantas et arbores destruendo vel vim germinativam quae in eis est, sive cum immittit in aerem ventos morbidos et perniciosos qui morbos ac pestilentias inferunt, quos cum hauriunt animalia hominesque corrumpuntur et moriuntur.

Verumtamen quia plura de aeris agitatione agitavimus, nunc sermonem de illis parum morabimur, quo magis se exer-

ceat amore laboris ad utilitatem eorum qui in ista incident. Aliquando enim investigatur haec quaestio: Quare omnino necesse est ut ipse aer moveatur, nec semper stet tranquillus et immobilis sicut terra, nec sufficiat omnibus sola tenuitas solutionis eius et respiratio eius? Et ad hoc dicimus: In multis motus eius, una cum solutione et tenuitate eius, non solum utilis est et plenus commodis, sed praeterea prorsus necessarius omnibus creaturis corporalibus. Primo quidem, quia etsi est solutus et tenuis, nisi praeterea creatus esset mobilis, naribus animalium non facile attraheretur; deinde autem quia, dum * p. 87 est * solutus et tenuis et in eo movemur, et omnia corpora nobiscum, nisi creatus esset secabilis et mobilis, non discederet nec sese subtraheret coram nobis, nec daret nobis ambulantibus locum transeundi per ipsum, nec loca nostra successive impleret quando in eo movemur sicut pisces in aquis qui, quamdiu moventur et progrediuntur in eis, istae facile retrorsum gradatim accedunt et loca vacuata implent ne vacua remaneant. Ita enim opifex dispositionem mundi huius constituit, domus magnae et mirabilis quae prius praeparata est ac disposita propter hominem postea creandum, ut non esset in eo locus vacuus et haud plenus semper corpore quocumque e quattuor elementis aut ceteris corporibus ex istis compositis. Itaque, quemadmodum supra diximus, conditus est sicut uter inflatus ac firmatus, quo ligato, in eo non potest esse locus vacuus, neque quid amplius potest in se recipere praeter ea quae in ipso cum aere inclusa sunt; quod si accidat ut haec moveantur in utre inflato, statim ipse aer facile movetur et dat eis locum facile transeundi, et ipse implet locum eorum quae in eo moventur. Ita omnino sentire debemus de utre hoc magno in quo conclusae sunt omnes creaturae corporales quae indigent loco quo excipiantur, qui vocatur a nobis firmamentum constrictum ac firmum, quod plenum est et compactum et constrictum et firmatum valide, nec est in eo locus vacuus et nihil amplius potest in se recipere praeter ea quae mandatum virtutis creatricis in eo ab initio conclusit. Omnimodo enim in omni loco quocumque, qui est in hoc mundo, utre corporalium, unum ex corporibus est, sive terra, sive aqua, sive aer, sive ignis, sive aliud corpus ex istis compositum, et nullum ex eis locum suum vicino

concedit nec concedere potest, quia *scilicet non est locus vacuus * p. 88 in hoc mundo, nisi cum fecerit permutationem aequalem et iustam virtute [1] aequali et transitu aequali, dum concedunt locum aliud alii, et iterum accipiunt et solvunt invicem sine praecellentia.

Id quidem in fontibus facile videre possumus. Si vas cavum, cuius labium exiguum est, gutturnium dico aut amphoram aut urnam vitream, cogimus in aquas subito deprimi et mergi, videmus aerem et aquam certantes invicem in orificio hoc angusto, dum ille quidem quaerit adscendere et egredi ex eo, haec autem descendere et ingredi in illud et uterque occupare locum socii sui. Idem videmus cum conspicimus cucurbitulam quam ponunt chirurgi super corpora hominum; nam cum non sit locus superfluus nec possit esse locus vacuus, cum corpus ignis tenue ab interiore parte cucurbitulae discedit et non potest hunc aerem tenuem et solutum ingredi, statim necessario vellit et attrahit locum illum vacuum, qui in vase est ut ingrediatur in illum illumque impleat carne molli quae extra illud est. Sic possumus videre non esse in hoc mundo locum vacuum, et motum aeris esse necessarium una cum solutione et tenuitate eius.

Deinde autem possumus cognoscere motum aeris esse necessarium etiam ita: Aquae, cum colliguntur et quiescunt in uno loco nec moventur, vapidae [2] fiunt nec gratae sunt nec aptae ad potum hominum aut animalium. Similiter, et de aere videre licet quod si stat et quietus est nec movetur, statim fit et ipse gravis [2], malignus et morbidus, nec gratus est naribus hominum et animalium cum reddat membranam aridam et oppressam, et afflictionem et dolorem infert pectoribus quae eum hauriunt. Cum autem omni tempore movetur et flatus refrigerantes ventosque gignit, et motu suo attrahit frigiditatem quae exhalatur e vaporibus terrae et humiditatem moderatam quae adscendit * ex exhalationibus aquarum, et praeterea commovet ea quae * p. 89 cum ipso commixta erant et demittit ea per calorem qui multiplicatus est in ipso cum quietus erat et genuerat in ipso morbum et oppressionem cordis, tunc expellit odores malos in se coacer-

[1] Cod. B, fortasse melius, « mensura ». — [2] Vide correctiones.

vatos et morbos, qui ex eis in ipso generati erant, et fit gratus et acceptabilis ac refrigerans, et sanat et roborat corpora hominum animaliumque, dum movet ea attractionibus et motibus ex se, et suscitat germinationes arborum et plantarum omnium, et item revelat et movet folia earum et serpit in eis, et nutrit et crescere facit fructus earum eosque reddit suaves et dulces gustu. Fit enim, cum movetur, pervius et levis et facile finditur natura volatili quae in eo volitat et natat, sicut pisces in aquis. Cum autem non movetur, fit gravis et difficilis, et laboriose et vix finditur alis volatilium offendentibus, praesertim maximorum et corpore gravium.

His igitur, et aliis multis similibus, nobis et omnibus notum fit mobilitatem aeris et ventorum et flatuum qui in eo moventur esse [commodam] et utilem et omnino necessariam, quietem vero eius suffocantem et immobilitatem esse e contrario nocivas et causas morborum. Sunt autem in eo aere aliae species motionum ventorum et flatuum, sicut docti et periti rerum eiusmodi dicunt et narrant. Dicunt enim alios esse flatus ventorum qui sunt in maribus, et alios qui sunt in arida, et alios qui sunt in montibus, et alios qui sunt in planitiis, et alios esse modis et qualitatibus temperamentorum qui sunt in oris maritimis et in locis humidis, et alios qui sunt in regionibus aridis et desertis, et alios qui sunt in regionibus borealibus et frigidis, et alios qui sunt in terra calida Indorum et Aethiopum, in regione meridiana sita. Et multus esset sermo et valde pro-
* p. 20 ductus et extensus et supra vires mentis °et cogitationis nostrae, si de omnibus speciebus et modis et qualitatibus diversis ac variis, quas viri docti narrant esse aut fieri posse sive in elemento illo terreno sive in natura aeris, extenderemus narrationem productam et immoderatam et faceremus summam nominum multorum et vocabulorum et verborum. Hos ergo omnes et alios multos et diversos flatus ventorum, et alias motiones et res terribiles et horrendas, mirabiles scilicet et incomprehensibiles menti et ineffabiles, videmus Deum creatorem statuisse ut in hoc aere efficiantur nunc ad ministerium nostrum, nunc ad castigationem nostram, sicut placet sapientiae gubernationis eius mirabili et altitudini iudiciorum eius incomprehensibilium; hoc enim tantum novimus et dicere pos-

sumus quod omnia quae fecit sunt valde pulchra, sicut Scriptura sacra testata est et scripsit et tradidit, et quod Deus ne unum quidem ex omnibus fecit vanum, aut non pulchrum, aut non bonum et non utile et prorsus non necessarium vitae hominum. Cognoscere autem aut dicere quae sint causae illorum naturales, accuratae atque verae et efficientes una cum mandato illius qui ita statuit et imperavit et regit et movet ut fiant quando vult et quomodo vult, non est rationis nostrae nec captus mentis nec scientiae humanae, nec, puto, totius naturae creatae ac rationalis, sed relinquimus ea, sicut et alia multa nobis incomprehensibilia, scientiae sapientiae eius qui creaturas ita condidit et ita regit quando vult, et sicut novit utile esse generi humano.

De creatione ergo secunda, corporali scilicet et materiali et sub vim sensibilem cadente, quae est materia, quattuor elementa, terra et aqua et aer et ignis, et de horum differentiis et distinctionibus qualitatum unicuique propriarum; et de stabilimento creationeque caeli et terrae et eorum quae sunt in medio, quae pertinent ad completionem mundi huius magni * et ad ornatum mirabilem et eximium, laudatorem factoris * p. 91 sui; et de purificatione naturae ignis, elementi exterioris et superioris, et de manifestatione lucis ex eo et illuminatione; et de purificatione et mundatione naturae aeris elementi quod est in igne et sub igne, et de firmamento constricto et firmato quod constitutum est ex eo et in eo et separavit inter aquas quae erant super terram et eas quae commixtae erant cum natura aeris, quae positae et constitutae sunt ut sint contignatio media in aere illo qui est supra nos, humido scilicet et madido qui refrigerat calorem aetheris qui est supra eum, et nubes generat; et de multis aliis mirabilibus, quae Deus statuit fieri mandato voluntatis suae et virtute sua et gubernatione sapientiae suae in natura terrae et in natura aeris huius in quo habitamus et in illo qui est supra nos, sic sermo noster satis disseruit, o frater dilecte, amans doctrinae et amans veritatis, pro viribus suis et illuminatione sua ex Spiritu illuminante et datore rationis et scientiae.

Quia vero necesse est ut iuxta ea, quae sunt ex sermone nostro infirmo, etiam verba ex Scripturis sacris et a Spiritu inspiratis ponantur, nam roborant et confirmant illa claritate

et manifestatione sua, et testantur et demonstrant vocibus brevibus et paucis caelum et terram, opera maxima et eximia, et omnia, quae sunt in medio, creaturas esse Dei magni et opificis sapientis, creatoris fortis et omnipotentis, iam hoc faciamus et disponamus, et praeparemus hunc sermonem nostrum' ad completionem sicut decet et sicut postulat mensura conveniens. Equidem post testimonium ex viro insigni, mirabili et fide digno, Moyse, *allatum,* quod dicit: « In principio fecit Deus caelum et terram », conveniens iudico ut etiam ex aliis viris eximiis et dignis qui recipiantur, duobus vel tribus, testimonia clara iuxta sermonem nostrum ponamus, non tantum ad illuminationem et confirmationem et auxilium mentis eorum qui legent aut occurrent eis, sed quia praeterea etiam est ne-
* p. 92 cessarium * ad confutationem et correptionem eorum qui garrientes dicere audent hunc mundum aut non esse creatum vel factum, aut creatum esse et constitutum ex seipso, aut factum esse et dispositum a septem diis, stellis, rectoribus quae in caelo moventur et fulgent. Et primum quidem ponantur in testimonium verba illius viri magni et celebris et secundum cor Dei, regis et prophetae, David qui, cum vult docere laudationem opificis ex operibus eius, dicit[1]: « Caeli enarrant gloriam Dei et opus manuum eius annuntiat firmamentum; dies diei eructat verbum et nox nocti annuntiat scientiam »; et[2]: « Domini est terra in plenitudine eius, orbis terrarum et omnes habitatores eius; quia ipse in mari posuit fundamenta eius et in fluminibus praeparavit eam »; et[3]: « In verbo Domini facti sunt caeli et in spiritu oris eius omnes virtutes eius »; et[4]: « Dominus caelos fecit; splendor et decus coram ipso, robur atque laus in sanctuario eius ». « In principio terram tu, Domine, fundasti, et opus manuum tuarum sunt caeli; ipsi pertransibunt et tu permanens es; et omnia ut vestimentum veterascent et ut tegumentum obvolves ea »[5]. « Extendit caelum quasi tentorium, qui texit in aquis mansiones eius, qui posuit nubes currum suum et graditur super alas venti; qui fundavit terram super firmamentis eius ne moveatur et inclinetur in

[1] *Ps.* xviii, 2-3. — [2] *Ps.* xxiii, 1-2. — [3] *Ps.* xxxii, 6. — [4] *Ps.* xcv, 5-6. — [5] *Ps.* ci, 26-27.

saeculum saeculorum[1] ». Et rursus ad Deum dicit[2]: « Fundasti terram et fecisti eam ut permaneat ». Et rursus praecipit ut confiteamur Deo ac dicit[3]: « Ei qui fecit caelum in sapientia sua, ei qui firmavit terram super aquas ». — David quidem verbis istis testatus est atque laudavit operationem Dei. Salomon autem, filius eius et heres regni eius, verbis similibus dixit[4]: « Dominus sapientia posuit fundamenta terrae et condidit caelos prudentia, et scientia ipsius ruptae sunt abyssi, nubes autem stillaverunt rorem ». Et rursus, cum in nomine Verbi opificis, qui est sapientia Dei factoris atque virtus, loquitur, ait[5]: « Quando *praeparabat caelos cum eo eram, et * p. 93
quando constituebat circulum super faciem abyssi, quando secernebat sedem suam super ventos, quando validas faciebat nubes desuper, et quando tutos ponebat fontes abyssorum, et quando faciebat fundamenta terrae, cum eo eram disponens ». — Ieremias autem, propheta ille qui ab utero sanctificatus est, dicit[6]: « Dominus qui fecit terram potentia sua, qui condidit orbem terrarum sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos ». — Zacharias autem propheta dicit[7]: « Visio verborum Domini super Israel: Dicit Dominus qui extendit caelum et condidit fundamenta terrae ». — Ita quidem verbis testati sunt viri illi divini et a Spiritu inspirati de operatione Dei creatoris omnium. Et post haec testimonia ex Spiritu Dei per os hominum necessario et valde convenienter ponemus etiam testimonium ipsius Dei factoris de se ipso quod, cum ad Iob virum iustum faceret verbum, dixit[8]: « Ubi eras cum disponerem fundamenta terrae?» Et interrogat eum dicens[9]: « Quis numeravit nubes sapientia sua?».

Sic sermo noster infirmus, o frater dilecte et amans veritatis, potuit pueriliter balbutire et loqui pro viribus suis de creatione hac secunda et corporali quam Deus factor creavit; et sic tradidit nobis Scriptura sermonem de constitutione caeli et terrae verbis paucis ac brevibus, et sicut loqui decebat eum qui de aedificio palatii cuiusdam magni et regii narraturus erat. Et uno sermone primo, brevi scilicet et parvo, statuit et

[1] *Ps.* CIII, 2-5. — [2] *Ps.* CXVIII, 90. — [3] *Ps.* CXXXV, 5-6. — [4] *Prov.*, III, 19-20. — [5] *Prov.*, VIII, 27-30. — [6] IER., LI, 15. — [7] ZACH., XII, 1. — [8] *Iob.*, XXXVIII, 4. — [9] *Iob.*, XXXVIII, 37.

summatim dixit aedificatam esse domum habitationis regiae et tacuit ea quae sunt de praeparatione et ornatu eius futuro, relinquens ea sermoni secundo. Et ita finem sermonis nostri ornavimus testimoniis veris de operatione magna Dei fortis et creatoris ex viris maximis et insignibus et fide dignis, sacerdotibus et regibus et prophetis qui per Spiritum Dei locuti
* p. 94 sunt, * qui creavit omnia virtute sua et movit sapientia sua servos suos qui de magnitudine eius loquerentur et narrarent vim eius creativam; cui laus, honor et potestas ab omnibus servis suis et propter omnes, nunc et semper et in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit tractatus secundus, qui est de creatione caeli et terrae.

EIUSDEM TRACTATUS TERTIUS: De terra quae ex aquis revelata est et apparuit arida et praeparata est in habitaculum hominibus iussu Dei, et de maribus, sinubus, insulis, lacubus et fluminibus quae in ea sunt, et de montibus insignibus et magnis, et de seminibus, radicibus et arboribus quae Deus in ea germinare iussit.

Quicumque in hoc mundo aedificia exstruunt, sive domicilia privata, sive civitates communes, sive templa, sive alia eiusmodi utilia et necessaria habitaculo hominum, si domus sunt quae aedificantur, post completionem aedificii et consummationem tecti domus, statim curant praeparanda et disponenda et ornanda ea quae sunt in interiore eius parte, omnia quae necessaria sunt, pavimentum, dico, et lituram parietum, et ornatum et figuram tecti laquearis, et res imponendas et infigendas et alias res necessarias quibus habitantes opus habent. Sin autem civitas aedificanda est, exstructo muro et completis aedificiis communibus, statim aedificatores habent curae pavimentum platearum et horrea publica, et aquaeductus, et omnia parant quae communitatis habitationi necessaria et commoda et utilia sunt. Simili autem modo, Scriptura quoque sancta, morem legemque communem imitata, postquam magnitudinem operis Dei, creatoris, verbis paucis ac brevibus narravit et tradidit nobis et dixit[1]: « In principio fecit Deus caelum et terram », ea nempe adduxit et transire fecit de nihilo ad *existen- * p. 95 tiam, ostendit quod Deus, factor et artifex sapiens, hunc mundum, domum magnam atque mirabilem, aedificavit et constituit in habitaculum hominis quem postea ad imaginem et similitudinem suam creaturus erat : magnus quidem est mundus propter splendorem suum, mirabilis autem propter ordinem et harmoniam compositionis suae. Postquam dixit in sermone de terra quod erat invisibilis et incomposita ab initio, et ostendit sermone suo quod Deus dixit: Fiat lux et facta est lux, et quod

[1] *Gen.*, I, 1.

Creator firmamentum in medio huius aeris fecit, et texit in aquis contignationes eius, sicut dixit Spiritus psallens[1], et separavit inter aquas et aquas locum tutum et habitaculum dispositum et idoneum, velut palatium regium, in habitationem et quietem hominis regis et animalium omnium, quae ei data sunt ut ei serviant servitutem, et per ista magnitudinem virtutis et sapientiam potentiae creativae artificis et factoris, Dei, indicavit, nunc eadem Scriptura verbis suis Creatorem nobis introducit et ostendit praeparantem et ordinantem et ornantem ea quae antea creaverat. Et narrat et scribit traditque nobis quod Deus creator ad Verbum suum factorem imperative, sicut in eis quae iam praeposita sunt, propter aequalitatem voluntatis et aequalitatem operationis et consensus et identitatem essentiae et virtutis et potestatis, dixit cum voluit dissolvere invisibilitatem illam quae super faciem terrae posita erat: « Congregentur aquae quae sub caelo sunt in congregationem unam, et appareat arida; et factum est ita[2] ». Verbum quidem imperativum et operans simul et efficax, quod Deus creator et omnipotens loquutus est quodque factum est statim, celeriter et sine mora, solummodo nobis manifestavit et indicavit et scripsit et tradidit Scriptura, seu potius Spiritus, eius scriptor, ut notum fieret nobis et intellegeretur ab omnibus qui mente investiganti et sapienti et Spiritu illuminata pollent; verba autem indicativa magnitudinis et potentiae Verbi factoris, dexterae et virtutis Patris, statim adiunxit et in hunc modum dixit[3]: « Et congregatae sunt aquae, quae sub caelo
* p. 96 erant, in congregationes * suas, et apparuit arida; et vocavit Deus aridam terram, et collectiones aquarum vocavit maria; et vidit Deus quod esset pulchrum ». Scriptura quidem sacra ita verbis paucis vocibusque brevibus aequalitatem voluntatis et aequalitatem operationis mentis magnae et efficientis, Dei Patris, et Verbi eius factoris, nati ex eo, Unigeniti Filii, nobis indicavit. Pater dixit et iussit: Fiat, et Filius, ut fortis et aequalis in potestate, fecit et complevit id quod imperatum est. Quod autem Pater imperet Filio consubstantiali, id non ostendit hunc servum aut ministrum, sed Filium aequalem

[1] *Ps.* CIII, 3. — [2] *Gen.*, I, 9. — [3] *Gen.*, I, 10.

honore et aequalem voluntate. Quomodo autem fieri possit ut mens imperet Verbo quod ex ipsa est, intellectus naturae humanae non potest capere nec intellegere; sed cum ita dicit sermone perspicuo unam esse illorum amborum voluntatem, si quis dicat aliam esse voluntatem mentis, genitricis Verbi, et aliam esse voluntatem ipsius Verbi, hoc non solum falsum et inacceptabile videbitur, sed dementiam loquentis patefacit; ita igitur ut quod Pater dicat Filio « fiat » aliquid, [seu faciat aliquid], nihil aliud denotet nisi aequalitatem honoris et aequalitatem voluntatis amborum.

« Congregentur, ait, aquae, quae sub caelo sunt, in congregationem unam et appareat arida ». Sententia haec brevis dubia multa in mente generat multisque disputationibus indiget. Investigat enim ratio explorans et intellegens, et quidem bene merito, quo scilicet et ad quem locum aquae potuerint discedere et congregari cum iuxta mandatum a facie terrae recederent ut terra, ab eis nudata et exsiccata, arida et privata omni humiditate appareret. Notum est enim terram, sicut fetum secundina in utero involutum, ita in corde abyssi aquarum obvolutam fuisse, servatam in soliditate et densitate sua et in forma rotunditatis suae sphaericae et in gravitate naturae suae. Tunc in ea non erant loca alta nec loca depressa, nec montes nec planitiae ab eis diversae, nec fissurae, nec valles, nec solum ad unam partem declivius, praeter hanc in omnes partes simul communem et totalem declivitatem ipsi insitam propter rotunditatem et sphaericitatem suam. Sed parem aequalitatem * habebat ad aquas in tota sua superficie, nec in ea * p. 97
exstabant foramina interna nec prominentiae externae. Quapropter bene scito, o auditor amans veritatis et investigator prudens, quod Scriptura, dicendo terram invisibilem, statuit etiam et tradidit eam incompositam fuisse. Vere enim, cum ita esset sphaerice rotunda et tota superficies eius ad omnem regionem inclinaretur, prorsus incomposita erat, nec utilis nec apta ad habitationem hominum: unum quidem, primum et absolutum, quia, cum ita esset rotunda, fieri non poterat ut aquae a facie eius discederent; alterum autem, quia prorsus non apta erat ad habitacula hominum et animalium cum ita esset invisibilis et aquis operta esset; nec apta fuisset ad in-

crementum plantarum et arborum si, post apparitionem suam ex aquis, tota aequa et plana fuisset, sicut planitiae desertae, quemadmodum videmus ad hoc aptam esse terram quae sita est apud radices montium, et declivis est mediocriter ad unam partem quamcumque, et effluvia humida et stillationes aquarum e clivis eorum, et vaporem temperatum refrigerantemque modeste recipit.

Ita erat primum in aquis, invisibilis et incomposita: invisibilis quidem quia abysso aquarum operta erat; incomposita autem propter rotunditatem et sphaericitatem suam. Quamobrem Deus creator dixit: «Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, a facie terrae et appareat arida», ut sit simul non solum visibilis et conspicua, sed etiam praeparata et apta habitaculo et mansioni hominum et animalium quae sunt super eam, et germinationi generationique seminum et radicum, et nutrimento incrementoque plantarum et arborum frugiferarum. Sic tradidit Scriptura Deum creatorem locutum esse, et statim Verbum Deus, factor omnium et artifex, nutu virtutis suae omnipotentis, formam terrae rotundam et aequalem mutavit, et fecit ut subito exiret de termino sphaerae suae et prominentias extra lineas aequales rotunditatis suae et montes
* p. 98 et colles faceret, et ut rursus intra terminum suum * regressa faceret in se loca depressa et valles profundas et latas ad recipiendas aquas illas quae iussae sunt congregari a facie ipsius. Pars quidem terrae quae erupit sursum et elevata est, statim facta est visibilis; pars autem quae intus depressa est et desedit, spatium, sicut iussa erat, reliquit, et effecit locum paratum aquis quae discessurae erant a parte quae elevata est. Et aquae, iuxta mandatum, cucurrerunt et congregatae sunt a facie terrae elevatae et loca depressa occupaverunt; terra autem, quae revelata est, cum brevi tempore exsiccata fuisset ab humiditate sua, apparuit arida sicut iussa fuerat et simul facta est composita, exhibens in seipsa montes altos, rupes, cacumina, cavernas, alveos, planitias, convalles, valleculas, valles, colles, dorsa montium consurgentia, et loca apta, congruentia et utilia habitationi hominum.

Sic ratio illuminans et moderate interpretans sententiis descriptivis ostendit terram, quae olim invisibilis et incomposita

erat, mandato creatoris sui, subito factam esse visibilem simul et compositam. Quoniam vero exemplum demonstrativum necessarium est audientibus, etiam illud ex parte afferemus, pro viribus nostris, ut det eis intellegentiam et progressum ad cognitionem eorum quae dicta sunt. Sumat quis auditor sapiens, intellegens et prudens, partem ex pasta, quantum capere possunt ambae manus, et primum eam fingat et faciat in sphaeram rotundam; deinde premendo manu sphaeram illam mollis pastae, det ei aliam formam et mutet eam ab accurata rotunditate eamque praeparet ad hoc ut sit paulo productior et paulo oblongior in rotunditate sua, et faciat in ea digitis suis etiam loca depressa et loca parum eminentia et surgentia: hoc modo intelleget quisque et opinionem habebit de mutatione formae terrae, quae recepit altitudines et profunda nutu virtutis creatoris, cum aquae * iussae sunt ex ea congregari, et facta est * p. visibilis atque composita.

« Congregentur, ait, aquae quae sub caelo sunt a facie terrae in congregationem unam ». Congregationem unam dicit pro illo: Maneant aquae omnes ad unum terrae latus quod depressum est, et alterum latus, quod elevatum est, sit aridum. Scripturam non unum mare aut unum stagnum vocare congregationem unam, sed quod revera manent aquae ad unum terrae latus, sicut dixi, dum alterum latus est aridum, evidens est ex eis quae postea adduxit dicens: « Et congregatae sunt illae aquae, quae erant sub caelo, in congregationes suas ». Et dixit « congregationes » pluraliter, non autem congregationem singulariter. Et deinde subiunxit dixitque: « Et collectiones illas aquarum vocavit maria », ita ut igitur compertum sit omnes aquas non esse unam congregationem nec unam collectionem, neque Deum conclusisse illas in uno mari, sed in maribus multis, et in lacubus et stagnis, et in diversis fluminibus magnis et parvis, tum ex verbis Scripturae sacrae, tum ex contemplatione facti ipsius quae veritatem rerum testatur. Ecce enim cognoscuntur et conspiciuntur in terra habitata maria multa ac diversa.

Primum quidem est Adrianum, mare magnum atque dilatatum, seu, ut more Scripturae dicam [1], « hoc mare magnum

[1] *Ps.* CIII, 25.

et spatiosum » quod a regione occidentali universae terrae habitabilis e collectione illa communi et universali totius naturae aquarum, quae a Graecis Oceanus vocatur, erumpit et provenit. Incipit autem et egreditur in initio per exitum angustum apud Gadiram (Gades) insulam et apud Columnas Herculis quae contra terram Hispanorum sitae sunt; deinde autem dilatatum descendit ad orientem per mediam terram habitatam, et expandit se et operit et subiugat terram, in longitudinem quidem circiter ad quinque milia milliariorum et amplius, in latitudinem autem ad quadringenta milliaria, et habet finem suum orientalem ad Amanum montem, apud quem condita est civitas magna Antiochensium, et ad regiones Ciliciae, Syriae, Phoenices et Palaestinae. Hoc primum est mare terrae ab hominibus habitatae.

In hoc mari Adriano sinus sunt celebres: in medio ille qui
* p. 100 vocatur Tyrrhenicus, et ille Siculus, *et Atlanticus, et Creticus, et Aegyptius, et sinus qui dicitur Cilicius multique alii. Sinus autem qui ex eo oriuntur et septentrionem versus protenduntur: ille Italicus, qui vocatur Ionius et inter Italiam et Macedoniam fluit; et ille qui Aegaeus nuncupatur et inter Graeciam et Thraciam currit, et in mediam Thraciam infunditur; et qui vocatur Hellespontus, qui inter Thraciam et Bithyniam protenditur et confluit in mare quod dicitur Pontus vel, sicut alii illud denominant, Euxinus Pontus. Ad meridiem autem sunt Syrtis maior et Syrtis minor. Insulae autem sunt in eo quinque magnae: Sardinia, Cyrnus (Corsica), Sicilia, Creta et Cyprus; peninsulae vero: Peloponnesus, Chersonesus et aliae multae. Parvae autem insulae: Rhodus, Cos, Chius, Samus, Euboea, Ithaca aliaeque multae, quas omnes non ponimus ne multitudinem nominum afferamus.

Mare autem secundum artifex ille sapiens et ordinator in terra hac habitabili illud reliquit quod appellatur Euxinus Pontus; quod supra commemoravimus, et quod dictum est coniunctum esse cum sinu maris Adriani qui vocatur Hellespontus. Iacet autem secundum longitudinem de occidente ad orientem; incipit a regione Mysiae[1] apud Thraciam et exten-

[1] Nunc Moesia dicitur.

ditur in longitudinem usque ad terram Colchidis apud montes qui dicuntur Caucasii; longitudine est circiter mille trecenta milliaria, latitudine autem ad trecenta milliaria. Septentrionem versus prope ab eo situs est lacus qui haud multo minor est eo. Is lacus, cui nomen Maeotis, multa aquarum fluenta e fluminibus magnis quae sunt apud Sarmatas et in terris Alanorum et Hunnorum septentrionalibus recipit eaque volvit et effundit propter multitudinem eorum in mare Ponticum, et istud propter parvum suum alveum illa in mare Adrianum, quod meridiem versus iacet, emittit.

Deinde mare tertium opifex peritus in terra habitabili posuit, illud quod appellatur Hyrcanorum seu Caspiorum, neque ulli marium terrae habitabilis coniungitur. Id quoque ab occidente * ad orientem secundum longitudinem iacet, a finibus * p. [illegible] orientalibus Armeniorum et Albanorum usque ad fines occidentales regionum Sogdianorum, et spatium occupat circiter mille octingenta milliaria longum, et in media parte fere sexcenta milliaria latum. In illud autem influunt ex oriente Oxus et Iaxartes, flumina magna, quae in se trahunt omnia aquarum fluenta ex montibus qui sunt in terris Serium et Sogdianorum; item ex septentrione, flumen magnum, nomine Rha, quod in se trahit totum aquarum fluentum fluminum et montium septentrionalium et magnorum quae sunt in regionibus Scytharum et Turcarum et Sarmatarum, et alia multa magnaque flumina quae totam copiam magnam humoris ex hac regione terrae septentrionali manantis semper devolvunt. In hoc mari, propter multitudinem aquarum quae in ipsum semper effunduntur et omni tempore plenitudinem ipsius augent, fieri non potuit ut insulae exstiterint; ecce enim a saeculo usque ad hoc tempus vix duae tantum insulae parvae in eo conspiciuntur quae ad habitandum parum sunt aptae.

Mare autem quartum, omnium terrae habitabilis marium maximum, illud est quod appellatur mare Erythraeum seu Rubrum. Ex eo ad plagam septentrionalem profluunt sinus qui vocatur Arabicus, quem filii Israel e terra Aegypti egressi transierunt, et sinus seu mare quod appellatur mare Elamitarum. Ille quidem Arabicus erumpit et protenditur a fine occidentali ipsius maris Rubri septentrionem versus, a loco an-

gusto apud terram Aethiopum usque ad desertum Pharan, ubi transgressi sunt filii Israel[1], et occupat spatium in longitudine quidem circa mille quadringenta milliaria, in latitudine autem, in extrema parte meridiana, circa quadringenta milliaria, in fine vero septentrionali circa ducenta milliaria, aut fortasse minus. Sinus autem Elamitarum seu Persarum, e regione [septentrionali] maris Rubri erumpens, se effundit ad occidentem usque ad regiones Babyloniae, ubi Tigris et Euphrates, flumina magna, evolvuntur. Spatium quidem occupat secun- *p. 102 dum longitudinem circa mille * quadringenta milliaria, secundum autem latitudinem a meridie ad septentrionem circa septingenta milliaria. Ipsum mare Rubrum, magnum et incommensurabile, ex totis centum octoginta gradibus longitudinis terrae habitatae de occidentali ad orientem, spatium occupat centum duorum graduum a regionibus Aethiopum usque ad regionem Sinensium in fine orientali terrae habitabilis; et longitudo eius se extendit ab occidente ad orientem circiter octo milia milliariorum, latitudo eius autem a meridie ad septentrionem in variis locis circa duo milia septingenta milliaria. Itaque sunt in eo sinus multi et magni, et insulae multae et innumerabiles. Est quidem in eo insula magna, quae contra regiones Indorum iacet et appellatur Taprobane, cuius ambitus est fere quattuor milia milliariorum, et peninsula iuxta regionem Sinensium sita quae Chryse Chersonesus nuncupatur, id est, aurea insula. Hoc igitur mare Rubrum, quod est in media terra habitata, fere dimidiam partem orbis habitabilis continet, cum in latitudinem circa nongenta milliaria ad austrum loci aequinoctialis protenditur; et terra quae ad austrum terminorum eius meridianorum iacet « incognita » ab hominibus appellatur, et prorsus inhabitabilis est.

Magnitudinem igitur sinuum marinorum, quos Deus super terra habitata reliquit, et quantitatem eorum et figuram situs eorum sermo hunc in modum exposuit. Valde autem necesse est ut dicere pergat de qualitate et sapore aquarum eorum, quae sapientia artificis [haud in vanum] fecit atque paravit. Etenim dum omnes aquae, quae a Deo hominibus usui datae

[1] *Num.*, XIV.

sunt, dulces sunt et sapore suaves, Deus opifex sapiens et omnipotens marinas solas fecit salsas et potui haud idoneas. Deus itaque humum terrae universae, quam ex aquis revelavit aridamque fecit, dulcem et sapore suavem condidit, praeter certa loca quae salsa fecit ut sal hominibus iucunditati * et condi- *p. 103
mento semper praeberent. Eam quidem terram, quae est sub imis marium, et eam, quae in litore ea extrinsecus cingit, non humo dulci et in aquis solubili subegit et paravit, sed arena sparsa et haud adhaerente, salsa scilicet et solida et humore aquae omnino haud emollita. Quapropter Deus fecit ut aquae marinae super illam coacervatae sint salsae et haud potabiles, et semper lucidae et purae et mundae et nullo modo turbidae agitatione et motu fluctuum suorum, ne tempore quidem quo, iussu Dei, ab imis maris usque ad summum perturbantur et volutantur et agitantur. « Agitabunt se et tumultuabuntur aquae eorum et perturbabuntur, ait Psalmista [1]; et montes concutientur in fortitudine eius ». Deus opifex, ut videtur, salsas fecit aquas marinas non solum ut terram salsedine sua stringerent, sed praeterea ne aestu radiorum solis calefactae vapores et foetores emitterent cum in eodem loco congregatae semper maneant nec sicut aquae fluminum progrediantur. Deus autem iussit eas fieri puras et mundas et limpidas et lucidas ut navigantes, cum facile videant, aquas profundas explorantes, pericula prius videre possint et adhibere tutam vigilantiam. Hanc vero salsedinem et qualitatem fastidiosam Creator non in natura aquarum marium posuit, sed in natura arenae solidae cui incubant; quod notum est ex eo quod, cum aquae ex eis per fissuras terrae egrediuntur, statim cito salsedinem illam, quae est praeter naturam, a se excutiunt et suavitatem et qualitatem dulcem naturae suae facile acquirunt.

De mari quidem seu maribus hactenus. Perget autem sermo etiam de insulis, quae in eis sunt, pauca dicere. Deus enim, ut supra diximus, multas insulas, magnas atque parvas, in eis fecit quas non solum ad habitaculum hominum, sed praeterea ob alias utilitates ususque * necessarios in spatio marium *p. 104

[1] *Ps.* XLV, 4.

vasto et extenso disposuit et multiplicavit. Primum quidem et valde necessarium, ut homines in sinubus illis magnis et amplis navigantes, si insurrexerit in eos procella, ad quamcumque insulam proximam confugere studeant ubi, si invaluerit tempestas, hiement et securi sint; alterum autem et etiam valde necessarium, ut ex eis aquam, ligna aliasque res necessarias accipiant. Quapropter Deus curator maribus longis et latis insulas multiplicavit, in quibus est humus dulcis, quae scaturire faciunt aquam dulcem, et semina arboresque proferunt. Et non tantum in maribus placidis terrae habitatae, quae sermo recensuit, fecit Deus insulas, sed etiam in externo oceano, inquieto et innavigabili, in marginibus eius prope terram. Ecce enim in hoc mari occidentali seu oceano, post Gadiram insulam, quae in introitu maris Adriani sita est, etiam aliae insulae conspiciuntur, quarum quaedam sunt perviae, ad quas homines navigare et ingredi possunt, aliae autem omnino inaccessibiles. Contra provinciam illam, quae Tingitane nuncupatur, duae insulae sunt: Paena et Erythia; contra Libyam autem Cerne insula, et alia Autolalas, et insulae sex numero quae Insulae Beatorum (Fortunatae) nuncupantur: prima quae vocatur Inaccessa, et quae Iunonis insula ab ethnicis appellatur, et Pluaiaca, et Capraria, et Canaria, et Pintuaria. In mari Adriano illae sunt quas sermo supra recensuit, aliaeque multae.

In mari vero, quod Euxinus Pontus vocatur, propter tenuitatem (altitudinis?) eius, multae insulae parvae et comminutae supra aquas conspiciuntur et saxa multa, ita ut navigantes in eo haud facile vela navium suarum vento explicare et navigare possint.

In mari autem Rubro, circa Taprobanam, insulam magnam, sunt multitudines insularum parvarum et comminutarum quae numero mille trecentae septuaginta octo sunt, quarum undeviginti maiores nominibus vocatae sunt: Uangana, Canathra,
* p. 105 * Avium insula, Caprarum insula, Monache, Ammine, Narqus[1], Philecus, Irene, Calindadis[2], Arna[3], Bassa, Balaca, Alaba, Gumara, Zaba, Bizala[4], Nagadiba[5], Susuara[5].

[1] Lege Carcos. — [2] Lege Calandadrua. — [3] Lege Abrana. — [4] Restitue Zibala. — [5] Nomen corruptum in cod. Lugd.

Deus has insulas aliasque multas, magnas et parvas, extulit et reliquit ut patefactae in maribus conspicerentur quae in terra habitata disposuit et reliquit, pulchre faciendo et curam habens de genere humano; etenim illas omnes pulchras fecit, sicut etiam Scriptura testatur, et nihil fecit vanum aut inutile, sed omnia necessaria et utilia generi humano. Opifex creator et dispositor et curator haec maria super faciem terrae habitabilis nobis reliquit ut hominibus auxilio et usui necessario et commodo essent, ut cum navigant in eis unus ad alium de loco in locum res necessarias sibi afferant. Haec enim cognoscere licet manifeste ex verbis Scripturae sacrae quae narrant et dicunt naves Hirami, regis Tyri, et Salomonis, regis Israel, quibusdam temporibus de terra Afrorum aut de regionibus Sabae et Indiae venisse mercibus rerum necessariarum onustas[1]. Praeterea maria facta sunt ut terra eis constricta firma semper et stabilis fieret; quapropter ipse Psalmista de Deo factore dicit[2]: « Quia ipse super maria posuit fundamenta eius, et supra flumina praeparavit eam ». Denique autem facta sunt ut stillarent, et egrederentur ex eis fluenta aquarum per cavitates et cavernas terrae, et proferrent fontes in montibus et in vallibus et in planitiis qui hominibus et animalibus et volatilibus et seminibus et plantis et arboribus potum praebeant. Ideo idem Spiritus psallens dicit ad Deum[3]: « Praeparasti et fundasti terram super fundamenta sua, ne moveatur in saeculum saeculorum; abysso sicut pallio eam occultasti, et etiam super montes exsurgunt aquae; ab increpatione tua fugiunt, et a voce tonitruorum tuorum formidabunt; adscenderunt montes et descenderunt planitiae in locum quem praeparasti eis; terminum posuisti eis quem non transgredientur, neque convertentur operire terram; emisisti fontes in vallibus et inter *montes incedunt; potant omne animal deserti, et *p. 106
saturantur onagri sitientes; et volatile agri eis assidet, et de medio montium edunt vocem ».

Sermo quidem narrativus, infirmus et pueriliter balbutiens de mari, opere magno virtutis Dei creatoris, et de sinubus et diversis aquarum congregationibus quas Deus ab illa una con-

[1] Cf. III *Reg.*, X, 11. — [2] *Ps.* XXIII, 2. — [3] *Ps.* CIII, 5-12.

gregatione naturae aquarum universali separavit et posuit super faciem terrae ab hominibus habitatae quibus una cum universa creatione utilia essent, ita deficienter laudavit et partim manifestavit tum magnitudinem et multitudinem et constitutionem eius, tum virtutem et sapientiam opificis, creatoris eius. Verba autem ipsius factoris, qui illud creavit et praeparavit, sic narrant laudationem et refrenationem eius per mandatum et voluntatem factoris eius; cum enim contra populi Israel sermonem protenderet, dixit[1]: « Audite hoc, popule stulte et sine corde, qui oculos habetis et non videtis, aures habetis et non auditis: Me non timebitis, dicit Dominus, et a facie mea non contremiscetis? qui posui arenam terminum mari, legem sempiternam, et non praetergreditur eam; et reluctatur et non potest, et intumescunt fluctus eius et non transeunt eam ». Ita verba Dei nobis manifestaverunt mirabilitatem magnitudinis maris, et potentiam et vim roboris eius, et subiectionem eius manui et voluntati mandati ordinatoris et gubernatoris eius.

Compertum est igitur tum ex verbis Scripturae divinae, tum ex omnibus quae sermo supra posuit, necessarium et utile esse quod maria magna super faciem terrae huius habitabilis relicta sint. Et non solum maria illa iam memorata relicta sunt super eam, sapientia et providentia artificis, sed una cum illis Deus multos lacus magnos et parvos, et stagna et rivos in terra fecit in auxilium et usum commodum et iucunditatem hominum in regionibus diversis et locis multis. Quidam eorum copiosam piscium praedam hominibus in cibum praebent; in
* p. 107 aliis autem homines navigant et transeunt * unus ad alterum, sicut in maribus, ob res sibi necessarias. Sunt vero quidam lacus qui, oppidorum instar, hominibus arces et refugia fiunt eosque a bellatoribus inimicis servant; alii vero multas species utiles et commodas hominibus praebent. Longum quidem et superfluum est forsan sermone scripto hos lacus aut res quae ex eis proveniunt hic describere; verumtamen necessarium iudico ut nomina paucorum ex eis, qui celebriores sunt sive propter amplitudinem suam sive propter res proprias, hic ponantur, et simul cum eis etiam nomina terrae eorum.

[1] IER., V, 21-22.

Et primi ponantur a nobis illi duo qui Nilum effundunt, et Coloe qui erumpere facit Astapum fluvium qui in Nilum confluit. Rursus, una cum illis, ponantur hi omnes quos efficit Nilus, et nominatim Mareotis lacus qui est prope Alexandriam magnam, et Asphaltites quem format Iordanes, et alter piscibus abundans quem efficit idem Iordanes et denominatur Kinnereth (Genesareth). Ponantur autem simul cum istis etiam illi quos efficit Orontes fluvius et illi quos inundat fluctibus suis Tigris fluvius, qui vocantur Shuster et Shushan[1], et Arestia[2] lacus piscosus qui in Armenia maiore situs est. Et ad quid defatigor numerando et hic ponendo nomina omnium lacuum et faciendo summam multam et garritum lectori et auditori nominibus eorum? Tot enim sunt multitudine in regionibus orbis terrarum quot et flumina; sed, opinor, satis sunt quae hic in sermone de lacubus iam dicta et posita sunt.

Opifex autem Deus terram habitatam ditavit et paravit non solum maribus et lacubus, sed etiam fluminibus multis quae in ea extenduntur. Quaedam ex eis e cavitatibus terrae aqua plenis et e lacubus oriuntur et erumpunt super faciem eius; alia autem de montibus ob abundantiam pluviarum et nivium fluunt et terras multas inaquosas irrigant. Et multa ex eis, ob magnitudinem suam, non solum utilem terrarum aridarum irrigationem hominibus praebent, sed praeterea apta sunt navigationi, sicut maria et lacus, cum homines ea propter commercium mutuum traiiciunt et alii ad alios *de loco in locum res * p. 108 necessarias devehunt. Sunt autem alia quae etiam prohibent quominus inimici incolas regionum, quae intra ea sitae sunt, captivos faciant aut diripiant, dum, sicut arces et oppida, infirmum humanum genus adiuvant et servant; nam quaedam ex eis ob magnitudinem et multitudinem amplitudinis suae multas insulas in seipsis efficiunt. Tales enim sunt Gehon, seu Nilus qui terram Aegypti inundat atque custodit, et Ister qui per regiones Europae occidentales se extendit, et Indus seu Phison, et Ganges qui terram Indorum irrigant; et Oxus et Iaxartes qui e regionibus Serum profluunt, et Rha qui re-

[1] Sic; nomina civitatum. — [2] Sic; saepius, apud Syros: Arkestia; Plinius: Aretissa, sinus lacus Thospitis.

giones septentrionales perrumpit, quae propter abundantiam nivis aquas semper eructant, et una cum illis Tigris et Euphrates, flumina vicina quae terram Mesopotamiae inundant et roborant, et regiones Assyriorum et Chaldaeorum et Elamitarum irrigant. Sunt etiam cum illis fluvii alii multi et magni. Qui enim terram habitabilem descripserunt, quadraginta fluvios celebres et ingentes numeraverunt et tradiderunt, et alios multos parvos innumerabiles, et alios minores, et rivos et amniculos et torrentes, quorum alii perpetuo fluunt, alii vero hieme tantum. Sunt autem simul cum illis etiam canales et exitus aquarum et aquaeductus, quos homines periti inventionibus rationis suae sibi effecerunt, qui explent ipsis usus necessarios, non tantum in potu hominum et animalium et plantarum et seminum, et in omnibus modis et usibus variis, quos sermo recensuit, cum ostendit utilitatem quae est hominibus per elementum aquae, sed praeterea in aliis multis quibus aquae videntur generi humano servire servitutem, cum circumagunt molas, et ministrant sicut servi in balneis et in lotura et in multis artibus et in aedificiis et in artificiis humanis et multis modis et officiis et operibus, in quibus homines nullo modo vivere possunt aut quid facere sine adiumento et auxilio aquarum.

Sic Deus curator terram, quam fecit visibilem, praeparavit
* p. 109 dispositione * marium et lacuum quae in ea fecit, et fluminum quae in ea distribuit, in quae misit aquas ad serviendum hominibus. Fecit autem in ea, una cum istis, sicut sermo verbis prioribus ostendit, cavernas et cavitates aqua plenas, et loca quae aquas ab imbribus et humore hiemali venis suis surripiunt, et fiunt sicut spongiae subtiles absorbentes aquam et efficiunt effluvia et fontes et palustria quae gramina germinant, ita ut et terra et aqua generi humano in omnibus serviant, et universa creatio corporalis hominibus subiiciatur, non sua sponte, ut more Scripturae dicam, sed voluntate et mandato illius qui eam sub spe libertatis subiecit[1]. Deus artifex et factor et curator hanc omnem utilitatem necessariam auxiliaque commoda generi humano praebuit ex elemento aquae, cum ad ministerium

[1] Cf. *Rom.*, VIII, 20.

hominum partem de illo reliquit super faciem terrae quam dedit eis in habitaculum, et ita manifestatus est praeparator et curator suae creationis.

De maribus quidem, lacubus stagnisque aquarum, et de fluviis et fontibus et rivis aquarum, et de usu necessario qui est in eis et de eorum necessitate pro hominibus et animalibus et omni viventi super terram, et de potu quem plantis et arboribus et radicibus et omni germinanti super terram praebent, sermo humanus debilis, balbutiens pueriliter iuxta morem suum, hunc in modum narravit. De magnitudine vero et quantitate terrae huius, quae ex aquis apparuit, et facta est visibilis et sicca, et parata est in habitaculum hominum et mansionem animalium et volatilium et reptilium terrae, nunc dicemus secundum id quod audivimus ab antiquis qui terram, stricta et perita discursione cogitationis Deo similis dimensi sunt et descripserunt, et nobis quantitatem magnitudinis eius scripto tradiderunt. Ei enim qui operam huic terrae habitabili dederunt eamque peragraverunt et descripserunt, dicunt terram, quae ex aquis apparuit et praeparata et data est a Deo hominibus in habitaculum, secundum longitudinem quidem ab occidente ad orientem, mensuram dimidii sphaerae continere, secundum latitudinem autem ab * austro ad aquilonem, sextam * p. 110 mensurae sphaerae partem, ita ut longitudo terrae habitabilis triplex sit ad latitudinem eius. Itaque tradunt eam ab occidente ad orientem esse longam centum octoginta gradibus, dimidium trecentorum sexaginta graduum totius ambitus sphaerae terrae, latam autem sexaginta gradibus tantum, ab austro, dico, ad aquilonem, qui sunt sexta pars trecentorum sexaginta graduum; ita ut longitudo terrae habitatae, quae ex aquis apparuit, inveniatur esse circa tredecim milia quingenta milliaria, et latitudo terrae quattuor milia quingenta milliaria. Longitudinem quidem mensurant et describunt positam ab Oceano occidentali, a sinu eius pervio extra Gadiram insulam, quae sita est et describitur in gradu longitudinis quinto, in fine occidentali terrae habitatae, apud quem scribitur esse terra iuxta regionem Hispanorum et Columnas Herculis, usque ad regionem Sinensium quae ab Indis orientem versus iacet [in finibus terrae habitatae] ubi est terra incognita et inhabitabilis. Latitudinem au-

tem describere incipiunt ab eo loco ubi sphaera solis recta est, nec ad meridiem nec ad septentrionem inclinata, ita ut ibi dies et nox per totum annum aequales sint, usque ad Thulen insulam septentrionalem quae in Oceano boreali, in gradu longitudinis terrae habitatae tricesimo et in gradu latitudinis sexagesimo tertio, sita est. Talem esse terram habitatam, quae revelata est, veteres descripserunt et tradiderunt; affirmant autem polos eius externos esse incognitos et inhabitabiles. Ita enim placuit factori ordinanti polos terrae condere inaccessibiles et inhabitabiles, sive quia temperie aeris intemperata, ut ita dicam, et immoderata reddidit eos inhabitabiles, sive quia
* p. 111 circumdedit eis foveas et fissuras montium et abyssos * et terram inviam, sive quia fecit eos invios et inhabitabiles propter bestias feroces et reptilia mortifera et exitialia quae in eis abundant.

Hi vero scriptores totam hanc terram habitabilem in tres partes dividunt quas Europam, Libyam et Asiam magnam denominant. Europam quidem vocant totam terram quae septentrionem versus a toto mari, quod Adrianum appellatur, usque ad Oceanum borealem extenditur. Libyam autem vocaverunt totam terram, quae est ad meridiem maris huius, usque ad terram torridam sub sole sitam et illam incognitam et inviam quae est ad austrum eius. Asiam vero appellant totam terram, quae a finibus orientalibus duarum illarum partium, quae iam memoratae sunt, usque ad finem terrae habitabilis orientalem iacet. Ad septentrionem autem totius Asiae iacet terra incognita quae ob vehemens terrae frigus aerisque intemperiem inaccessa est et inhabitata. Rursus, similiter tradiderunt ad orientem totius Asiae esse terram incognitam, quam Deus foveis et fissuris et abyssis profundis instruxit ne calcaretur neve habitaretur. Simili autem modo etiam ad meridiem maris Rubri, ex adverso totius Asiae et totius Libyae a meridie, contra totam terram Aethiopum, qui appellantur Alodae, et eorum qui Nychtades vocantur, et aliorum Hesperiorum, Deus terra incognita et inhabitabili homines cohibuit et prohibuit ne errantes, aut calore nimio sitique consumpti, aut feris et reptilibus noxiis interfecti perirent. Regionem vero occidentalem totius terrae habitatae et regionem septentrio-

nalem partis Europae contra terras Hispanorum et Galliae et Germaniae, Deus gubernator fluctibus Oceani occidentalis diffusis et saevis, indomitis scilicet et innavigabilibus, circumscripsit et prohibuit quominus homines miseri quaererent vagari et incedere aut navigare, ubi non licet, in vanum * et sine * p. 112 utilitate et ad perditionem suam. In hoc oceano, septentrionem versus ab Hispania, propter vicinitatem terrae habitatae, Deus etiam insulas pervias et habitabiles fecit, Hiberniam et Albionem, quae vocantur Britannicae; contra Germaniam autem, in termino Oceani orientali, est insula quae vocatur Scandia, et Cimbrica peninsula.

Ita veteres terram habitabilem dividunt et ita positionem eius et quantitatem magnitudinis eius determinant. Verumtamen quia Deus artifex et ordinator montes magnos et altos, velut vincula quaedam aut velut terminos separantes loca ad habitationem hominum, in ea posuit, et ipsi homines eam in provincias diversas et regiones multas diviserunt, age ponantur haec a nobis in hac narratione, ut omnia quae pertinent ad praeparationem soli domus huius magnae, quam opifex homini aedificavit quem ad imaginem suam creaturus erat, nota fiant nobis et videantur a nobis tanquam per imaginem quandam ad considerationem et intellegentiam lectorum et auditorum qui, mirati magnitudinem operis Dei et curam sapientiae eius et pulchritudinem operum eius, eum semper laudent tanquam opificem fortem et omnipotentem, et tanquam praeparatorem et ordinatorem sapientem operum suorum, et tanquam curatorem assiduum et vigilem et conservatorem eorum quae creavit.

Posuit igitur et infixit Deus creator et artifex sapiens terrae huic habitabili montes magnos et fortes, celebres et altos qui nubes altitudine attingunt. In Europa quidem, in latere orientali finis regionum Hispanorum, sunt montes magni et alti qui singulariter et feminine dicuntur Pyrene; in regionibus autem Germanorum, Alpes montes qui multa fluenta Istri, fluminis magni, effundunt et eructant, et illi qui vocantur Sudeti montes, et alii * qui appellantur Abnoba et Melibocus * p. 113 et Asciburgius, montes magni; in Sarmatia vero montes qui vocantur Sarmatici, et alii qui Rhipaei nuncupantur. In Europa quidem hi octo montes magni.

In Libya autem: in provincia quae appellatur Tingitane, Atlas maior et Atlas minor, et mons qui vocatur Mons Solis, qui in litore Oceani occidentalis siti sunt, et mons Diur et montes qui Phocri nuncupantur; in provincia Caesariensi Durdus, Zalacus, Garaphi, Cinnabi, Burbur [1], Madethubalus, Garas, Phuraesus, Baloua [2], et montes qui vocantur Buzara. In provincia Afrorum, Audus et Thammes montes, et alii montes Cirnagas, Mampsarus, Uasalegus [3], Plius [4], Zucababar, et mons Iovis, et Thizibi. In provincia vero Cyrenaeorum montes tres: Velpa, Thines et Baecolicus. In provincia autem Aethiopum sunt montes qui a septentrione ad meridiem extensi in longitudinem per totam regionem Aethiopum panduntur donec transeunt trans lacus magnos qui fluenta Nili effundunt et eructant; hi montes dicuntur montes Aethiopum et longi sunt plus duo millia et trecenta milliaria. Sunt vero in eadem provincia ab his orientem versus alii montes: Garbaos [5] et Elephas montes ad septentrionem loci aequinoctialis, et Pylae montes apud lacus in loco aequinoctiali siti, et mons Maste qui meridiem versus a loco aequinoctialis quinque gradus abest. In tota terra Libyae, quae a finibus occidentalibus terrae Aethiopum usque ad Oceanum occidentalem patet, montes celebres et magni sunt: ille qui vocatur Equi deorum [6], Mandrus, Sagapola, Caphas, Usagara, Girgiris, Rusadirus, et mons Thala, Arualtes, Arangas, et ille qui dicitur Garaminice Pharanx [7]. In regione autem Aethiopum extera, quae Agisymba [8] appellatur, sunt montes magni, celebres scilicet et insignes: mons Taukisus qui sub linea aequinoctiali iacet, Ion, Zaphar, Ineski,
* p. 114 Barditus, et ille qui vocatur Mons Lunae. Hi montes * sunt Libyae, secundae terrae habitabilis partis.

In Asia vero Magna, tertia terrae habitabilis parte, sunt montes celebres et insignes. In provincia Asia propria: mons qui vocatur Ida, Cillaeus, Temnus, Dindymus, Sipylus, Tmolus, Messogis, Mycale, Cadmus et Phoenix. In Galatia autem, mons Oligas, et ille qui vocatur Nubes [9] Celaenarum. In provin-

[1] Nom. corruptum: Βύρι ἢ Βύρυν (Ptol., IV, ii, 15). — [2] Ptol., (*ibid.*) Οὐάλουα. — [3] Restitue Ouasaletus. — [4] Probab. corruptum e Gilius. — [5] Sic; restitue Garbatus. — [6] Theonochema. — [7] Γαραμαντικὴ φάραγξ (Ptol., IV, vi, 12). — [8] Sic recte cod. Leid. — [9] Corruptum e Λόφος.

cia vero Cappadociae sunt hi montes magni: Argaeus mons, Antitaurus seu Zygus, et Scordiscus. Inter Ciliciam et Cappadociam mons qui vocatur Taurus; inter Syriam et Ciliciam mons Amanus; in Syria autem montes Pierius, Casius, Libanus, Sanir, mons Hermon, Hippus et Alsadamus.

In terra autem Mesopotamiae recensentur montes: mons Masius qui vocatur Aišuma et mons Singar. Syriam vero et Mesopotamiam seu Assyriam inter et Cappadociam et Armeniam usque ad terram Medorum, ab occidente ad orientem, extenditur mons ille magnus qui vocatur Taurus, qui has regiones colligat. In terra autem Medorum sunt montes magni: Zagrus, Iasonius, Orontes et Coronus. In terra autem, quae vocatur Arabia Felix, sunt montes celebres et magni: ad ora maritima mons Hippus, Cabubatha, et mons qui Niger dicitur, et Prionotus, et Syagrus, et montes qui vocantur Didymi, et montes nigri qui appellantur Asabi. In media terra, praeter hos montes, alii sunt: Zames, Marita, et qui vocatur Climax seu Scala, multique alii sine nomine. In provincia autem Carmanorum sunt montes: mons ille Rotundus qui Semiramis dicitur aliique multi innominati.

In Sarmatia autem, quae est in Asia, sunt hi montes celebres et magni: illi scilicet qui vocantur Hippici, et alii Ceraunii, et qui vocantur Caucasii, et mons Corax. In Scythia vero ei qui nominati sunt in Sarmatia, et alii qui dicuntur Alani, * et alii Rhymmici, et praeter hos, mons Orossus[1], et qui appellantur Aspisii, et alii nomine Tapyri[2] et Suebi et Anarei[3]. Inter Scythiam interiorem et exteriorem extenditur in longitudinem usque ad terram incognitam mons ille qui Imaus vocatur. In Scythia vero exteriore et in provincia Serum extenduntur montes Auzacii, Casii, Emodi, quibus in provincia Serum coniunguntur montes qui vocantur Annibi, Ithagurus[4], Ottorocorras, et montes qui dicuntur Asmiri. In provincia Aria nominatur mons Bagous; per provinciam vero, quae Gedrosia dicitur, extenduntur montes qui Barbitani[5] vocantur.

* p. 115

[1] Sic, lege Norossus. — [2] Sic recte cod. Leid.; in Lugd.: Tapydi. — [3] Codd. Anarti. — [4] Sic. — [5] Sic Amm. Marcell.; codd. Baratii; Ptol.: Arbiti.

In regionibus Indiae[1], in illa quae est cis Gangem fluvium, montes celebres siti sunt: Apocopi, mons Sardonyx unde lapis pretiosus eiusdem nominis educitur, Bettigo, Adisatrus, Vindius, Uxentius, et qui Arve[di][2] dicuntur. In India autem trans Gangem, mons qui vocatur Bepyrrhus, et ille qui appellatur Maeandrus, et qui dicuntur Dabassi. In hac provincia autem et in terra Serum mons magnus, qui vocatur Sema[n]thinus, extenditur. In insula vero Taprobane famosi sunt montes qui vocantur Galibì et Malaea, mons unde insulae flumina Aonas[3], Azanus et Baraces profluunt.

De montibus quidem, quos Deus terrae habitatae infixit, sermo haec omnia ex eis quae antiqui scripserunt, declaravit. De divisione autem regionum vel provinciarum, quae sunt in terra habitata, pauca ex scriptis veterum properanter excerpenda sunt; dicimus quidem divisionem ita factam esse aut ex divisione familiarum hominum in varios populos, aut ex principibus qui eas interdum rexerunt. Itaque eas in hunc modum dividunt. In Europa quidem, prima terrae parte, hae provinciae seu regiones distinguuntur: Insulae Britannicae,
* p. 116 * quae in Oceano sitae sunt, Hibernia et Albion; tres provinciae Hispanorum: Baetica, Lusitania et Tarraconensis; quattuor provinciae Galliae Celticae (Celtogalatia): Aquitania, Lugdunensis, Belgica, et Narbonensis; Germania, Rhaetia cum Vindelicia, Noricum, Pannonia superior et Pannonia inferior, Illyria cum Dalmatia; Italia, Cyrnus (Corsica) insula, Sardinia insula, et Sicilia insula; Sarmatia, Chersonesus Taurica, Iazyges Metanastae seu emigrantes, Dacia, Mysia[4] superior, Mysia inferior, Thracia, Chersonesus, Macedonia, Epirus, Achaia, Peloponnesus, et Creta insula.

Libyae autem hae provinciae adscribuntur: Mauritania, Caesariensis, Africa, Cyrenaica, Aegyptus, Libya, Aethiopia quae infra Aegyptum, Aethiopia exterior quae Agizymba[5] dicitur.

Asiae vero, tertiae terrae partis, hae regiones seu provinciae distinguuntur: Bithynia, Asia, Lycia, Galatia, Pamphylia, Cappadocia, Armenia minor, Cilicia, Sarmatia, Colchis,

[1] Sic legendum. — [2] Sic corr. e PTOLEM.; ms. Arud. — [3] Sic, lege Soanas (PTOLEM.). — [4] Nunc Moesia dicitur. — [5] Sic recte cod. Leid.

Iberia, Albania, Armenia maior, Cyprus insula, Syria, Iudaea seu Palaestina, Arabia petraea, Mesopotamia, Arabia deserta, Babylonia, Assyria seu Assur, Media, Susiane, Persis, Parthia, Carmania deserta, Arabia felix, Hyrcania, Margiane, Bactriane, Sogdiane, Sacae, Scythia intra montem Imaum, Serice seu terra Serum, Aria seu Heriu[1], Paropanisada, Drangiane, Arachosia, Gedrosia. Divisio regionum Indiae: India quae est cis Gangem flumen, India quae est trans Gangem flumen; regio Sinensium, Taprobane insula.

De divisione provinciarum terrae habitatae, quae inter montes sunt, hactenus. Sermo autem omittere non debet commoda et usus necessarios, quae homines ex illis habent, quia Deus opifex, generis humani curator, inter omnes suas creaturas, nihil fecit vanum aut inutile, * nec montes, nec lapides, nec *p. 117 saxa, nec petras, nec rupes, nec cacumina, nec valles profundas, nec fissuras, nec foveas quas Deus in montibus excidit, nec deserta arida, macra et sicca quae nihil germinant. Neque ulla ex qualitatibus et saporibus, quae in terra fecit et reputantur mala et inutilia, est mala et vana, sed omnia sunt pulchra et bona et necessaria et prorsus requisita hominibus aliquo modo, etsi ad tempus incognita sint eis. Omnes enim norunt commoda et usus quae homines ex montibus invenerunt, quamvis nunc non de omnibus sermo sit. Unde enim ferrum et aes et aurum et argentum aliaque metalla nisi ex montibus et lapidibus et luto terrae vili? Unde vitrum lucidum nisi ex arena illa tenui et solida et sicca quae aqua non dissolvitur? Unde etiam hominibus aedificia valida et firma nisi ex lapidibus [politis et excisis de rupibus], aut calx nisi ex luto deserti sicco et infecundo et ex lapidibus gypseis? Rursus ex lapidibus nigris et duris fabricatae sunt petrae molares ad molendum triticum et exprimendos sucos et vinum et oleum. In saxis homines puteos effodiunt, et ex lapidibus excavant lavacra et mortaria et torcularia et praesepia iumentis, et vasa et instrumenta ad iucunditatem aliosque usus necessarios. Ex lapidibus columnae [aedificiorum] et tabulae marmoreae quae diversis coloribus refulgent et templa et domos regias adornant,

[1] I. e. Herat.

aliaeque multae inventiones et usus necessarii et boni. Et immodicus esset sermo si omnia, quae ex lapidibus fabricantur, hic collegeremus et poneremus.

Montes vero et rupes et lapides qui sunt in terra, existimantur esse ei tanquam vincula et lora in structura parietum, et tanquam ossa in carne quae subsistunt in ea eamque sustinent, et tanquam nervi et ligamenta quae sicut funes totum corpus constringunt ne disperdatur. Ita sunt montes et lapides pro terra, quia lutum super se ligant et firmant ne disperdatur aut dissipetur, ita ut igitur necessaria fuerit creatio lapidum in natura terrae et creatio montium in quibus
* p. 118 et ex quibus lapides sunt. * Ergo montes in terra necessarii sunt eosque cura artificis sapientis praeparavit. Quidam eorum hominibus debilibus sunt arces munitae et refugia ab inimicis; alii autem in finibus regionum infixi sunt, sicut illi quos sermo superius recensuit; alii vero ad convenientiam cursus fontium et fluminum simul olim constituti sunt creatoris sapientia quae hominibus dicit et praedicat [1]: « Quando Deus firmatos faciebat fontes aquarum, cum eo eram ». « Misisti enim, ait ei Spiritus [2], fontes in valles, et inter montes incedunt aquae, et potant omne animal deserti; et saturantur onagri sitientes; et volatilia caeli eis assident et de medio montium edunt vocem ». Ergo necessaria est creatio montium etiam propter cursum aquarum et egressus fontium et fluminum; necessaria sunt et rupes et cacumina et colles alti et excelsi qui sunt in montibus, et cavitates et recessus quae sub eis sunt. Etenim montes excelsi, dicit Spiritus, ibicibus et cervis; et saxa et rupes cuniculis et leporibus [3]. Necessariae sunt etiam valles et torrentes humidi et frigidi, et valleculae in montibus propter incrementum silvarum et lignorum, et propter habitationes tutas animalium et ferarum multarum quae in eis cubant. Ait enim [4]: « Ad ortum solis se recipiunt, et in cubilibus suis cubant ».

Necessarii vero sunt montes ut hieme nivem gestent ex qua fiat subsidium in aestate. Imbres quidem descendunt de nubi-

[1] *Prov.*, VIII, 29-30. — [2] *Ps.* CIII, 10-12. — [3] Cf. *Ps.* CIII, 18. — [4] *Ps.* CIII, 22.

bus tum in montes tum in planitias, sed qui in planitias sensim absorbentur irrigatione et nutrimento terrae et generatione seminum et plantarum, quae humorem attrahunt, et etiam vaporibus qui sursum trahuntur cum calore solis et adscendunt in aerem et rursus saepe ad irrigandum descendunt; imbres autem qui in montes descendunt, cum per valleculas et cavitates et arterias, quae in eis sunt, absumuntur et in eos delabuntur et ad pedes eorum defluunt, per torrentes qui ex eis egrediuntur, ad irrigationem tenuem [1] deducuntur. Similiter et nives super vertices * altos et excelsos cacuminum montium tota hieme servantur nec sinit eas frigiditas ut liquefiant, et verno tempore ad aestatem subsidium fiunt ad irrigationem camporum et eorum quae in eis sunt, et toto tempore aestivo auram frigidam et ventos refrigerantes in omnes regiones et campos circumiacentes ex se emittunt; ita ut igitur propter ista necessaria fuerit creatio montium in terra. * p. 119

Illas res necessarias aliasque multas sermo collegere potest ut ostendat creationem montium super terram necessariam et utilem fuisse; similiter etiam creationem qualitatum et variorum saporum in terra exstantium, et sinuum diversorum et insularum quae factae sunt in maribus super terram. Etenim quidam ex istis usus necessarios et lapides pretiosos hominibus praebent, alii cibos diversos ad iucunditatem. Alii margaritas eis qui in ipsis aut prope ipsos habitant semper praebent; verbi gratia, multi sunt sinus apud Indos, quibus subest terra dura, non arenosa, ubi aquae haud altae sunt, et ei qui in eos se demittunt margaritas educunt. Haec igitur aliaque multa sermo necessarie ostendit ex dispositione sapienti et ordinata quam Deus sapiens et peritus, curator, super terram disposuit et ordinavit, in situ scilicet et infixione montium super terram, et in separatione regionum quae intra illos sunt, et in divisione et extensione marium et lacuum in terra, et etiam in insulis quae relictae sunt apparentes in illis.

Subiciatur autem, praeter omnia quae hic posita sunt, alius labor ordoque necessarius quos Deus super hanc terram habitabilem effecit, qui supradictis haud minores sunt. Omnes

[1] In cod. C: « ad irrigationem aestivam ».

enim, qui aedificia civitatum super terram aedificanda et dis- *p. 120 ponenda curaverunt, ita * prudenter et intellegenter student et explorant ut civitatem non in loco depresso aedificent; neque in loco aequali et plano adamussim, ubi non est terrae declivitas in unam regionem, civitatem aedificandam curaverunt, sed in loco parum elevato et declivi in unam regionem, ut aquae, quae in illum de [montibus] et pluviis descendunt, inde facile egrediantur, et excessus humorum immundorum, qui ex eo et domibus et plateis colleguntur, per canales convenientes et exitus apte dispositos per terram devexam eiciantur. Similiter autem qui domus aedificant parant eis solum non ad libram planum, sed declive in unum de lateribus domorum ut aquae facile et sine labore ex eo egrediantur. Pariter qui domos tectis instruunt, ea non plana adamussim conficiunt, sed devexa in unam partem ut aquae ex eis dilabantur et profluant. Rursum ei qui solum hortui olitario praeparant, illud declive componunt, non adamussim neque ad libram, ut aquae per illud facile incedant illudque moderate et sufficienter irrigent. Itaque eodem modo et Deus, dispositor et ordinator et curator nostrorum, hanc terram habitaculi nostri non planam adamussim stabilivit, sed praeter declivitatem, quae corpori terrae ex sphaera sua rotunda inest, etiam alias declivitates in omnes regiones in ea fecit. Etenim terra, etsi iussu factoris, sicut supra diximus, ab illa prima sphaericitate et rotunditate exacta et polita et aequali mutata est, et in ea facta sunt loca alta propter montes et loca depressa propter stagna marium, tamen formam illam communem, rotundam scilicet et sphaericam, haud totaliter amisit. Equidem non est oblonga rapi instar, nec tenuis sicut asser aut tabula, sed adhuc rotunda et sphaerica, habens loca alta et loca depressa in extensione faciei suae externae una cum forma sua rotunda et cum *p. 121 devexitate a * forma hac rotunda, quae devexitas a medio eius undequaque velis incipit et ad omnes regiones vergit. Sunt ei etiam aliae devexitates in omnes regiones simul, cum aliquando hae devexitates inter se concurrunt et aliquando e contrario aliae ab aliis discedunt; et, ut verbo universali dicam et statuam, non est per totam terram ab hominibus habitatam locus magnus aut parvus in quo non nota sit et videatur devexitas,

sive magna sive parva, quae ostendat ad quam regionem aquae illae, quae in eo ex fluentis pluviarum supersunt, facile se moveant et progrediantur. Et id fecit Deus, artifex sapiens et curator, ut abundantia aquarum, quando maior est necessitate loci, ex eo egrediatur. Omnis ager aut planities magna aut parva, ob devexitatem in se creatam, aquas suas versus unam regionem effundit et deducit, sive ad fluvium proximum sive ad torrentes qui eas ad fluvium remotum perducunt. Et alius ad alium perducit eas, et cum multos efficiunt rivos, multitudo rivorum aquas in unum fluvium effundit et congregat, et multitudo fluviorum parvorum ad unum fluvium omnibus maiorem eas congregat, et fluvius ille, qui eas excipit, in mare magnum omnino eas deducit, ut more Scripturae dicam, ornando et excolendo sermonem meum additis verbis Scripturae. Omnes agri et campi aquas, quae sunt in ipsis, in rivos et torrentes effundunt et congregant; et omnes torrentes fluminibus illabuntur, et omnia flumina in mare confluunt et mare non impletur, sicut Spiritus de eo dixit[1]; dum illud factorem et ordinatorem suum aliquo modo imitatur, nutrimentum irrigationis omni terrae habitatae praebet, et etiam fontibus et fluviis qui sunt in ea, et cum dat non deficit, neque, cum accipit, plenitudinem suam auget. Item et terra, dum universam creationem quae coram Deo factore suo se demittit et dona ex eo recipit convenienter imitatur, tota in mare inclinata et declivis est * ubique, et fluenta ex se ipsa per rivos et flumina in illud mittit et rursus per arterias, quae sunt in ipsa et per fontes qui mari aluntur, irrigationem ab illo accipit. Hinc ex rebus naturalibus et ex theoria quam sermo, depingens similitudines, de terra effecit, necessarium fuit et est ut tota terra, in omnibus locis et regionibus, in mare declivis sit et in illud effundat totum excessum aquarum qui est super terram. Haec igitur terra, quae ex aquis apparuit et visibilis facta est, ita facta est praeparata et utilis et apta ad habitationem hominis et commorationem animalium, quae ei ministrant eique subiiciuntur, et ita solum domus post aedificationem et dispositionem parietum et tecti paratum est et ordinatum.

* p. 123

[1] *Eccl.*, I, 7.

Verumtamen[1] quia cum praeparatione soli domus huius regiae, quam Deus creator homini regi aedificavit quem post haec ad imaginem suam creaturus erat, necessaria erat cura de eis quae sunt in agro ad comparandum thesaurum alimentorum habitatori eiusque servis, Deus creator bonus et curator id fecit et perfecit, cum multa sollicitudine et abundantia copiosa et diviti, post praeparationem terrae et montium qui in ea sunt et exstinctionem saevitiae marium. Et hoc Spiritus valde congruenter celebrat et dicit ad Dominum opificem[2]: « Firmasti montes virtute tua et praevales potentia tua, et sedasti undas marium et sonum fluctuum eorum; turbabuntur gentes et timebunt habitatores terrae signa tua et exitus matutini et vesperae; cum gloria recordatus es terrae, subiecisti eam et abundantia ditasti illam; rivi Dei impleti sunt aquis; parasti cibum eorum quando firmasti eam, quia ita est praeparatio tua ». Ita Deus terram curae habuit, postquam eam formavit, ut ex ea et in ea cibum habitatoribus eius pararet, et in ea reponeret potentiam multam et divitem, vim perpetuam, fixam scilicet et indeficientem et stabilem qua ipsa tan-
* p. 123 quam domina ex se et in se cibum paratum * incolis suis usque ad fines suos praebeat, dum rivi eius pleni sunt aquis eamque divitiis inebriant. Ita Spiritus paucis verbis convenienter ea celebrat quae pertinent ad praeparationem soli domus et ea quae simul pertinent ad parationem cibi habitatoribus. Quamobrem Scriptura sancta, quae priora de praeparatione domus nobis lucidissime narravit, nunc post haec valde congruenter de paratione cibi hunc in modum loquitur[3]: « Et dixit Deus: Germinet terra herbam graminis seminantem semen secundum genus suum et secundum similitudinem suam, et arborem fructuum edentem fructus [secundum genus suum, secundum similitudinem suam, et factum est ita. Et protulit terra herbam, gramen seminans semen secundum genus suum et secundum similitudinem suam, et arborem fructiferam edentem fructum] cuius semen est in ipso secundum genus suum super terram; et vidit Deus quod esset pulchrum; et factum est vespere et factum est mane, dies tertius ».

[1] In margine intra columnas: « Exinde de oleribus ceterisque germinationibus scripsit Thomas stylita e Benshemesh. » (leg. Bethshemesh?). — [2] *Ps.* LXIV, 8-10. — [3] *Gen.*, I, 11-13.

Verbis istis paucis, quibus sancta Scriptura dixit Deum factorem praecepisse terrae ut germinaret et proferret ex seipsa herbam facientem semen secundum genus suum, ostendit nobis vim constantem et fixam, in ea positam, et potentiam naturae stabilem et fixe repositam in unoquoque ex eis quae germinant. De terra enim dixit imperative: « Germinet », et per hoc contulit ei vim stabilem, efficacem et generantem; et de his [quae germinant] dixit ut fiant « herba graminis seminans semen secundum genus suum et secundum similitudinem suam ». Illud quod dixit: « Seminans semen secundum genus suum », nihil aliud est nisi vis germinativa qua pollent genitores ut perpetuo generent ex natura sua et secundum similitudinem suam, et successionem generis sui sine fine stabiliant. « Seminans semen secundum genus suum et secundum similitudinem suam »: scilicet quodcumque est id quod germinat sit in eo semen generans, servans atque propagans genus suum, ne species generis sui deficiat et evanescat e terra. His verbis videtur conservatio naturae in unoquoque ex eis quae germinant et vis quae illam producit. Cuius rei exemplum est nobis in eo quod ab initio creationis usque nunc virtus * huius mandati non defecit, sed continuo facit lutum terrae producere et germinare, statim ac humectatum est, ex hoc tempore et hodie usque, omnes species quas Creator in ea condidit et posuit tanquam per primum mandatum. * p. 124

Sed forsan quis haud immerito dicet: Tunc terra ex virtute mandati herbam generantem semen germinare fecit et protulit; nunc vero ex semine, quod ab illa accipit, germinare facit. Vera quidem sunt haec verba; verius autem est illud prius, quod virtute primi illius mandati creatoris in ipsa servata etiam nunc germinare facit. Equidem rem ita se habere et verissimam esse, nempe terram nunc praesertim ex virtute mandati primi sibi insita a creatore magis quam a propagatione seminis germinare, sic vere cognoscere possumus: Si quis foveam profundam in terra foderit et in eam decem vel quindecim cubitis se demiserit, quod et ego, qui haec dico, experientia vidi factum esse, et ex solo foveae lutum haud seminatum attulerit et posuerit super faciem terrae, cum imber ex mandato factoris sui in illud descenderit, ipsum statim germinabit sicut

illud seminatum, nec virtus mandati primi illud manere sterile et non germinans sinet. Quod ne poetas quidem sapientes, hos insipientes qui sunt extra domum veritatis, latuit, ita ut, verba veritatis imitati, poetice dixerint: « Cum Oceanus Tethyi coniungitur, haec statim fit fecunda et dat ex seipsa multos filios[1]. » Et notum est Tethyn seu terram, naturae aquarum coniunctam, hos ex seipsa dare ex virtute primi mandati, non ex seminibus quae ex ipsa germinant. Haec enim virtus et primum mandatum, quae tunc a factore determinata sunt, quia in omnibus regionibus terrae cogunt lutum, quod est super eam, iuxta qualitatem et saporem terrae et tempe-
* p. 125 ramentum aeris loci, herbas et semina et arbores sicut * iussum fuerit germinare et proferre, in omnibus illis species diversas aptas ad nutrimentum habitatorum eius copiose et convenienter praebent.

In regionibus vero nostris nobisque vicinis frumentum et hordeum in cibum praebent, et varias leguminum species, et una cum istis vineas ad vinum et oliveta ad oleum, multasque alias arbores ad cibum et iucunditatem hominum. In regionibus autem Indiae, dum nullum quidem horum dedit naturae terrae, quae ibi est, germinandum, aliis multis cibi speciebus, utilibus scilicet et necessariis et valde commodis et bonis, iuxta aptitudinem soli et temperamentum aeris homines ibi habitantes ditavit. Etenim speciem oryzae cum aliis speciebus similibus et convenientibus dedit eis in cibum, et cannam edentem saccharum ad impertiendum saporem iucundum potui, et sucum ex fructibus palmarum, et diversas species sesami ad modum usumque olei. Rursus praeter illas eos ditavit multis speciebus necessariis et bene olentibus, optimis et praestantibus et utilibus sanationi corporum humanorum. Similiter, sicut Indis, etiam regionibus Sabae et Arabiae felicis et terrae Aethiopum, etsi ab omnibus quae sunt apud nos privantur, et ex eis quae sunt apud Indos, creator, ut curator et opifex sapiens et omnipotens, per alias species necessarias et valde aptas ad qualitatem et temperamentum earum nutrimentum sapienter paravit ex natura luti quod est in eis. Simili autem modo, in

[1] Cf. *Patr. Gr.*, t. XXXVI, col. 1029.

regionibus borealibus et frigidis Sarmatarum et Hunnorum, etsi a speciebus ciborum quae sunt apud nos et ab eis quae sunt in regionibus meridianis et calidis privantur, Deus habitatoribus, qui ibi sunt, dedit ut aliis speciebus hordei diversis, quae meliores et pinguiores sunt nostris, vescerentur, et manducarent et biberent. Similiter *perspicere possumus mandatum illud, quod iussit Deus factor et creator generis humani, in omnibus regionibus terrae habitabilis operari, quam Deus habitaculum hominibus dedit, cum mandatum illud factoris ex luto terrae progignit et germinat et omnibus habitantibus super eam cibum copiosum et eximium praebet. « Oculi enim cuiuslibet hominis, dicit ad Deum Spiritus psallens[1], ad te sunt erecti et exspectant, et tu das cibum eorum cum sufficientia et copia multa, et unicuique sicut convenit ei, et sicut norunt iudicia Dei rectoris et gubernatoris omnium; das illis, ait, et nutriuntur; et aperis manum tuam, et imples desiderium omnis viventis ». Et[2]: « Omnia te exspectant ut des illis cibum in tempore suo, et cum das eis nutriuntur, et cum aperis manum tuam omnia implentur benignitate tua ». * p. 126

Sic Creator universam suam creationem pascit, cum ab initio iusserit terram hanc habitabilem, quam dedit nobis, proferre ex seipsa herbam et dare cibum copiosum omnibus quae sunt super eam, nutricis instar quae lac de carne sua infanti ex ipsa nato praebet, ita ut igitur ex dictis compertum sit quod ex mandato illo primo, quod Creator terrae dedit, ab hoc tempore usque hodie, lutum eius herbam graminis et arbores fructiferas germinat et profert, et non tantum ex propagatione seminis. Etenim illud mandatum in ea semper inest nec deficit nec languescit nec cessat operari et gignere; et ipsum est quod adhuc fenum iumentis germinat, et herbam servituti hominis ad educendum panem de terra, et vinum ad laetificandum cor hominis, ad exhilarandam faciem eius oleo et ad fulciendum pane cor hominis, sicut dixit Spiritus psallens[3]. Itaque mandatum illud dominicum et universale non sinit vel quantitatem pulveris parvam, ubicumque sit et quantulacumque sit, * non germinare secundum virtutem suam et secun- * p. 127

[1] *Ps.* CXLIV, 15-16. — [2] *Ps.* CIII, 27-28. — [3] *Ps.* CIII, 14-15.

dum qualitatem suam si naturae aquarum qualicumque modo se immiscet. Quod si pulvis est calcarius et desertus virgulta et alias stirpes siccas et macras profert; si locus est montanus et petrosus et calculi magis in eo abundant quam lutum, cum humectatur, germina dat secundum maciem suam. Quod si est in locis valde excelsis in aere in cacuminibus montium, ubi praevalet qualitas illa frigida, prout aliquando participat caliditatem et humorem, obsequitur pulvis mandato dominico; et si adest pars quaedam de pulvere terrae in pariete aut in septo, et miscetur cum humore et radius solis super eam oritur, mandatum illud universale non sinit eam non manifestare pro viribus suis operationem virtutis illius qui iussit.

Quamobrem verba de sapientia Salomonis audienda sunt quae de eo narrant et student verbis paucis ac brevibus magnitudinem et amplitudinem ingenii eius includere, et dicunt quod Salomon omnem qualitatem et virtutem plantarum et radicum scientia sua comprehendit, a cedris Libani usque ad hyssopum quae germinat in septo [1], ita ut inde compertum sit mandatum ne partem quidem pulveris terrae in septo et in pariete sinere non germinare cum humectata fuerit. Sed et super rupem et super latus lapidis parvi aut super saxum elevatum, si inveniatur pars quaedam parva de natura pulveris terrae vel sicut arenula parva ex arena quae ei adhaeret aut sicut illud quod est ex ipso corpore lapidis, ne illa quidem virtute mandati permittitur non germinare. Quod si non possit proferre et edere herbam [sursum] orientem, non cessat edere speciem virentem herbae similem. Itaque et sub imis aquarum stagnantium, cum invenitur * p. 128 * pulvis factus lutum et limus sub eis, si aquae tenues sint usque ad unum aut duos cubitus ita ut aer et calor solis altitudinem aquarum frangere possint et descendere et coniungi naturae limi, statim ac mandato movetur fit generans et germinare facit convenientia sibi, et profert et adscendere facit super planitiem faciei aquarum sive herbam impenetrabilem sive iuncum sive aliam speciem ex eis quae qualitati loci et modo et sapori luti, quod est in eo, conveniunt. Et non solum in aquis dulcibus super terram dulcem collectis

[1] Cf. III *Reg.*, IV, 33.

videmus id fieri ex virtute mandati primi, sed etiam in aquis maris salsis; si lutum dulce super saxis in imis aquarum invenitur, in locis ubi non est eis profundum, et ex parte aeri et calori solis coniungitur, ne illud quidem, cum mandato Creatoris primo urgetur, cessat germinare secundum virtutem suam. Etenim et spongiae quaedam, quae sunt animalia zoophyta participantia sensibilitatem, etsi se a loco suo non movent, nascuntur et oriuntur de saxis, aut aliae species eis similes secundum qualitatem locorum et regionum; in aliquibus quidem locis pinnae et urticae quae generant fucum germinant; in aliis autem saxa, quae sunt in aquis marinis, oriri faciunt et proferunt germinationes quasdam arboreas, coralium seu k e s t a quod, dum in aquis est et super propaginem suam, tenerum corpus habet et facile frangitur; cum autem frangitur et in aerem supra aquas adscendit, corpus acquirit lapidem et ferro lapicidarum difficile secatur.

Haec omnia et talia et alia multa his similia et alia quae ab eis differunt differentiis aliis multis lutum terrae dulce in variis locis, * ubicumque sit, profert et germinat cum naturae *p. 129 aquae ceterisque elementis coniungitur, nec permittitur manere otiosum et sterile, quia semper movetur et incitatur mandato Dei qui dixit ab initio: « Germinet terra herbam graminis seminantem semen secundum genus suum ». Ergo ex his omnibus clare patet terram humefactam ex mandato primo habere virtutem germinandi herbam, et mandatum incitare eam perpetuo et indesinenter ut commixta cum aqua et calore solis attrahat cum eis etiam aerem, et ex eorum mixtione germinet et proferat super se filios genitores seminis quod speciem propagat, et arbores diversas fructiferas quae varias species generum suorum conservant atque custodiunt. Et id factum est ut Deus, creator creationis suae, cibum corporalem ex eis pararet homini seu regi corporali, indigenti cibo corporali, qui postea creandus erat ex terra ex qua, tanquam corporalis et compositus et cum corpore coniunctus et unitus corporaliter, sugeret et nutriretur, et etiam aliis animalibus corporalibus quae creanda erant ex terra ad ministerium eius, ut propagatio generum eorum per semina et fructus generatos servaretur una cum virtute naturali et propria quam Deus creator in terra posuit. Sic

Deus creator iussit terram proferre herbam edentem semina, et sic continuo mandatum adimpletum fuit, et terra germinavit herbam vernalem quae potest facere semen secundum genus suum, et arbores et plantas quae in natura sua habent, quaeque in specie sua propria, virtutem generandi et faciendi fructus propagantes genus suum, ut herba in viriditate sua et cum exsiccata fuerit et aruerit esset cibus conveniens hominibus rationalibus et iumentis irrationalibus et volatilibus et omnibus rep-
* p. 130 tilibus terrae. Simili autem modo * fructus arborum maturi sunt cibus hominibus, et iumentis et bestiis, et volatilibus caeli et reptilibus quae sunt super terram.

Ita quidem vis generativa data est terrae parienti mandato Creatoris; vis autem nutritiva ita condita est et posita in terra et in speciebus omnium quae ex ea nata sunt, ut terra possit esse nutrix et educatrix natorum eaque gradatim et sensim ad completionem perducere, sicut Creator et curator ea iussit et condidit. Quemadmodum hominibus per manus et os ipsorum, et omnibus animalibus quae sunt super terram, et volatilibus caeli et reptilibus per os eorum data est virtus ut nutriant se et crescant voluntate sua spontanea, quae ex se ipsa ad hoc desiderio movetur, ita et illis (arboribus, etc.) per venas quae in terra sunt data est virtus naturalis, stabilis et firma a Creatore ut nutriant se et crescant, dum, quasi sugentes et cibum attrahentes, hauriunt et accipiunt a sinu terrae, genitricis suae, lutum purum et tenue et mundatum, tanquam escam ex ea, et praeterea humorem potantem ex aquis, tanquam lac aut potum, et una cum illis ea quae artificialiter, non naturaliter, coniuncta sunt et commixta [illegible]rem et ignem, mixturam artificialem constantem et nutritivam, tanquam pulmentum et cibum conditum et artificiose paratum ad escam et iucunditatem hominum. Sic data est virtus nutritiva et augmentativa herbis, seminibus, radicibus, arboribus et plantis quas terra protulit. Quaedam ex eis intra parvum tempus duorum aut trium mensium virtutem ad multiplicanda seipsa acceperunt; alia autem usque ad sex menses nutrimento indigent ut ad completionem veniant et edant semen; alia vero usque ad tempus novem mensium super terram exspectant et tunc completionem accipiunt. Tale quidem est incrementum

herbarum et olerum; quae autem vocantur radices tempore duorum annorum indigent ad crescendum, aliquando autem nonnulla earum * tempore trium annorum, dum anno primo nascun- * p. 131 tur et crescunt et in terra firmantur, et anno secundo veniunt ad completionem et semen edunt aut aliae anno tertio. Omnes autem arbores usque ad quattuor annos opus habent ut nutriantur et crescant earumque venae et radices in terra firmentur et roborentur; nonnullae ex eis, paucae, quae praecoces sunt, anno tertio incipiunt fructus proferre; aliae autem anno quarto veniunt ad completionem et edunt fructus; sic etiam in lege divina scriptum est de eis ut post tres annos incrementi earum, in anno quarto primitiae fructuum earum Deo creatori cum gratiarum actione offerantur, et deinde homines de eis comedant [1]. Aliae vero usque ad annum septimum exspectant, et tunc veniunt ad completionem et fructus afferunt. Sic condita est a Deo creatore cum terra et in terra vis augmentativa post generativam.

Itaque exinde omnes herbae vernales et plantae parvae quae foenum producunt, cum calore solis, temporibus aestivis, pinguescunt et edunt semina sua, et post finem dierum aestatis omnes arescunt cum venis et radicibus suis quae in terra sunt, penitusque moriuntur, et in foenum siccum tantum rediguntur; quapropter omnes annuae sunt et dicuntur, quoniam intra unum annum germinant et crescunt et pinguescunt et edunt semina sua, et eodem anno moriuntur et arescunt et fiunt foenum mortuum. Illae vero, quae vocantur radices seu vivaces, post dies aestivos semina et folia sua quidem abiiciunt, sed vivae in terra non mortuae servantur, neque arescunt, quoniam vitalitas et humiditas est in venis earum, et ex eisdem primis radicibus, quae sopitae servatae sunt vivae in terra, cum matutino vernali excitantur, quotannis propagines novas oriri faciunt et emittunt, et istae rursus sic faciunt et patiuntur sicut in anno primo; ita ut hoc modo similitudinem semper habeant potius * ad arbores magnas et vivas quae non ares- * p. 132 cunt, quam ad herbas annuas. Arbores autem fructiferae nutriuntur quidem et crescunt in terra et super terram usque ad

[1] Cf. *Lev.*, XIX, 24.

tempus trium annorum, anno autem quarto, sicut sermo meus iam posuit, ad completionem veniunt et edunt fructus suos; et quidem hi fructus in ramis concipiuntur a temporibus anni hiemalibus, et nascuntur tempore verno nisan; et crescunt velut in alis matrum parientium et, quasi pro palliis et vestimentis mollibus, sub alis ramorum arborum et inter folia trementia et refrigerantia toto tempore aestivo et calido; ita ut cum fructus earum sole maturuerunt et completi fuerunt et sicci facti sunt moderate et convenienter, ipsae ex seipsis, absque coactione sed, ut ita dicam, voluntarie, demittant et deiiciant eos ad terram; quasi per hoc clamantes ad homines et dicentes: Venite, accipite fructus et genimina quae vobis genuimus et crescere fecimus et nunc vobis in escam et iucunditatem reliquimus.

Ita arbores secundum mandatum Creatoris fructus suos hominibus praebent. Multae ex eis post fructus suos etiam folia demittunt; nonnullae vero fructus demittunt et dant alacariter et facile, maiorem autem quoad folia roborem ipsae servant ne sibi auferantur, quia Creator peritus hoc modo eas constituit. Ita condita sunt a Deo creatore et artifice perito terra et herbae, quae sunt ex ea, et semina et radices et arbores et plantae quas protulit per mandatum illud primum quod factum est ad eam erga illa, ut dent semina ad propagationem et conservationem generum suorum, et ad cibum et iucunditatem hominum et omnium animalium quae sunt super terram. Et sic mandatum creatoris sui adimpleverunt, et unumquodque ex eis semina dedit secundum speciem generis sui et secundum similitudinem suam ad propagationem et conservationem suam, iuxta aptitudinem naturalem in se insitam et dispositam. Quaedam ex eis in summis suis et spicis in completione sua semina
* p. 133 gestant, sicut brassica, raphanus sativus, beta vulgaris, * corchorus clitorius, allium porrum, nonnullae ex caepis, frumentum, hordeum, fabae, lens esculenta et omnes leguminum species, et praeter illas omnia oluscula et olera agrestia et spinosa. Aliae autem in radicibus suis in terra generationem seminum ad conservandum genus suum efficiunt, sicut crocus sativus et ornithogale agrestis, et si sit alia species eis similis. Rursus nota est alia species caeparum, quae dicuntur pelliceae, et aliae

multae species eis similes, quae ex radicibus suis infra in terra dant semen, non supra. Aliae vero et supra et infra faciunt semina, sicut scorodon et allium agreste et aliae species similes eis, et mentha et cynodon dactylon et arundo et aliae multae quae supra in extremis suis semen edunt, et in terra venas suas longe deducunt et emittunt, et germinationes proferunt ad propagandum et conservandum genus suum.

Simili autem modo et arbores fructus generant et nutriunt super ramis suis et semina intra fructus suos pinguefaciunt, quaeque secundum genus suum, quia in se habent vim propagandae et conservandae naturae suae, sicut dixit mandatum factoris: « Producat terra arborem edentem fructus, cuius semen est in semetipsa, secundum genus suum et secundum similitudinem suam ». Sic Creator arbores fructiferas condidit. Quibusdam dedit ut multam carnem extra semina sua haberent; ratio quidem est custodia ipsorum seminum, deinde autem, quod necessarium et valde certum est, ut per eas alimentum et delectationem iucundam homini praeberet qui creandus erat earum dominus et possessor. Tales igitur sunt mali, cydonii, piri et ficus; hae scilicet dum carnem multam iucundeque sapientem extra semina habent et offerunt tanquam donum homini, in ea simul ferunt semen, custodem naturae suae; et in semine, quod est intra fructus, firmiter insita est vis naturalis quae potest unicuique perfecte servare speciem determinatam naturae suae, dum per illam simul profert venas cum radicibus et surculis et ramis et ramorum verticibus et foliis et fructibus qui semina * in semetipsis habent. Rursus Creator * p. 134
aliis dedit ut intra duos tutos cortices semina sua protegant ad custodiam et conservationem perfectam naturae suae, sicut civitates munitas quae intra murum et antemurale servantur. Tales sunt nuces, amygdali, pistaciae, coryli et ceterae eis similes, quae constitutae sunt ut id quod est in ipsis semen naturam conservans, velut donum pretiosum simul et edule hominibus, intra duos muros tueantur, intra putamen acre et adstringens, fastidiosum scilicet et non esculentum, et intra parietem lignosum similemque ossi, durum nimirum et haud fragilem. Sic natura perita semen tuto protexit, quod illas species propagat, idemque dedit in escam pretiosam hominibus. Zizy-

pha autem et pruna, quae vocantur damascena, et illa quae appellantur pruna persica, aliasque species eis similes, natura affabre munivit duobus corticibus, uno tenero et carneo, altero osseo ac duro; illum quidem exteriorem et carneum hominibus dedit in escam iucundam, illum autem secundum et interiorem, quoniam fecit eum lignosum et prorsus non edulem, posuit et constituit tantum conservatorem seminis naturalis quod in ipso est. Semen vero oleae, arboris decorae et laudabilis, sicut semen illarum de quibus habitus est sermo, duobus corticibus tuitus est et custodivit, carneo et osseo qui durior est, et totum fructum eius fecit quasi largitorem pinguedinis quae exhilaret hominum faciem et carnem et ossa, et sit eis ad iucunditatem ciborum et condimentum, et ad lumen, et ad sanitatem aliosque usus multos, diversos et necessarios. Semina autem malogranati naturalia multa fecit et unumquodque eorum separatim involvit et ornavit carne iucunda et desiderabili, et ea omnia uno cortice tenero inclusit ita ut, dum crescunt et in-
* p. 135 crementum intus accipiunt, * cortex ille gradatim relaxetur et extra illa crescat, praebens eis locum sufficientem, velut domum, in habitaculum omnium; et haec huius speciei semina etiam ad cibum et iucunditatem hominum fecit et disposuit, et ad conservationem et perpetuam speciei naturalis propagationem.

Creator vero sapiens et omnipotens, ut bonus generis humani curator, ex genere arborum, praeter illas omnes quas sermo memoravit, dedit etiam vitem, plantam parvam et illis debiliorem, sed excellentiorem [et pretiosiorem] omnibus, eiusque semen honorifice posuit intra unum corticem carneum, suavem et desiderabilem adspectu et sapore suo, — ut ex eo detur cibus iucundus generi humano et vinum quod laetificat cor hominis sicut scriptum est[1], cum aliis utilitatibus multis, optimis et necessariis — et intra alterum corticem carneum et durum, qui est in priore cortice, magis compressum et minorem, ut inde rei praestantiam et necessitatem ostenderet. Mos enim est in omnibus, quae ad hunc mundum pertinent, ut id quod est valde pretiosum et necessarium cum multa vigilantia et di-

[1] *Ps.* CIII, 15.

ligentia custodiatur; quapropter semina pretiosa pretiosae vitis tanta hac cura et custodia digna habita sunt a creatore curante et custodiente.

Ergo praestantiam et necessitatem fructuum arborum et seminum quae in eis sunt, ad propagandam et conservandam earum naturam, et fructuum herbarum quae germinant super terram et seminum quae in eis sunt, et *praestantiam* olerum et radicum omnium quae mandato creatoris de terra oriuntur ad cibum et usus hominum et bestiarum, iumentorum et volatilium, omniumque reptilium super terram, per illa optima et necessaria quae posita sunt, sermo nunc declaravit, et etiam magis opportune et honorifice per mentionem quam fecit de tritico * et vite et olea, siquidem per illa et ex illis Deus ea nobis * p. 136 donavit quae vitae hominum valde utilia sunt, panem et vinum et oleum ante alia cetera, quae una cum illis generi humano dedit ut ostenderet divitias bonitatis suae et magnitudinem operationis suae, tum per illa quae videntur magna, tum per illa quae minuta sunt atque valde exigua.

Creavit autem et dedit hominibus, sicut narrant historiae quorundam scriptorum, fructus nostris multo maiores in aliis regionibus a nobis remotis, Indorum, dico, et Aethiopum, et in regionibus Sabae. Quod ut etiam apud nos cognoscatur, inter arbores regionum nostrarum arborem citrum creavit, quae semen suum servat et custodit in fructu suo, ad propagandum genus suum, intra corticem carneum, magnum, spissum et pinguem; rursus inter herbas, quae super terram germinant, fructum dulcem et iucundum dedit qui pepo nuncupatur. Hos aliosque cum eis fructus creator nobis praebuit ex terra, quam germinare iussit herbam seminantem semen secundum genus suum et arborem fructiferam cuius semen est in semetipsa secundum genus suum et secundum similitudinem suam. Et terra, iuxta mandatum creatoris, herbas et semina et radices germinavit quae proferunt semina, unumquodque secundum speciem naturae suae, et arbores fructiferas quae omnes fructus praebent in quibus est semen ipsarum secundum genus suum, quia in eo semine inest naturaliter et stabiliter vis naturalis quae propagationem speciei eius propriae secundum naturam suam semper servare potest. Et ita semen, quod est in

fructibus, sive ex herbis sive ex arboribus, in quo est natura uniuscuiusque separatim, videtur servare et custodire ipsam speciem quae est in genere; ita ut si quis velit verbo definire et dicere quid sit natura, sermone definiente omnia eiusmodi, nihil aliud dicere et convenienter statuere potest nisi haec: Natura est id quod in aliquo semper et stabiliter invenitur, *p. 137 * sive virtus vocatur sive qualitas sive aptitudo, unde semper constituitur eius essentia, aut substantia, aut prima generatio. Id natura est in aliquo, quod potest illud movere ut subsistat secundum genus suum; id natura est quod in aliquo illud servat et continet ut semper sit sine fine et sine mutatione. Haec est definitio naturae, et illustrat et declarat id quod Deus de arbore fructifera dixit: Fiat arbor fructifera cuius semen sit in semetipsa secundum genus suum et secundum similitudinem suam, hoc est, semen in quo sit vis quae essentiam suam servet naturamque speciei suae constituat. Sic inest et invenitur in semine quod est in fructibus malorum et cydoniarum et in semine ceterorum similium, et in semine omnium quae super terram germinant, vis constitutiva naturae propriae uniuscuiusque eorum.

Ita creator et curator humani generis ex terra, tanquam ex nutrice, alimentum sufficiens et conveniens dedit hominibus et omnibus animalibus cum eis super terram, et volatilibus caeli et omnibus terrae reptilibus, aperiens manum suam et explens desiderium omnis viventis sicut Spiritus psallens celebrat, cum dedit triticum ex quo est panis qui fulcit cor hominis, et donavit vitem ex qua est vinum quod laetificat cor hominis, et germinare fecit oleam ex qua est oleum quod exhilarat faciem hominis. Istis enim homines valde locupletantur, sicut Psalmista docet dicens de illis[1]: « A multitudine fructus tritici et vini et olei multiplicati sunt ».

Dedit autem Deus curator ex herbis et radicibus et germinibus terrae, et ex arboribus fructiferis, et ex eis quae fructus non ferunt, una cum alimentis et cibis quae data sunt ad sustentandam hominum vitam, etiam alia beneficia multa variasque utilitates ad sanationem et curationem corporum et ad

[1] *Ps.* IV, 8.

praeparationes artificiales beneolentes. Ex * sudore enim et *p. 138 destillatione arborum est myrrha et cassia et stacte[1] seu stillicidium (myrrhae); haec non solum ad sanationem et medicamenta corporum humanorum utilia sunt, sed praeterea ad praeparanda unguenta beneolentia. Rursus incensum, quod in fumum odoris suavis offertur, ex arboribus regionis Sabae provenit. Similiter et cinnamomum illud beneolens est cortex arboris ex regione Sabae. Item et oleum balsami beneolens ex arboribus quae sunt in Aegypto provenit. Pariter et destillatio illa de arbore[2] daphne[3] seu styrace, et destillatio illa mellea de arboribus quae sunt in Isauria, componendis incensis beneolentibus utiles sunt et pharmacis pro sanatione corporum necessariae sunt. Simili modo etiam (utile est) stillicidium illud de arboribus Chii insulae, quod vocatur mastice seu chia, et resina quae de arboribus Galaad, terebinthis et amygdalis manat, cuius mentionem facit Scriptura divina cum de ruina Israel loquitur[4]: « Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare non adscendit sanatio populi mei? ». Iterum, et de Aegypto similiter dicit[5]: « Tolle resinam, virgo filia Aegypti.» Rursus galbanum illud odore violentum et necessario utile compositionibus beneolentibus et pharmacis medicinae ex radicibus et germinationibus terrae Assyriae inventum est ad usum vitae hominum; et etiam pix et colophonium ex cedris et oleum picenum ex arboribus abietibus altis montis Libani inventa sunt et data naturae humanae ad usus necessarios et commodos.

Talia igitur dedit creator copiose et abundantissime, de natura arborum et radicum et herbarum terrae, et etiam alias destillationes diversas * in variis regionibus nobis incognitis, *p. 139 utiles et necessarias vitae hominum; sicut est illa quae vocatur gummi, quae provenit ex arboribus spinosis quae sunt in Aegypto, et sicut quae dicitur ammoniaca gutta, quia de terra Ammonis, capitis regum Aegypti, provenit; et sicut lac ex radice panacis; et sicut stillicidium seu lacrima quae vocatur sarcocolla, et sicut illud quod vocatur tragacantha seu spina cer-

[1] Alludit ad *Ps.* xliv, 9. — [2] In cod. Lugd. « de arboribus ». — [3] Nomen arboris potius quam nomen loci (Φένεος ?); cf. infra, p. 117. — [4] Ier., viii, 22. — [5] Ier., xlvi, 11.

vi [1], et sicut aliae destillationes et fluenta pinguia et madida quae ex pinguedine lignorum arborum manant et fluunt super cortices exteriores trunci earum, et ex radicibus terrennis similiter, quae hominibus valde utilia sunt. Invenit autem, una cum istis, scientia medicorum ingeniosa et sapiens cogitatio hominum sagacium et callidorum, qui vim radicum et herbarum terrae acute observant et intellegenter explorant, etiam sucos multos ex humore foliorum aut corticum earum qui sunt utiles et commodi. Aliquando vero, quia parvus erat humor in foliis et venis radicum aut herbarum aut arborum, neque poterat exprimi et manare ex eis, aliam viam ingeniose invenerunt: tollunt enim et fervefaciunt aqua et igne folia et venas aut cortices, et virtutem eorum per aquam excipiunt; et arefaciunt ea, et inveniuntur ipsis utilia ad instar sucorum qui arefacti sunt, v. gr. aloe seu ṣ a b r ā, et id quod vocatur apud medicos acacia, et aliae destillationes et suci et coctiones qualicumque modo necessariae et utiles, quae ex herbis terrae et radicibus et arboribus praeparatae sunt.

Sunt autem hominibus, una cum illis, aliae utilitates multae et necessariae ex lignis arborum. Etenim ex lignis earum tecta domibus habitationis suae conficiunt et instrumenta utilia necessitatibus suis multis, tum in domibus tum in opera agriculturae, et in aliis rebus et operibus hominum variis, sicut mensas et sedes et thecas et catinos ad cibum apponendum, *p. 140 *et pocula ad potandum, aliaque eiusmodi quae facit faber lignarius ad usum et vitam hominum, aratra et trahas et currus et alia multa instrumenta utilia et necessaria vitae hominum, ne sermo descriptivus illa omnia persequatur laborans in multis vocabulis et nominibus. Equidem unde fecit Noe arcam seu navem natantem, qua ab aquis diluvii seipsum et domum suam et animalia et volatilia et omne vivens et reptans super terram servaret, nisi ex lignis arborum? Et postea unde homines, artem illius imitati, sibi fecerunt et paraverunt naves ad navigandum et secanda maria vasta atque invia, nisi ex copia lignorum arborum quam factor et curator vitae ipsorum dedit eis de terra cum dixit imperative: Producat terra arbores fructiferas? Itaque ex arboribus fructiferis et ex fruc-

[1] Nisi syra vox a ī l ā etiam « caper » valeat.

tibus earum et simul ex lignis omnium arborum Deus haec commoda hominibus dedit aliaque multa eiusmodi necessaria. Creator enim sapiens non permisit sine ulla utilitate esse vel fructus arborum haud edules. Namque ne fructum quidem arboris quae vocatur viscum, otiosum reliquit, sed ex eo dedit glutinum necessarium et utile eis qui aves in arboribus callide et sagaciter aucupantur; inde hunc avium venatorem Graeci viscarium[1] appellare solent. Neque otiosi sunt fructus illi fastidiosi et noxii daphnes seu styracis, nam ex eis piscatores illecebras componunt, et cum illos comminutos in rivos aquarum proiiciunt, pisces ex eis bibunt, veneno inficiuntur et moriuntur et capiuntur facile ac sine labore. Neque otiosi sunt fructus omnes ceterarum arborum, neque semina radicum et herbarum aut olera quae non sunt edulia, sed noxia, quia quodcumque Deus fecit est bonum et pulchrum, sicut sacra Scriptura testata est et laudavit, et ii qui pollent mente prudenti et discernenti assentiuntur et iudicant, nihilque fecit otiosum et vanum aut non aliquo modo utile vitae et usibus huius mundi. Neque elleborus mortifer, neque euphorbea noxia, neque scilla planta adurens, neque scammonia lethalis, neque alia multa eiusmodi sunt omnino otiosa et vana * nec prorsus sine utilitate neces- * p. [illegible]
saria generi humano, sed dum reputantur mala et noxia aliquo modo, bona et utilia alio modo inveniuntur. Etenim, iuxta proverbium, prope viam mali adest via boni, et scientia boni et mali simul ponitur apud Scripturam divinam, quia cum opera Dei scientia considerantur, nihil horum quae creavit malum est aut otiosum et vanum, aut non requisitum et inutile necessitatibus hominum. Ecce enim e corticibus stipularum lini sapientia perita vestimentum decorum et pretiosum hominibus invenit. Simili modo ex semine herbae, quae vocatur gossipium [vestes conficiunt] ; pariter etiam e corticibus stipularum cannabis industria hominum utilitates magnas paravit, funes dico, et res multas. Neque sivit iuncum et s i a g a r t a[2], herbas viles quae in aquis germinant, esse inutilia et non praebere materiam usibus hominum multis necessariam. E papyro autem ars perita et fecunda operum utilium non so-

[1] ἰξευτής. — [2] Planta aquatilis vel paludensis; nomen e copia seu densitate deductum videtur.

lum chartas scriptoribus dedit sed, una cum istis, res ususque ex eo paravit. Ratio autem fecunda hominum sapientium et peritorum non neglexit sumere ex foliis arborum, et e surculis, etiam e foliis herbarum et radicum multarum, et e corticibus et cannis, immo e feno herbae arido et stipulis siccis, materiam utilem et aptam rebus multis vitae hominum necessariis; ita ut per haec omnia cognosceretur nullam rem, sive magnam sive parvam, factam esse a Deo creatore otiosam et vanam et haud pulchram, sed omnia creata fuisse utilia et necessaria propter hominem corporalem, qui omnibus corporalibus indiget, et ad gloriam creatoris eius sapientis et
* p. 142 omnipotentis et boni curatoris creationis; * cui laus et principatus super omnia quae creavit, in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit tractatus tertius, de terra et maribus et fluminibus et montibus et seminibus et radicibus.

TRACTATUS QUARTUS: De luminaribus quae Deus in firmamento caeli creavit.

Deus, creator et curator creationis suae, illam omnibus, quae ei necessaria sunt et utilia, ornavit atque [paravit], nec omisit vel unum ex eis quae sapientia sua noverat hac sensibili et corporali creatione requiri. Et quemadmodum ei, qui domos regias aedificant et disponunt, postquam aedificaverunt et compleverunt aedificia, et exstruxerunt et ornaverunt parietes et columnas et tecta et solum domus, una cum fenestris quae lucem in cubicula habitantibus introducant sapienter et ordinatim curant ut candelabris aliisque vasis, quae luminaria recipiant, domum adornent, sic Deus quoque, factor et artifex huius mundi, curator et sapiens gubernator plasmationis hominis quem creaturus erat et formaturus ad imaginem suam et positurus incolam et regem domus huius magnae, cum domum tecto, caelo hoc vasto ac mirabili, instruxisset, et decorasset et parasset eam in aere hoc puro, mundo et lucido pro fenestris, et fecisset ei solum ordinatum et conveniens, id est, aridam hanc magnam et amplam ad habitaculum et commorationem animalium, et pro piscinis formasset in ea maria et flumina et fontes, curavit ut, praeter haec omnia, etiam luminaria tanquam candelabra in ea faceret et poneret quae regi incolae et animalibus ei servientibus per noctem ac diem lucerent. Sic Deus factor hanc domum omnibus necessariis praeparavit et ornavit propter hominem qui creandus erat habitator in ea.

Quamobrem * Spiritus scriptor, qui per Moysen loquebatur, * p. 143
illis primis, quae praeposuit, convenienter addidit[1]: « Et dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, ad distinguendum inter diem et noctem; et sint in signa et in tempora et in dies et in annos; et sint ad illuminationem in firmamento caeli, ad

[1] *Gen.*, I, 14-19.

lucendum super terram; et factum est ita. Et fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius in dominium diei, et luminare minus in dominium noctis, et stellas. Et posuit ea Deus in firmamento caeli ad lucendum super terram et ad dominandum diei et nocti, et ad distinguendum inter lucem et tenebras. Et vidit Deus quod esset pulchrum; et factum est vespere et factum est mane, dies quartus ». Haec verba Spiritus Dei dixit per Moysen scriptorem qui de creatione et praeparatione huius mundi narravit, cum ostendere voluit institutionem horum luminarium, quae Deus in firmamento caeli creavit et in hoc mundo, domo generis humani, posuit velut candelabra et lampadas quae conficiuntur et ponuntur in aedibus regiis. Verumtamen quia haec sunt verba Spiritus Dei, agedum exponamus et dilucidemus haec omnia singillatim eis qui in illa inciderint, et revelemus sensus absconditos et mysticos, qui sunt in illis, eis qui cum cura et amore doctrinae haec lecturi sunt.

« Et dixit Deus, ait Spiritus: Fiant luminaria in firmamento caeli ». Dialectica investigat quis sit ille qui dixit: Fiant luminaria, et cuinam haec dicta fuerint; et mens intellegens intentaque ad veritatem respondet: Deus Pater invisibilis et factor omnium, mens ingenita et increata et incomprehensibilis, secreto et divinitus locutus est Verbo suo factori, nato ex
* p. 144 ipso aeterne et absque initio; Deus * Pater locutus est Filio suo unigenito; Deus fortis et omnipotens locutus est Virtuti suae ineffabili et omnipotenti, Sapientiae suae quae dixit[1]: « Quando firmabat caelum, cum eo eram; et quando ponebat fundamenta terrae, ego eram apud eum disponens ». Huic suae virtuti et sapientiae suae et brachio suo et dexterae suae et splendori suo aeterno et essentiali et Verbo suo subsistenti, forti et omnipotenti et factori, Deus Pater et genitor dixit: Fiant luminaria in firmamento caeli. Ei, per quem omnia facta sunt et sine quo nihil factum est, Deus Pater, genitor eius, dixit: Fiant luminaria in firmamento caeli. In firmamento caeli, ait, fiant, et regionem eorum positionis locumque infixionis eorum ostendit. Haec enim dixit de loco eorum et de regione ubi disponenda sunt.

[1] *Prov.*, VIII, 27. 30.

Perrexit autem ostendere sermone suo etiam propter quid facta sint, dicens: « Ad distinguendum inter diem ac noctem, et sint in signa et in tempora et in dies et in annos ». De utroque luminari posuit illud: Ut distinguant inter diem ac noctem, etsi hoc totum est luminaris illius maioris quod diem efficit. Ipsum enim solum potest, cum supra terram est, efficere diem; cum autem infra terram est, efficere noctem. Illius autem luminaris minoris non est, cum supra terram est, efficere diem, cum vero infra terram est, efficere noctem; sed id tantum de eo dicere possumus quod, cum illuminat, nocte illuminat, [die autem non illuminat], quia tota lux diei est luminaris illius maioris. Itaque scriptum est: « Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius in dominium diei et luminare minus in dominium noctis ». Et per hoc aperte ostendit luminare minus non posse die illuminare, quia dominium est luminaris maioris. Aliquando * vero luminare minus ne nocte quidem illuminat; ideo, verbis quae dixit: « Luminare minus in dominium noctis, » subiunxit: « Et stellas »; et per hoc ostendit quod, quando luminare minus nocte non illuminat, stellae illuminant. Haec manifestavit sermo quem Spiritus de luminaribus dixit: « Ad distinguendum inter diem ac noctem ». Sic illuminatione sua inter diem ac noctem distinguunt, et ostendunt omnibus, qui sensu videndi pollent, quando est dies et quando est nox.

* p. 145

Pergit vero dicere in sermone suo: «Et sint in signa et in tempora et in dies et in annos ». Oportet etiam haec sermo exponat atque elucidet; sed antequam id faciamus, aequum est dicere quae sint nomina horum luminarium ut sermo clarus et perspicuus sit. Id enim Spiritus non fecit, neque nomina eorum per verba Scripturae sacrae tradidit, sed tantum dixit: « luminare maius » et « luminare minus », et per hoc differentiam et distinctionem eorum ostendit, et dominium utriusque speciatim declaravit. Haec vero luminaria sunt sol et luna, et sic vocantur usu communi. De eis dixit: « Sint in signa et in tempora et in dies et in annos ». In « signa » enim dixit, quia Deus illa condidit ut faciant signa mirabilia et terrifica hominibus per defectiones quae ipsis interdum eveniunt: soli quidem a luna, quando faciunt concursum et iter simul, et sunt ambo in eadem regione, et luna stat coram sole eumque hominibus

absconđit; lunae autem, quando a sole distat distantia magna dimidii sphaerae, et privatur luce eius, et sunt remoti ab invicem in regionibus diversis atque oppositis. Luna vero, luminare minus, nobis ostendit, praeter ista, alia signa mutationum et adspectuum inter se dissimilium ob incrementa et deminutiones *p. 146 quae ipsi semper fiunt. Rursus, praeter illa, sol et luna * alia signa diversa et terribilia in caelo et in aere faciunt. Sol quidem arcum terribilem et formidandum tanquam dimidium circulum efficit, et alia signa per nubes quae vocantur ex usu communi fel solis, et alia quoque in firmamento caeli desuper quae dicuntur lanceae et scopae et trabes (?), et cometae et pogoniae et docides iuxta usum loquendi apud Graecos; luna autem coronam et circulum rotundum in nubibus efficit, et mutationes diversas, et fulgores multimodos per aerem humidum, et per cornua sive spissa sive tenuia quae incremento aut deminutione lucis suae facit. Sint ergo in signa propter ea quae sermo ostendit.

Nunc dicam de aliis multis quae homines, qui docti ac sapientes reputantur, exploratione observant, scilicet praenunciant nonnulla futura, et propter ea existimant et existimantur cognoscere futura, dum veraces non sunt, nec cognoscunt. Etenim accidit ut sol et luna, ob adspectus varios quos recipiunt in aere humido aut sicco, qui prope vel infra conspectum eorum est, indicationes proximas praebeant, et homines, qui eas experientia didicerunt, existimentur aliquid de futuris cognoscere et praenuncient, et quamvis aliquando veraces sint, tamen non semper nec omnimodo nec necessario veraces sunt, quia Deus gubernator uno momento, quando vult, mutationes diversas facit, et signa varia ac mirabilia, sive in aere sive in ipsis luminaribus, multiplicat quae non fuerunt in eis praemonstrata nec praesignata nec indicata. Scriptum est enim Dominum facere quodcumque vult, quod verum est; et sol et luna non possunt nos cogere ut credamus eis quae praemonstrantur in ipsis aut ab ipsis et dicuntur a viris qui praesentiunt et praenunciant. Sic sunt in signa quando gubernatori, factori eorum, placet.

*p. 147 Dicit autem: « In tempora et in dies * et in annos » quia ambo constituti sunt ad mensuranda tempora per revolutio-

nem suam in hac sphaera: sol quidem cum currit circumeundo ad occidentem cum tota caeli sphaera, et per unam revolutionem intervallum et spatium unius noctis et diei, XXIV horarum, indicat, et item per retrogressum [1] suum a sphaera ad orientem et unum circuitum per totam sphaeram efficit mensuram anni eiusque quattuor tempestates, per dies trecentos sexaginta quinque et quartam partem unius diei seu sex horas; luna autem cum per retrogressum suum a circulo ad orientem et per unam revolutionem retrorsum in tota caeli sphaera mensuram mensis nobis ostendit, tum per nomen suum, tum per circuitum suum per dies XXIX cum dimidio et parte quadam. Nomen enim lunae, tum apud Hebraeos tum apud Graecos, significationem mensis habet.

Rursus, praeter solem et lunam, etiam quinque illae stellae quae vocantur errantes (planetae), per varia intervalla spatiorum revolutionis suae retrorsum in corpore sphaerae caelestis, propter retrogressum suum ex ea, notitiam temporum praebent. Una quidem ex eis, quae vocatur Cronos seu Saturnus, circa triginta annos tempus circuitus sui et revolutionis retrorsum in toto circulo facit; illa autem, quae dicitur Iupiter seu Bel, circa XII annos circuitum revolutionis suae perficit; illa vero, quae vocatur Mars, circa unum annum et sex menses circuitum suum in tota sphaera absolvit. Rursus ceterae duae, quae dicuntur Venus et Mercurius, indicationem dant temporum, cum et ipsae, fere sicut sol [2], per spatium et intervallum annuum, circuitus suos retrorsum perficiunt, dum aliquando a cursu celeri circuli retrocedunt et aliquando praeveniunt, et sunt etiam ipsae, sicut sol et luna, in signa et in tempora et in dies et in annos. Sic erat sermo quem Spiritus dixit: « Et sint in signa et in tempora et in dies et in annos ».

Post haec dixit: « Et sint ad illuminationem in firmamento * p. 148
caeli, ad illuminandum super terram ». Postquam autem dixit: « Et sint ad illuminationem in firmamento caeli, » quare subiunxit: Ad illuminandum super terram »? Ut per hoc ostendat

[1] Vox syr. p a u š a, proprie « mora », notat cursum rectum sideris ab occidente ad orientem (apud Ptolem. ὑπόλειψις). Cf. Barhebr., *Ascension de l'esprit*, ed. F. Nau, p. 75. — [2] Codd. Samosata.

totam necessitatem illuminationis eorum esse super terram tantum, non in firmamento caeli cui infixa sunt. Etenim non Deus, eorum creator, luce eorum indigebat, neque exercitus, ministri eius, qui vocantur caelestes, neque regio illa in qua posita sunt et infixa, ut ita rem accurate referam. Sed ad hoc creata fuere ut super terram lucerent hominibus et animalibus quae Deus super eam deinde creaturus erat. Sic Deus de luminaribus illis, quae in firmamento caeli creata sunt, locutus est; et Spiritus continuo dixit: « Factum est ita ». Illud igitur: « Factum est ita, » nemo intellegere debet quasi factum absque mente et absque ratione, nec dicere sicut dicunt quidam ex paganis et inimicis sermonis nostri: ipsa a seipsis subito facta esse et constituta luminaria, ita ut praeterea non intellegat nec dicat quis sit qui illa fecerit et stabiliverit et firmamento caeli infixerit. Sed videat et intellegat et consideret, cum gradatim legit, id quod Spiritus postea dixit: « Et fecit Deus duo luminaria magna ». Illud ergo quod Spiritus supra dixit: « Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, » et illud quod nunc dixit: « Et fecit Deus duo luminaria magna, » non ita crasse et simpliciter et inconsiderate accipere debet, ut iudaice et caeco impetu dicat indicationem unius personae tantum in istis videri, non duarum, sicut convenientia sermonis prorsus requirit. Etenim iudicare debet aliam esse personam quae dixit: « Fiant luminaria, » et aliam esse personam de qua Spiritus dixit: « Fecit luminaria ». Nam si ille qui dixit et ille qui fecit essent una eademque persona, necesse non fuisset eum dicere: Fiant luminaria, nec Spiritum ita scribere, sed debuisset facere tantum nec dicere: Fiant; et Spiritus debuisset scri-
* p. 149 bere: * Fecit Deus luminaria, nec illa priora dicere. Sed notum est Deum Patrem, creatorem omnium, esse qui dixit: Fiant luminaria, Verbo suo factori et omnipotenti, quod natum est ex eo ab aeterno et est aequale ipsi in essentia et in virtute et in potentia creativa, et hoc Verbum esse quod fecit luminaria, id est, cum Patre in Spiritu sancto. Ipsum enim omnia fecit et sine eo ne unum quidem factum est [1]. Equidem Verbo Domini facti sunt caeli et spiritu oris eius omnes virtutes eorum [2].

[1] Cf. Ioh., i, 3. — [2] Cf. *Ps.*, xxxii, 6.

Ita est sensus verborum illorum mysticorum Scripturae Spiritus quae, propter stupidam Iudaeorum pueritiam qui non poterant audire nec tolerare in divinitate aliam et aliam personam, unam quae dicit: Fiant luminaria, et alteram quae facit, sic obscure et secreto posita et scripta fuerunt. Sermo autem libri Spiritus sic aperte et clare veritatem ostendit.

Non est vero reprehensibile, sed et valde dignum acceptione, quod ab adversariis veritatis testimonium reddatur veritati, et ab eis, qui sunt extra domum nostram, declarentur et affirmentur haec nostra, quin immo haec Spiritus. Nonne enim existimanda sunt ad eum pertinere etiam illa quae ab eo in ore paganorum olim posita fuerunt ut essent utilia veritati et redargutio mendacii et haereticorum qui veritati resistunt? Ecce enim vir, Aegyptius quidem genere, celeberrimus autem et honoratissimus apud Graecos, Hermes ille qui apud eos appellatur Trismegistus, verba indicativa veritatis nec aliena verbis Spiritus loquitur ad eos qui ipsum interrogabant. Cum quidam Osiris, aiunt, illum de generatione solis interrogaret, scriptum est eum sic respondisse et dixisse illi: « Osiri, visne me loqui de generatione solis, unde visus sit? Visus est providentia Domini universi »[1]. Est quidem generatio solis a Domino universi, nam per verbum eius sanctum factus est. Cum autem ille rursus interrogaret quomodo factus fuerit, post alia respondit ei, dicens: « Dominus quidem universi statim clamavit ad * verbum suum sanctum, intellegens ac efficax: * p. 150 Fiat sol, et statim ac dixit, visum est quod ignem illum qui naturam in sublime tendentem habet, illum, dico, qui est praestantissimus et luminosissimus et efficacissimus et maxime permanens, natura spiritu suo attraxit eumque in altum super aquas extulit »[2]. Haec ergo verba nemo, puto, dicet remota esse a veritate verborum Spiritus veritatis, immo dicam ea maxime propinqua. Ego enim dico providentia Dei, Domini universi, solem factum esse et a Domino universi et per Verbum eius sanctum. Et cum Dominus universi ad Verbum suum sanctum clamavit: Fiat sol, natura creatrix spiritu suo sphaeram ignis splendentis ac efficientis super aquas attraxit, et sic

[1] Cf. Scott, *Hermetica*, tom. I, p. 547. — [2] Ibid.

dicit solem apparuisse. Quis dicet illum non esse Spiritum qui per Moysen loquebatur, et dixit ac scripsit: « Dixit Deus: Fiant luminaria », et per David cantavit[1]: « Verbo Domini facti sunt caeli et spiritu oris eius omnes virtutes eorum, » cum et sol et luna et stellae, virtutes caeli dicantur? Ille est qui etiam haec verba in ore Hermae Aegyptii posuit, ut scilicet per haec omnia veritas indicaretur atque declararetur, et compertum esset omnibus verum esse verbum quod Deus locutus est ad Verbum suum, factorem: Fiant luminaria in firmamento caeli. Et postea, sicut scripsit Spiritus, Deus, ipsum inquam, Verbum factor, fecit duo luminaria magna, solem et lunam, et cum eis exercitus stellarum eximios et mirabiles.

Sic creata fuerunt a Verbo factore et creatore omnium et artifice, qui est Deus fortis et omnipotens aequalisque genitori suo in essentia, sol et luna totumque stellarum agmen, et ab eo [posita fuerunt] in firmamento caeli ad lucendum super terram et ad distinguendum inter lucem et tenebras, id est, per Spiritum aequalem in essentia et in virtute et in potentia creativa Patri factori et Verbo eius creatori. Et sic constituta sunt luminaria et lampadae et candelabra huic domui, domui regiae, huic mundo, antequam rex, incola eius, homo, crearetur; et
* p. 151 sic Deus vidit pulchrum esse quod * fecerat sicut Spiritus, scriptor et cognitor rerum Dei, statuit atque tradidit. Spiritus quidem divinus sic dixit de creatione luminarium, et de hoc quod Deus posuit ea ad lucendum super terram et ad distinguendum inter lucem ac tenebras, et ut sint in signa et in tempora et in dies et in annos.

Sermo autem noster, adiuvante Spiritu, nunc vult dicere quid sit quod Spiritus superius dixit: In die primo Deus dixit: Fiat lux, et facta est lux; et quid sit quod nunc dixit: Fiant luminaria, et fecit luminaria; et quomodo lux a luminari differat. Cum haec exposita fuerint, apertus erit nobis sermo de sole ceterisque luminaribus. Notum est quidem quod Deus, cum caelum et terram ab initio creavit, sicut Spiritus dixit, simul creavit quattuor elementa ex quibus sunt caelum

[1] *Ps.* xxxii, 6.

et terra et omnia quae sunt in eis, et cum elementis etiam qualitates ipsis naturales simul creatae sunt. Itaque si una cum caelo et terra simul creatae sunt aquae et aer et ignis, ipsa et qualitates quae sunt in eis, ergo patet lucem esse filiam ignis aut qualitatem quandam quae in eo semper existit, sicut et calorem et proprietatem qua sursum et extra omnia elementa movetur, et obscuritatem esse filiam quandam aut qualitatem insitam in corporibus solidis et spissis et duris, in terra, inquam, complete et totaliter, et in aquis ex parte et modice. Haec quidem prius ab initio cum elementis creata sunt, nec postea creata est lux cum igne, nec tenebrae [seu] umbra cum terra. Tenebrae enim sunt umbra corporis terrae; umbram autem parvam ac tenuem, sicut dixi, etiam elementum aquae ex parte facit. Ergo si lux erat cum igne ab initio creationis et tenebrae cum terra et aquis, cum Deus dixit: Fiat lux, sicut Spiritus tradidit, hoc non dixit ut lux existeret, sed ut manifestaretur et videretur et luceret, aut, sicut quidam ex sanctis Ecclesiae doctoribus tradidit et scripsit: Illud « Fiat lux », est: Ingrediatur * lux illa, quae ex igne est, in medium hoc * p. 152 quod tenebrae occupabant. Illud quidem: Fiat lux, quod Spiritus posuit dictum esse a Deo die illo primo, dictum fuit pro hoc: Ingrediatur lux et luceat in caligine humiditatis aquarum per aerem diffusa, ut introitu et adventu suo ad aquas, quae sunt super terram, excutiat tenebras quae super faciem abyssi diffusae erant. Etenim quia tunc in initio omnia elementa adhuc ex parte diffusa erant unum in alio, nec terra complete mundata erat ab aquis, nec aquae ab aere cum ipsis coniuncto et permixto, nec aer a vapore aquarum, nec natura ignis munda erat ab aere illo humido quem ignis ad se trahebat per calorem suum qui in altum movebatur, propter hoc lux ignis nondum poterat nec par erat ad frangendum aerem illum permixtum et humidum et obscurum, et ad illuminandas tenebras quae detinebantur super faciem abyssi aquarum quae erant super terram. Ideo artifex ille sapiens et ordinator iussit: Fiat lux; id est, veniat de igne mundata et ingrediatur et luceat [in aere qui est in medio] super aquas abyssi. Cum autem illa ingressa esset et fulsisset secundum mandatum factoris, globum terrae desuper et infra lustrabat, et perficiebat vespere et mane, et

dies et noctes trium dierum, tanquam ignis a longe illuminans fulgore lucis suae etiam hic apud nos. Sic perfecti sunt tres illi dies et noctes luce illa ex igne diffusa, dum ipsa et caligo illa tenebrosa, quae erat super faciem aquarum, terrae circuitum diverse lustrabant, et perficiebant: lux quidem diem, caligo autem, una cum umbra terrae, noctem quae vocata est tenebrae.

Haec vero lux fulgor tantum ignis superni erat, et in aere lucebat, necdum inclusa erat nec collecta in unam sphaeram comprehensivam et compactam. Cum autem creatori placuit
* p. 153 die quarto * facere hanc sphaeram splendidam et lucidam, quae nuncupatur sol, posuit nobis in firmamento caeli luminare ad lucendum super terram. Ille *fulgor* erat lux de igne quae iussa est die primo lucere; hic erat sol qui die quarto conditus est, et ita differunt inter se, sicut fulgor igneus a longe illuminans differt a lampada splendida in medio posita et abundanter illuminante. Alius enim est fulgor lucis in domo diffusus et subobscure lucens, et alia est lampas aut lucerna quae ipsam lucem continet, immo naturam ignis splendentem; itaque igitur lux illa diffusa et prima radius et fulgor tantum splendoris ignis erat; sol autem, qui nunc die quarto conditus est, non est [splendor][1] ignis aut fulgor ignis, sed ipsa natura ignis mundati et splendentis et efficacissimi, sicut sermo demonstrativus superius ostendit. Id quidem et talis erat sol qui conditus est luminare magnum die quarto, sicut Spiritus scriptor dixit, et perfecte distinxit inter lucem ac tenebras, et inter diem ac noctem. Quare vero Spiritus dixit luminaria die quarto condita esse, demonstratio sermoni theoriae intellectualis de luminaribus congruenter relinquetur.

Verumtamen quia quidam de luce et tenebris otiose interrogant utrum prius sit socio suo in creatione sua, lux tenebris an tenebrae luce, sermo etiam in hoc parum incumbet. Quod si terra et ignis simul cum aliis elementis creata sunt, sicut sermo superius posuit, et terra ab initio creata est, sicut Spiritus dixit: In principio fecit Deus caelum et terram, et ignis est finis supernus et exterior caeli, et cum istis simul creatae

[1] Vox haec aut alia fere synonyma (radius, lumen?) excidisse videtur.

sunt qualitates, quae in eis sunt: cum terra quidem umbra eius, cum igne autem lux eius — umbra vero terrae sunt tenebrae —, tunc evidens est et compertum omnibus vanam esse hanc * interrogationem de luce et tenebris, quodnam prius sit et quodnam posterius sit creatione sua. Ergo lux non potest dici prior tenebris, nec tenebrae priores luce, quia neque ignis prior est terra creatione sua, neque terra igne, sed omnia simul creata sunt et constituta a Verbo creatore et omnipotenti, etsi Spiritus in Scriptura rationem ordinis tradidit iuxta morem saeculi propter audientium infirmitatem, et dixit luminaria die quarto condita fuisse.

Nunc autem oportet, post ea quae dicta sunt, ponamus quae sit essentia seu natura corporis uniuscuiusque luminaris, solis, dico, et lunae et stellarum, prout mens investigans videre, considerare et dicere potest, et loquamur de quantitate magnitudinis et forma corporum eorum, et de altitudine eorum a nobis et a se invicem, et de loco positionis et infixionis eorum in sphaera quam Scriptura firmamentum caeli vocavit. Inquirit quidem ratio de eis convenienter et rationaliter hunc in modum. Illa quidem esse corpora, non autem incorporalia, testatur tum sensus videndi, tum sententia apostoli, divi Pauli sapientis, qui cogitatione et verbo id confirmat cum sic dixit [1]: « Sunt corpora caelestia et sunt corpora terrestria », dum corpora seu p a g r ē caelestia vocabat solem et lunam et stellas, et ideo in sermone suo postea subiunxit: « Alia est gloria solis, et alia est gloria lunae, et alia est gloria stellarum; et stella stellam gloria antecedit », dum gloriam appellabat maiorem splendorem lucis uniuscuiusque eorum respectu alius ipso minoris. Corpora autem esse ex quattuor elementis illis primis et materialibus et comprehensivis omnium corporum, [nemo litem movebit. Si itaque illa sunt corpora, sunt ex] quattuor primis elementis, etsi omnia sunt lucida et fulgentia et induta gloria et luce quae dat radios et generat splendores; nunc vero merito et attente investigandum est, cum prudentia et iudicio cogitationum, quae adiuvantur et illuminantur operatione Spiritus veri et boni Dei creatoris eorum, ex quo ele-

[1] I *Cor.*, xv, 40, 41.

* p. 155 mento unumquodque constitutum fuerit; * utrum ex uno tantum, an ex duobus, an ex tribus, an ex quattuor simul; et ex qualitate, quae adest et invenitur in unoquoque eorum, testimonium de illo confirmabitur. Quod si dicatur illud, quod est calidum et illuminans et comburens et arefaciens, esse ex corpore terrae aut ex aquis aut ex aere, hoc verbum non solum non congruit, sed falsum est. Ergo illud verbum, quod supra positum est, omnino et necessario verum est, id est, corpus solis seu essentiam constitutionis eius esse ignem purificatum et mundum, valde lucidum et valde efficacem et urentem, et constitutionem eius esse ex hoc elemento ignis tantum, et non esse ei partem nec societatem cum ceteris tribus elementis. Hoc quidem verbum verum esse et ex se credibile testatur etiam solis vis comburendi, praeter vim eius illuminativam, quia multo multiplicius totam terram incendit quam fornax ardens aut furnus succensus. Et aliquando in regionibus australibus terrae Aethiopum ignis ex fulgore lucis eius et ex calore eius tantum accenditur, et consumit et comburit terram et quodcumque coram ipso invenitur. Et saepe oculis nostris vidimus quod ex fulgore lucis eius tantum super aquam mundam et frigidam aut super argentum purum et politum ignis exardet et accenditur et comburit non tantum res valde siccas, quae facile comburi possunt, sed etiam materiam valde humidam.

Hae igitur sunt indicationes testimoniorum firmorum de natura eius ignea, et simul de magnitudine eius. Etenim nisi haberet magnitudinem verbum transcendentem et a credibilitate remotam, non posset, etsi ignis est, adeo terram incendere eamque comburere ardore sui caloris. Hoc enim, una cum ardore eius, magnitudinem corporis eius testatur. Sermonem autem accuratum ac verum habere de quantitate magnitudinis eius, impossibile est aut incomprehensibile omni homini. Verumtamen quidam ex eis, qui remoti sunt a veritate, auda-
* p. 156 cia sua et inclinatione * opinionis falsae, ausi sunt et confisi sunt ut absolute dixerint et etiam scriptis tradiderint quanta sit distincte et efferenda quantitas magnitudinis eius. Illi quidem absque timore sententiam posuerunt quod magnitudo luminaris maioris, solis, septiens et viciens maior est quam ma-

gnitudo terrae; illi autem, qui opinionem eorum reiecerunt, et noluerunt se in amplificationem avidissime effundere, ausi sunt dicere magnitudinem corporis eius esse duodeviciens tantum maiorem magnitudine corporis terrae, dum et ipsi audacia cogitationis suae abrepti confisi sunt haec dicere et tradere. Quidam vero eorum, qui sunt ex aula nostra, sapienter et intellegenter confisi sunt ut dicerent solem magnitudine sphaerae suae haud modice, mensuris multis, terram superare, et, quanquam a veritate non erraverunt, verbum exactum assequi non potuerunt. Talis igitur est essentia corporis solis et tanta magnitudo eius. Figura autem et forma corporis eius non est longa nec quadrangularis, nec globus oblongus aut deficiens, sed globus undique sphaericus, perfecte aequalis in longitudine et latitudine et altitudine ab omni latere, sicut margarita rotunda ac polita. Haec est essentia eius, haec est magnitudo eius, et haec est figura eius, prout sermo potuit de eo mediocriter tradere et dicere. Verum ne verbis nostris infirmis gloriam eius minuamus neve his tantum sententiam de magnitudine eius defective ponamus haud exornatam verbis Spiritus scriptoris et laudatoris et creatoris luminarium, simul cum Patre eius creatore eorum, iam adiiciamus et ponamus cum verbis nostris etiam verba Spiritus quae eum laudant et cantant. Cum enim per Moysen dictum est de eo: « Fecit Deus duo luminaria magna in firmamento caeli ad lucendum super terram, luminare maius in dominium diei », per David psallentem clamavit et cantavit de caelo et de illo[1]: « Caeli enarrant tibi gloriam Dei, et opus * manuum eius firmamentum an- * p. 157
nuntiat tibi ». Et cum laudaret et recitaret gloriam magnitudinis solis, dicebat[2]: « Super solem fixit tabernaculum suum in ipsis caelis »; et cum declarat gloriam eius et decus venustatis eius, ait[3]: « Et ipse tanquam sponsus qui egreditur a thalamo exultabit ut gigas ad currendam viam suam; ab extremis caelorum exitus eius et cubile eius super extrema caelorum, et non est qui se abscondat a calore eius ». Istis Spiritus narravit et docuit nos gloriam et magnitudinem solis, lumina-

[1] *Ps.* XVIII, 2. — [2] *Ps.* XVIII, 6. — [3] *Ps.* XVIII, 6-7.

ris maioris, et similibus *verbis* sermo ea, quae ad illum pertinent, declaravit.

Et similiter de luminari lunae sic quoque nobis dicendum est, cum subtiliter scrutamur sermonem de illo ut ostendamus, quantum fieri potest, quae sit essentia corporis eius. Illam enim esse corpus, sicut et de sole dictum est, ipse sensus videndi testatur et sententia verborum apostolicorum quae superius posita sunt. Et cum sit corpus, est ex eisdem quattuor elementis, aut ex nonnullis eorum aut ex omnibus. Partem quidem ex elemento terrae esse in compositione eius, frigiditas et refrigeratio quae ab illa producuntur cum oritur super terram testantur; partem autem aquae esse in ea ostendit humiditas quae ex ea fit seminibus et herbis et radicibus et fructibus arborum omnium; partem vero ex natura aeris levis et mundi esse in ea docet levitas et mundities corporis eius; partem etiam ex igne in ea esse indicat color eius ruber et claritas eius et splendor qui in ea videtur. Cum ratio investigans haec perpendit et intellegit, iudicat dicendum esse luminare minus, quod luna vocatur, compositum esse ex quattuor elementis, terra, aqua, aere et igne. Nec quis dubitans et litigans, cui incomperta sunt opera Dei, dicat: Si ex natura ignis saltem partem habet in corpore suo, quare dicitur ex sole recipere lucem et non habere lucem in natura sua; scit enim multa esse corpora apud nos in terra quae partem ex igne in se habent, et non possunt lu-
* p. 158 cere * ex virtute ignis qui in eis est. Ignis enim est etiam in lignis et in lapidibus, et propter hoc non sunt illuminantia. Et in ferro et in aere et in argento pars est ex igne; propter hoc autem non possunt esse lucida nec illuminantia natura sua, sed tantum cum polita et mundata et aequa et nitida fuerint, ipsa quoque lucem ab extra recipient, sive a sole sive ab igne; tunc etiam ipsa ex parte fulgebunt; itaque igitur luminare hoc lunae, etsi in compositione sua partem de elemento igneo habet, non potest esse illuminans ex natura sua et cum lucem ab extra non recipit. Nullum enim elementum nec ullum corpus, praeter ignem, est illuminans natura sua, et proprietas haec illuminationis corpori ignis tantum arte creatoris data est.

Sed forsan litigiosus dicet luminare lunae non habere par-

tem de elemento terrae, quia fieri non potest ut ex isto inveniatur corpus purum, mundum et politum quod tantum lucis recipiat, cum totum hoc elementum sit corpus solidum et compactum et condensatum, in quo omnino non est subtilitas nec pelluciditas. At sciat et videat ille multa corpora esse ex hoc elemento terrae quae non solum videantur esse purgata et polita et recipere lucem ab extra, sed praeterea sunt pellucida et subtilia sicut corpus aeris, ita ut lux per ea transeat de latere ad latus facile et sine impedimento, sicut et per aerem transit nec impeditur. Ecce enim vitrum politum et purum, et gypsum illud mundum, et magis quam ista lapis qui vocatur crystallus, tam puram habent naturam ut lux, sicut transit per aerem sine impedimento, transeat per illa de uno latere ad aliud nec impediatur, et etiam oculi videant et perspiciant et cognoscant id quod est pone illa * sicut id quod est ante illa. Et ille sciet et intelleget ex istis per ista Deum opificem et creatorem fecisse corpus lunae excellentius eis, et purius et mundius et aptius ad recipiendum in se lucem et ad illuminanda alia corpora, etsi est in eo pars de elemento terrae spisso. Etenim ex unoquoque elemento id quod erat in eo purum atque mundum Deus artifex in luminari [lunae] posuit. Potest enim quis, si velit observare, etiam ex natura ligni videre corpus quoddam mundum et purum per quod lux transit tanquam per aerem, et in quo videntur radii procul fulgentes sicut ex igne videntur. Ecce enim considerare licet guttam illam puram et mundam, tempore aestivo de amygdala manantem, quae est resina quaedam de pinguitudine et adipositate ligni fluens; et quidem parva est, nec habet magnitudinem multum superantem unum uvae granum aut forsan accedentem ad mensuram baccae nucis; cum radius solis ei ab uno latere affulget, emittit, sicut sol, radios in alterum latus. Et ecce etiam illa, cum sit de natura ligni, partes habet ex quattuor elementis, ita ut igitur haec sententia de luminari lunae existimanda sit vera atque acceptabilis: illam nempe compositam esse ex quattuor elementis, nec habere lucem nec illuminationem ex natura sua eamque, sicut aquam mundam et ferrum politum et argentum purgatum, ex sole recipere

* p. 159

lucem super faciem lateris quod respicit ad illum, et fieri lucidam et alia corpora illuminare.

Nunc sunt alii qui velint dicere compositionem corporis luminaris lunae non esse ex quattuor elementis, sed ex aqua et ex aëre tantum, facientes eam a terra alienam et remotam, quia dum tanta est magnitudine, iter facit volans per altum tanquam aliquid leve, et semper humida est, contraria siccitati terrae; et negant eam ullo modo participare ignem propter frigiditatem *suam simul et humiditatem suam quae contraria sunt qualitatibus ignis, calori, dico, et siccitati. De essentia quidem corporis et compositione luminaris lunae hae opiniones diversae apud quosdam veteres inveniuntur; est autem Dei creatoris et cognitoris omnium, veram cognoscere.

* p. 160

Quod autem attinet ad magnitudinem corporis eius aut ad extensionem quantitatis sphaerae eius, quidam confidenter statuerunt eam attingere quattuor millia et quingenta stadia, cum ex intervallo et momento quo eclipses solares terram occupant observaverunt et opinati sunt ita dicendum. Simili autem modo statuerunt et tradiderunt formam eius esse rotundam atque sphaericam, sicut formam solis. Margaritis enim non congruit nec eas decet alia forma, sive longa sive oblonga sive quadrangularis, sed forma rotunda et sphaerica tantum, ut scilicet omnem regionem aequaliter illuminent; neque alia forma congruit corpori luminarium caeli ut et ipsa ad omnem locum et omnem regionem aequaliter fulgorem emittant sine obstaculo et sine ullo impedimento.

Quoad autem maculas quas oculus in corpore sphaerae luminaris lunae, in die plenitudinis eius, observat et videt, seu signa nigra aut subobscura, aut quomodocumque quis velit eas dicere et vocare, dicunt eas esse loca quaedam depressa quae in ea apparent, sicut valles inter montes; nam luna habet corpus quoddam terrenum, durum et firmum, quia pars ex elemento terrae est in compositione eius; et illa sunt, aiunt, quae obscuritatem faciunt; dum enim totum lunae corpus nitidum et politum lucem recipit, in illis fit umbra obscurans ea propter eorum profunditatem. Haec igitur est causa nigredinis quae in corpore lunae videtur. Et haec est sententia de essentia seu natura constitutionis eius, et de eius magnitu-

dine et forma. Quoad solem ergo et lunam, de essentia scilicet corporum eorum, et de eorum magnitudine ac figura ratio investigans haec omnia dicere et ostendere sibi proposuit.

Nunc vero oportet ut et de ceteris illis luminaribus, quae stellae appellantur, ratio dicat et ostendat * quae sit essentia * p. 161 corporum eorum, et cetera quae simili modo sequuntur. Has quidem non [esse[1]] de natura ignis, dicendum et statuendum ratio opinatur, quia non arefaciunt sicut mos est igni, neque calefaciunt sicut sol, cum transeunt supra terram, etsi multae sunt in toto caeli firmamento. Et dicendum est eas non esse ex elemento aquae, quia humiditatem super herbas et super arbores terrae non efficiunt sicut facit luna in plenitudine sua cum lucet super terram. Neque decet dicere eas esse ex elemento hoc obscuro et spisso terrae seu luto; etenim non gerunt gravitatem et densitatem terrae in adspectu suo, nec in forma sua, nec in impetu motus sui per firmamentum caeli; rursus non gerunt siccitatem, sed levitatem et claritatem motumque citatum, quae aliena sunt a natura terrae. Ergo superest ut dicamus illas formatas fuisse ex natura elementi mundi et levis et lucidi; et hoc est corpus naturale essentiae earum, quod est simplicius et purius et mundius et limpidius quam tota aeris natura. Verbum enim artifex ex natura aeris fecit et formavit sphaeras illas mundas et leves et valde lucidas et limpidas easque posuit in firmamento caeli ut noctibus luceant super terram, cum volvuntur supra illam cum tota caeli sphaera. Ita cum rotundae et sphaericae sint et unaquaeque earum magnitudinem corporis habeat, homines non possunt dicere quanta sit; neque nos dicere possumus quam magna sit ea quae secundum adspectum existimatur magna, neque quam parva sit ea quae existimatur parva. Etenim quaedam ex eis magnae sunt corpore suo et existimantur parvae propter altitudinem caeli et positionem suam in hoc visibili firmamento et in invisibili; et aliae sunt multo minores aliis quantitate corporis sui et visu existimantur magnae, quia inferiores sunt et proximae visui nostro, qui de magnitudine et parvitate iudicat secundum id quod apprehendit. Rursus sunt aliae multae et innumerabi-

[1] Vide textum p. 378.

les quae visu humano apprehendi non possunt, sive propter altitudinem suam magnam, sive propter nimiam suam parvitatem, sive propter utrumque simul, sive propter essentiam suam.

Et haec omnia dicta sunt de sole et luna et stellis, et corporibus eorum; et de eorum magnitudine et figuris hactenus. De loco autem positionis eorum in excelsis aut situ eorum in firmamento caeli, ut ita dicam, scilicet ubi sint, sive in summo loco sive in infimo, sive in maiore sive in minore, sive alicubi in medio, sive quomodocumque quis dicet, dum hoc non potest apprehendere, homines vana vane statuerunt et falsa ex vanis mentium suarum opinionibus et ex inclinatione et coniectura cogitationum suarum, et a veritate valde remoti sunt. Cum enim miseri a cognitione divina lapsi essent et post vanas suas cogitationes abiissent, de sole scilicet et de luna et de quinque stellis illis, quas errantes vocant, existimaverunt quod sint viventia et rationalia, praedita libero arbitrio [et dominio] voluntatis suae, et quod per ea subsistat et gubernetur ..nstitutio et vita totius mundi huius, generatio et incrementum, prosperitas et adversitas, divitiae et paupertas, valetudo et aegritudo, et omnia quae ad vitam hominum pertinent. Praeter haec omnia, existimaverunt et opinati sunt et dixerunt ea esse deos immortales et rectores huius universi, dum unicuique contrario modo et oppositione mutua diviserunt et assignaverunt curas varias et imperia propria et diversa, et loca et mansiones oppositas, et ascensiones et declinationes in circuitu firmamenti caeli. Et cum per modum opinionis et coniecturae, non autem exacte nec secundum veritatem, diversa exploravissent et observavissent, varia scilicet tempora motuum et revolutionum eorum in circuitu sphaerae huius mirabilis, operis sapientiae artificis, Dei creatoris, et erronee existimavissent se veritatem accuratam assecutos esse, secundum magnitudinem aut parvitatem intervallorum temporum, quae ab ipsis observata, definita, statuta, adscripta unicuique fuerant, posuerunt et tradiderunt de unaquaque planeta quod prout alta est et proxima impetui superno et celeri sphaerae aut infima et remota ab illa, ideo cursus eius est lentus et tardus, aut celer et promptus, et ipsa fere aequalis est in impetu mo-

tus sui motui sphaerae celeri. Et postquam invenerunt, si utique invenerunt? stellam illam, quae appellatur Kewan seu Cronos (Saturnus) totum sphaerae caelestis circuitum fere triginta annis in retrorsum perlustrare, retrocedendo a cursu veloci huius semel tantum toto hoc tempore, opinati sunt et posuerunt et in scriptis suis multis ac vanis tradiderunt illam in altitudine sphaerae esse supra omnia luminaria quae sunt in firmamento caeli.

Simili autem modo, quia opinati sunt aut invenerunt stellam, quae vocatur ab eis Bel seu Zeus (Iupiter), totum circuitum sphaerae caelestis fere duodecim annis perlustrare, statuerunt et tradiderunt eam infra Saturnum esse et circuitum sphaerae perlustrare. * Similiter vero, quia opinati sunt stel- * p. 162
lam Martis anno et sex mensibus orbem suum in hac sphaera perficere, ideo tradiderunt eam situ suo et motu suo esse infra duas illas supradictas. Solem autem et duas illas ceteras stellas, illam, dico, quae appellatur ab eis Belati seu Aphrodite (Venus) et illam quam vocant Hermen (Mercurium), opinati sunt et dixerunt esse situ et revolutione motus sui infra illas tres, quia scilicet spatio temporis unius anni integri tantum, nec plus nec minus, orbem motuum suorum in tota caeli sphaera perficiunt. Has igitur opiniones tenuerunt nonnulli antiqui ex ethnicis, de locis et positionibus et mansionibus horum luminarium, dum confisi sunt ita dicere propter tempora revolutionum eorum in hac sphaera, nec intellexerunt nec potuerunt id quod verum est invenire. Etenim non ita intellexerunt ut Deum creatorem eorum cognoscerent, nec potuerunt apprehendere illa esse opera eius, nec cogitationibus suis assecuti sunt id quod verum est de eorum locis et situ et motu, ut recta atque vera dicerent; nam quia illud primum ut fundamentum congruenter non posuerunt, neque ea quae sequuntur potuerunt super illud recte aedificare. Illud quidem primum congruum erat, ut ex operibus et ex eorum magnitudine et formatione mirabili magnitudinem, fortitudinem, sapientiam Dei creatoris eorum cognoscerent; deinde, secundum post hoc, erat ut scirent discernere et intellegere opera Dei non esse deos nec rectores huius universi; tertium autem post haec erat, quod sapienter intellegere debuissent, in quantum homo

apprehendere potest, solem in circulo revolutionis suae in caelo esse supra omnia caeli luminaria, et altiorem et excelsiorem omnibus etiam in situ suo, sicut et maior et praestantior est omnibus propter excellentiam naturae suae et magnitudinem corporis sui, et ipsum esse omnibus sensibilibus id * p. 163 * quod Deus est intellectualibus, quemadmodum quidam ex eis, qui sunt apud eos, dicit.

Itaque si ita est sol non solum luminaribus caeli sed et omnibus sensibilibus id quod Deus est intellectualibus, tunc utique compertum est quod si Deus est altior et sublimior omnibus intellectualibus et omnes ab eo illuminantur et accipiunt ut vivant et stabiliter permaneant, simili modo et omnia sensibilia, praesertim ipsa luminaria, quae in caelo cum sole disposita sunt, a sole habent confirmationem et stabilem permanentiam, et ab eo accipiunt ut luceant eis, quae sunt sub ipsis super terram, et ipse altior est omnibus in situ et circulo revolutionis suae in caelo, et omnia cetera luminaria sunt sub ipso in situ et motu suo, et unumquodque eorum, secundum tempus sibi a Deo creatore statutum et positum, in sphaera caeli volvit quae non errat nec mutatur in motu suo. Neque illa sunt dii, neque viventia neque rationalia, neque libero arbitrio praedita; neque dominium in voluntatem suam habent; neque verbum vitae continent, neque hoc universum gubernant sicut quidam impostores apud Graecos et apud Chaldaeos de eis existimaverunt eaque vocaverunt rectores mundi huius et eorum quae in eo sunt. Et etiam posita sunt a Deo in signa et in tempora, sicut Spiritus dixit, et secundum verbum apostoli sancti Pauli quod dicit[1]: « Ut sitis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes ». Haec, quae Manichaei haeretici, qui magis quam ethnici errant, secundum sensum cogitationis suae vanae et haereticae sumpserunt, dicentes ipsa esse quae verbum vitae contineant et regant et administrent verbum de vita huius mundi, ab eis falso et vane intellecta sunt et non est verus sensus; hic sermo: « verbum vitae continentes », non de luminaribus prolatum et productum est, sed de veris fidelibus qui erant in civitate Philippensium.

[1] *Philipp.*, II, 15-16.

Oportet nunc dicamus et ostendamus in sermone nostro undenam haeretici ad id venerint ut existimarent luminaria esse viventia et rationalia liberoque arbitrio praedita, et ideo tantum * erraverint ut illa vocarent deos rectores. Haeretici * p. 164 itaque viderunt quinque illas planetas stationes et regressus in motibus suis perficere, et stare in sphaera caeli nullo modo se moventes, nec in anteriorem partem cum tota sphaera nec retrorsum cum retromanent ab ea ad orientem; aliquando quidem moveri et currere ad occidentem magis quam totam sphaeram, aliquando autem paulum retromanere ab ea et progredi ad orientem, aliquando vero multum; et mutare motum suum sicut rationales qui inversionem cogitationum faciunt: cum hi miseri et stulti absque intellectu haec considerassent et existimassent effici voluntate ipsarum stellarum quando et quomodo volunt, eas hac de causa vocaverunt rationales et viventes et voluntate praeditas. Rursus inde putaverunt eas esse deos rectores; dum haec non sunt motus voluntarii nec libertatis nec liberi earum arbitrii, sed proprietatis quam Deus creator in eis condidit et posuit, ut moverentur etiam ipsae secundum motum solis, qui est eis illuminator ac motor, sicut creator et ordinator eum condidit, non quasi sol moveatur aliaque moveat sua voluntate et libertate. Etenim, etiam hic apud nos, si quis peritus rotam quandam sapienter confecerit quae aquam de profundo volvendo hauriat, et fecerit in ea varia membra quae ad actionem moventur ita ut motu constanti et operatione stabili et ordinata omni tempore ex se ipsis ad opus complendum veniant, ecce haec nunc sunt velut praedita libero arbitrio et voluntate, et rationalia, et adimplent quae perficiuntur; verumtamen evidens est et compertum sapientiam artificis, qui instrumentum fabricavit, esse quae constanter operatur, non ipsum instrumentum praeditum esse libero arbitrio ac voluntate. Ergo et sol constitutus ut ea, quae per planetas facit, operetur, semper agit, et ipsae opus suum per motum suum coram sole perficiunt sicut a Deo creatore suo conditae sunt et iussae sunt. * Sol vero non est * p. 165 vivens nec rationalis nec praeditus voluntate liberoque arbitrio, neque stellae illae quae ad eum et ab eo moventur et efficiunt signa et tempora, quae statuta sunt ut ab eis efficeren-

tur semper et permanenter, dum istae non perturbantur nec mutantur de natura sua et de lege immaculata Domini imposita sibi ab eo sine mutatione, sicut Spiritus per David psallat, dicens[1]: « Lex Domini immaculata, convertens animam; et testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis », ut creatorem ex admiratione operum eius cognoscant. Haec est voluntas quae illas movet et operari facit, lex Domini ipsis imposita et testimonium Domini fidele eis insitum quod eas movet, non autem libertas voluntatis earum nec liberum arbitrium nec cogitatio mentis, sicut rhetores absque ratione opinati sunt.

Ita quidem sermo declaravit planetas non esse rationales nec lucidas natura sua, sed recipere lucem a sole et moveri ab eo sive in antecessum sive retrorsum, ad occidentem scilicet aut ad orientem, easque omnes esse infra solem tum in positione infixionis suae tum in circulo revolutionis suae. Rursus, simili modo, sermo ostendit lunam non habere lucem natura sua, sed a sole recipere lucem et illuminare apud nos. Quod rationaliter et argumentis veris ex causis naturalibus sic probatur: primo quidem ex passione, quae bis in anno ei constanter accidit, nam senis mensibus semel luce privatur et fit in obscuritate longo intervallo in die plenitudinis suae et abundantia lucis suae; deinde autem ex figuris et mutationibus in quibus videtur esse propter incrementum scilicet et deminutionem lucis suae; his testimoniis veris ostenditur eam non habere lucem natura sua. Ratio autem demonstrativa sic se habet: Si haberet lucem natura sua permanenter et immu-
* p. 166 tabiliter, non in die plenitudinis suae, — * quando obviam habet et ingreditur umbram terrae et stat symmetrice longitudine et latitudine contra solem in regione opposita nec ad ullum latus declinat, dum se abdit omnino a conspectu solis, — ita fieret obscura et sine lumine, rubescens et similis colori sanguinis. Ergo inde compertum est lunam non habere lucem naturaliter ut ex seipsa illuminet, sed a sole lucem recipere et lucere apud nos; ideoque cum abscondit se ab eo in umbra terrae, fit obscura et sine lumine.

[1] *Ps.* XVIII, 8.

Rursus, id simili modo cognoscitur etiam ita: A primo die nativitatis suae, ut ita dicam secundum usum communem, quando ex infra solem discedit et tempore vespertino ad occidentem pone illum videtur, ostendit lucem suam modice velut filum quoddam tenue in primo vespere, et deinde in vespere secundo velut zonam tenuem; et usque ad quintum decimum diem plenitudinis suae e regione illa occidentali, ubi est sol, e latere quod ad illum respicit, ostendit lucem, quae in ipsa videtur, dum cornua eius retrorsum versus regionem orientalem respiciunt, et ipsa, ut ita dicam, quasi digito monstrat tibi et voce clamat ad te, dicens tibi: Ecce ab occidente accipio lucem, quae in me est, a sole qui me illuminat. Deinde postquam tota sphaera eius luce impleta est die quinto decimo et visa est rotunda et plena sicut sphaera solis, et vultus eius lucidus plenusque lucis solem respicit et ostendit tibi se ab illo illuminari, mox, ad orientem parum progressa in umbra terrae stat et sol ei absconditur, ita ut non respiciat illum nec illuminetur ab eo, cum stet in absconsione terrae in oppositione mensura aequali secundum longitudinem et latitudinem sicut superius dixi; et tota fit obscura et sine lumine donec ab absconsione terrae versus orientem recedat. Et deinde, dum lux eius decrescit et minuitur cum progreditur ad orientem, ad regionem unde sol ipsi occurrit, donec * denuo * p. 167 sub radiis eius ingrediatur et fiat invisibilis, lux, quae in ea est, ab oriente videtur, e regione ubi sol est, non autem a latere occidentali sicut in incremento eius videbatur. Hae mutationes et figurae omnes, quae in ea videntur, nobis clare et aperte ostendunt eam a sole lucem semper recipere nec habere lucem natura sua, ita ut per haec omnia cognoscatur et comprobetur nullam creaturam lucem naturaliter et stabiliter habere nisi solem, luminare maius, et naturam igneam ex qua est sphaera solis lucida, non autem lunam neque stellas quae errantes vocantur, quia scilicet diverse moventur, neque omnes stellas non errantes quae in tota hac sphaera non erranti et veloci motibus infixae sunt et cum ea constanter et immutabiliter moventur.

De locis quidem et infixione luminarium in firmamento caeli, et quod non sunt viventia nec rationalia nec libero ar-

bitrio praedita, et quod non sunt dii rectores huius universi sicut existimaverunt haeretici garrientes; et quod luminaria, luna, inquam, et stellae, non habent lucem natura sua, sed sol tantum quia scilicet est ex natura ignis; et quod omnia lucem ex eo recipiunt et illuminant et sunt infra illum in situ et motu suo: sufficiunt quae sermo de eis modo declaravit. Verumtamen quia sermo mentionem fecit altitudinis luminarium, unius ab alio, et situs infixionis eorum in firmamento caeli, et clare ostendit et tradidit solem infixione loci sui et motu suo in altitudine caeli esse supra omnia caeli luminaria, necesse est ut de altitudine caeli dicamus et ostendamus quomodo quidam ex antiquis de illa loquatur, ut ex verbis hic continuo ponendis lectores multam solis altitudinem eiusque magnitudinem convenienter et per mensuram intellegant. Eius qui loquitur haec sunt verba. Cum exemplum altitudinis caeli incommensurabilis ex terra proferre vellet, dixit: Si tota terra
* p. 168 exstrueretur et disponeretur velut columna * quaedam, extrema altitudinis caeli attingere non posset, quia etsi sol in situ suo est infra extrema altitudinis caeli, tamen altitudo in qua circumscribitur et currit omnimodo magna et ineffabilis est, et omnia caeli luminaria sunt infra eum et supra situm et locum luminaris lunae. Haec enim omnia sunt supra lunam, et ipsa est omnium infima, quod nobis compertum fit hunc in modum: Quemadmodum scilicet luna occultationem solis efficit illumque visui nostro abscondit, sic occultationem efficit etiam omnium stellarum quibus occurrit cum stat contra eas, easque nobis abscondit, et id evidenter operatur quia situ suo infima est omnium, et in firmamento caeli infra illas omnes incedit.

De altitudine caeli et solis et de situ lunae infimo infra omnia luminaria hactenus. Sermo autem eis, quae dicta sunt, subiunget etiam alia de motu eorum secundum longitudinem et latitudinem circa terram, solis scilicet et lunae et quinque planetarum quae in sphaera caeli sunt. Etenim dum tota sphaera firmamenti caeli et omnes stellae non errantes, quae in eo sunt, circa terram ad occidentem semper moventur et volvunt sine mutatione, id est, oriuntur et attingunt medium caeli supra terram et occidunt et infra terram descendunt,

et iterum oriuntur eademque sine intermissione perficiunt, sicut artifex creator earum praecepit eis, sol tamen et luna et quinque planetae, dum et ipsi ad occidentem moventur et volvunt circa terram cum tota caeli sphaera propter impetum celerem qui sphaeram ad occidentem volvit, alio quodam motu mirabili et mutabili videntur moveri retrorsum ad orientem, cum unumquodque eorum ab impetu sphaerae veloci et constanti retromanet sicut artifex creator illud condidit * et disposuit. [* p. 169] Hunc motum non secundum longitudinem sphaerae de occidente ad orientem directe peragunt retrocessione sua a circulo, sed secundum longitudinem et latitudinem simul, oblique ac tortuose; dimidium quidem sphaerae perlustrant cum adscendunt et elevantur ad septentrionem, dimidium autem cum iter suum deflectunt et descendunt ad meridiem. Sol quidem, dum hoc motu vario et obliquo movetur et retrocedit ab impetu sphaerae, hunc circulum annuum diebus trecentis sexaginta quinque nobis perficit, dum perlustrat unam post aliam semper et sine intermissione quattuor tempestates anni aequales intervallo temporum, ver, dico, et aestatem et autumnum et hiemem; et in eis facit nobis temperies aptas ad sustentationem vitae omnis carnis, sicut conditus est et iussus est a creatore, per siccitatem scilicet et humiditatem et calorem et frigiditatem; et oriri facit e terra germinationes, et dat fructibus incrementum et maturitatem, et aerem ad normam vitae nostrae sine damno temperat, incedens ab initio sine mutatione in via sua secundum lineam sibi a creatore statutam, non declinans ad dexteram nec ad sinistram, nec egrediens ab ea ad septentrionem nec ad meridiem, nec nimis se attollens nec nimis descendens, sed secundum lineam viae suae primam incedit nec mutatur, et oritur et occidit eademque perficit, et strenue currit et ad circuitus suos revertitur, sicut dicit verbum sacrae Scripturae[1].

Luna autem eodem motu vario et obliquo secundum longitudinem et latitudinem retrorsum sicut sol movetur, cum retrocedit etiam ipsa ab impetu sphaerae et incedit ad orientem et revolutione sua in tota sphaera perficit circuitum illum

[1] Cf. *Eccles.*, I, 5-6.

menstrualem diebus viginti novem cum dimidio; verum in linea viae solis directe non incedit, sed extra illam, per dimidium circuitus sphaerae * [p. 170] progrediendo ad septentrionem viae solis et per dimidium ad austrum eius, secans et pertransiens illam hinc et hinc, cum adscendit et descendit, et cum transit ad septentrionem et ad austrum. Sed et illum motum varie ac aliter singulis mensibus perficit cum viam solis in locis diversis secat, nec in eisdem vestigiis suae viae semper progreditur, nam discedit ab illa ad septentrionem aut ad austrum, nunc quidem plus nunc autem minus. Eundem vero motum varium et obliquum ad septentrionem et ad austrum extra viam solis perficiunt diverse, sicut luna, etiam tres illae planetae, Saturnus, dico, et Iupiter et Mars, cum secundum longitudinem et latitudinem retrorsum ad orientem moventur et viam solis in variis locis secant, dum aliquando magis a via solis recedunt et aliquando minus. Simili autem modo et illae duae aliae stellae, Venus scilicet et Mercurius, cum semper sunt prope solem, sive pone illum ad orientem sive ante illum ad occidentem; — et omnes earum remotiones ab eo ita tantum sunt: illius quidem intra quadraginta octo gradus, huius autem intra gradus viginti octo, — eodem vario ac obliquo motu moventur secundum longitudinem et latitudinem simul et viam solis ad septentrionem et ad austrum in locis diversis secant cum adscendunt et descendunt, sicut faciunt luna et illae tres supradictae.

Et de motu luminarium secundum longitudinem et latitudinem hoc totum sermo hucusque dicere potuit; nunc autem, amore laboris, plura subiunget de mutationibus quas sol, luminare maius et primum, facit apud terram et apud eos qui super eam habitant, in variis * [p. 171] locis ac regionibus, sive in oriente sive in occidente sive in meridie sive in septentrione, per potestatem in diem sibi a Deo creatore suo datam. Equidem cum Deus, sicut dixit Spiritus scriptor, iussit aquas a facie terrae congregari, et aridam apparere, ut esset habitabilis et congrua commorationi generis humani, et apta etiam ad mores et oblectamentum omnium animalium quae creanda erant super eam in ministerium hominis, et ista revelata est et praeparata a creatore perito, sicut sermo superius ostendit,

et tota pars terrae habitabilis visa est sub parte septentrionali sphaerae caelestis ad septentrionem loci qui est sub medio sphaerae, ubi scilicet tota sphaera caelestis per totum annum oriens et occidens directe progreditur atque volvit ad occidentem, congruenter contigit a sapientia artificis, qui ita iussit et disposuit, ut differentiae multae dierum et noctium fierent omnibus hominibus, qui super terram habitant, propter inclinationem terrae sub eis et propter declinationes radiorum solis super eos eiusque ortus et occasus in variis regionibus. Ordo autem et dispositio sermonis sic erit ut primum ostendat nobis differentias dierum quae fiunt, propter latitudinem terrae habitatae, a meridie ad septentrionem, et deinde indicabit nobis differentias secundum longitudinem ab oriente ad occidentem.

In loco igitur, quem dixi esse sub medio sphaerae caelestis, in regionibus ad meridiem terrae Aethiopum, — quarum incolae adusti sunt et nigri magis quam carbones ex igne, sicut et ipsa terra eorum, adusta enim est, et dicitur calor radiorum solis non temperatus per totum annum accendere et urere illam ad instar fornacis ignis succensae, — cum sol stat supra illam * dum adscendit ad septentrionem et dum descendit ad meridiem, [* p. [illegible]] quando stat in medio sphaerae, in locis aequinoctii, — in initio inquam Zodiaci ubi Deus artifex, creator eius, fecit et posuit eam, cum creavit, in initio signi Agni seu Arietis, ut secundum usum communem loquar, in initio tempestatis vernalis quod est apud nisan, aut in initio tempestatis autumnalis et in initio signi quod vocatur Libra, — tunc et tunc tantum et ibi et ibi tantum, ut ex tempore et ex loco indicationem proferam, dies aequales et noctes aequales duodecim horarum aequalium perficiuntur omnibus hominibus qui super terram habitant. Eis, qui sunt in regione illa adusta quam sermo supra memoravit, quia sphaera caeli, quae supra eos est, recta est nullamque habet declinationem, continuo per totum annum dies aequales et noctes aequales perficiuntur per totam vitam eorum. Etenim cum sol in aestate adscendit ad partes septentrionales sphaerae caeli dies non crescunt incolis huius loci nec noctes eis decrescunt; rursus, in hieme, quando sol descendit ad regiones australes cursus sui, dies non decrescunt nec crescunt noctes. Sed quia

tota sphaera caelestis ibi directe posita est et ambo eius poli seu cardines circulorum, ut ita dicam, ibi directe propter directionem sphaerae positi sunt, et stant unus contra alterum non elevati nec depressi unus ab altero, unus scilicet super horizonte australi seu linea illa quae ad austrum inter caelum et terram distinguit et alter in horizonte boreali, quidquid oritur et adscendit ab oriente ex tota sphaera caelesti, sive ex partibus septentrionalibus sive ex australibus, ad occidentem * p. 173 directe adscendit et elevatur in altum versus caelum, * et non fit australe cum adscendit super terram nec septentrionale cum descendit et est sub terra, et sol ibi, dum est in mansionibus aequinoctii, id est, sive in nisan sive in elul, ut ita dicam, transit supra caput eorum qui ibi habitant et stat in medio caeli in medio diei nec facit eis umbram ullam, nam tunc in illa hora sexta non habent umbram ad orientem nec ad occidentem nec ad austrum nec ad septentrionem; cum autem adscendit ad partes septentrionales temporibus aestivis facit eis umbram ad austrum toto tempore sex mensium aestivorum ab aequinoctio nisan usque ad aequinoctium elul; cum autem descendit ad austrum facit eis umbram ad septentrionem toto tempore sex mensium hiemalium, ab aequinoctio elul usque ad aequinoctium nisan, unde etiam homines, qui ibi sunt, cubantes in umbra convenienter vocantur. Haec igitur distinctio immutabilis dierum aequalium et noctium aequalium per totum annum, eis est tantum qui sunt in terra adusta ad meridiem Aethiopiae sita.

Eis autem, qui habitant a loco illo usque ad fines septentrionales terrae habitabilis, fiunt multae ac variae differentiae dierum et noctium inaequalium, sicut superius dixi; nam quo longius quis recedit a loco aequinoctii ad septentrionem, eo maior fit differentia temporis quod dies a noctibus accipiunt et illius quod noctes a diebus. Incolis Meroes, civitatis Aethiopum mediorum, ut expressis verbis de locis cognitis differentias exponam, fit dies aestivus magnus XIII horarum et nox parva XI horarum; in hieme, e contrario, nox magna XIII horarum et dies parvus XI horarum. Incolis autem Syenes, civitatis Aethiopum inferiorum, qui septentrionem versus * p. 174 longius habitant, fit in aestate dies magnus XIII * horarum [cum

dimidia] et nox parva x horarum [cum dimidia]; et rursus, in hieme, dies x horarum [cum dimidia] et nox xiii horarum [cum dimidia]. Item, Alexandriae, septentrionem versus ab illis, in aestate dies xiv horarum et nox x horarum; in hieme, e contrario, dies x horarum et nox xiv horarum. Rursus, septentrionem versus ab illis, in insula Rhodo et Antiochiae. in civitate Syriae, dies aestivus magnus xiv horarum [cum dimidia] et nox parva ix horarum [cum dimidia]; et in hieme dies parvus ix horarum [cum dimidia] et nox magna xiv horarum [cum dimidia]. Rursus autem, septentrionem versus ab istis, in Hellesponto, et Romae, in civitate Italorum, et Nicaeae, in civitate Bithyniae, et Neocaesareae, in civitate Cappadociae, fit dies aestivus magnus quindecim horarum et nox parva ix horarum; et in hieme, e contrario, dies parvus ix horarum et nox magna xv horarum. Et in medio maris Ponti et septentrionem versus a tota Thracia fit dies aestivus magnus xv horarum [cum dimidia] et nox parva viii horarum [cum dimidia], et in hieme nox magna xv horarum [cum dimidia] et dies parvus viii horarum [cum dimidia]. Rursus, septentrionem versus ab illis, in terra Sarmatarum et apud fluvium Borysthenem et in civitate Phanagoria, dies aestivus magnus xvi horarum et nox parva viii horarum, et in hieme dies parvus viii horarum et nox magna xvi horarum. Rursus, longe septentrionem versus ab illis, in insula Thule, quae in Oceano septentrionali sita est, fit dies aestivus magnus xx horarum et nox parva iv horarum; et in hieme, e contrario, dies parvus iv horarum et nox magna xx horarum.

Simili autem modo, si quis ad septentrionem illorum magis appropinquaverit, in terra illa inhabitata et incognita propter suam intemperiem, in oceano illo qui est innavigabilis et indomitus, invenietur dies aestivus magnus xxiii horarum et nox parva unius horae, et e contrario, in hieme, dies parvus unius horae et nox magna xxiii horarum, quod est temperatio dura et intolerabilis; propter hanc causam Deus statuit hunc locum non esse habitabilem propter suam intemperiem et propter immoderationem et divisionem inaequalem dierum et noctium in eo, * sive locus ille sit in arida sive in oceano illo im- * p. 175

mani, impacato scilicet et impervio. Rursus, si quis vult propius ad septentrionem accedere, etsi corporaliter et reapse non possit, potius autem cogitatione potest, cum consideraverit naturam rerum et sapientiam Dei artificis, qui hunc mundum disposuit, inveniet temperationem illius loci ita esse: a tempore quo sol praetergreditur aequinoctium vernale ad regiones septentrionales sphaerae donec initio tempestatis autumnalis ad aequinoctium revertitur, toto tempore aestivo, fit dies unus sex mensium, et a tempore quo sol descendit et praetergreditur aequinoctium initio tempestatis autumnalis ad regiones sphaerae australes, sol in hoc loco unam noctem sex mensium efficiet donec ab austro iterum adscendat et perveniat ad aequinoctium vernale et rursus ad septentrionem transeat et incipiat diem unum sex mensium efficere. Hanc igitur differentiam diei ac noctis sol in illo loco facit propter declinationem sphaerae caelestis immoderatam et multam, et propter magnam declinationem terrae prae illa solis, ita ut ambo poli huius sphaerae stent unus recte supra terram et alter infra terram, unus adversus alterum, et revolutio huius sphaerae non sit sursum ac deorsum sicut revolutio machinae ad aquam hauriendam, sed sicut circuitio axis lapis molaris ad quattuor regiones circulariter, occidentem, dico, et septentrionem et austrum et orientem. Et omnes differentiae, quas sermo ante illam nobis narravit de omni loco separatim proprie ac distincte, sunt secundum latitudinem terrae habitatae, ab austro, inquam, ad septentrionem, a loco aequinoctiali, qui est in terra Aethiopum remota et adusta, usque ad locum sub polo boreali.

De differentiis quidem dierum ac noctium unius loci quoad alium, secundum latitudinem terrae habitatae, sermo haec omnia exponere potuit. De differentiis autem secundum longitudinem terrae habitabilis ab oriente ad occidentem, differentiis, dico, dierum et noctium, et matutini et vesperi ab invicem,
* p. 176 ortuum scilicet et occasuum quos sol * diverse facit omnibus populis, qui super terram habitant, a regione illa Sinensium, quae est orientem versus ab Indis, usque ad Hispanos remotos et alios qui in finibus occidentalibus totius orbis terrarum de-

gunt, nunc sermo erit distinctus et clarus et brevis, ne verba prolixa de unoquoque separatim ac particulariter faciat laboresque lectoribus et auditoribus imponat. Veteres quidem, cum computavissent et scripsissent et tradidissent totam terrae habitatae longitudinem ab oriente ad occidentem esse centum octoginta graduum, de unaquaque civitate separatim posuerunt in quo gradu terrae habitatae secundum longitudinem et latitudinem sita est. Notum est autem centum octoginta gradus esse dimidium circuitus sphaerae terrae, et simili modo dimidium sphaerae caeli, quoniam omnis sphaera, sive caeli, sive terrae, est trecentorum sexaginta graduum. Quod si totus circuitus sphaerae CCCLX graduum inter XXIV horas cotidiani cursus solis dividitur, patet divisione aequali XV gradus unicuique horae obtingere. Ergo compertum est quod pro quinis denis gradibus quibus civitas in situ suo in oriente distat ab illa quae est ad occidentem ipsius, sol una hora integra prius oritur super eam, et efficit in ea meridiem seu dimidium diei, et occidit ab ea, et efficit dimidium noctis, quam faciat unumquodque horum in civitate illa quae longius occidentem versus sita est. Pariter, in illa quae situ suo ab alia distat in orientem quadraginta quinque gradibus, sol tribus horis prius in illa efficit matutinum et vesperum quam in illa occidentali; et in illa quae ab alia distat in occidentem nonaginta gradibus sol sex horis serius quam in illa orientali efficit matutinum et vesperum et meridiem et dimidium noctis. Et in terra Sinensium, quae ab Oceano occidentali et ab insula Gadira, quae in eo sita est, centum octoginta gradibus distat, sol XII horis prius oritur super illos et occidit ab illis quam oriatur aut occidat ab eis qui Gadibus sunt, ita ut matutinum orientalium inveniatur esse vesperus occidentalium, et matutinum * occidentalium vesperus orientalium, et nox illo- * p. 177
rum dies horum, et dies horum nox illorum, et hi inveniantur habitare supra illos et infra illos, et illi supra hos et infra eos, aut nescio quomodo dicam dum observo positionem terrae et sphaericitatem eius et inclinationem eius quoad unumquemque respectu alterius, dum pedes eorum opposite super terram ponuntur, horum *pedes* nempe versus illos, et illorum *pedes*

⌜versus hos⌝[1], et capita omnium versus circuitum sphaerae caelestis quae terram undique circumdat suspiciunt.

Sic se habent differentiae dierum et noctium propter longitudinem et latitudinem inter locum et locum per totam terram habitatam ex vario ortu et occasu luminaris maioris, solis, et ex declinatione et sphaericitate terrae super quam stamus, dum pondus corporis nostri ad eam propensionem habet et staturam nostram versus altitudinem caeli extendimus. Quia vero necessarium fuit dicere et ostendere sermone nostro de luminaribus, quae creator peritus in hoc mundo ad lucendum super terram condidit, omnia quae diximus et alia forsan quae mens nostra infirma deficiensque scientia non memoravit, necessarium duco subiungere et dicere de hoc luminari lunae, praeter ea quae a nobis dicta sunt, etiam unum verbum mirabile quod videtur et observatur de eo cogitationibus nostris, quod, ut puto, non multis notum est neque, cum declarabitur et sermone scripto exprimetur, facile videbitur et credetur ab audientibus, quia auditus et sermo hominum ei non sunt assueti. Dicunt quidem de luna omnes homines, et verbum est assuetum et acceptum apud omnes, quod scilicet lux lunae crescit et augetur per primos xv dies cursus sui et deinde decrescit et minuitur et deficit in novissimis diebus cursus sui. Cum autem hoc verbum investigatur et causa rei naturalis atque vera videtur, hoc invenitur non esse verum, quia lux quam luna a sole accipit,
* p. 178 sicut sermo exposuit, nunquam * deficit ab ea nec minuitur ei a tempore quo Deus creator eam condidit et infixit firmamento caeli usque nunc; neque in tempore quod dicitur incrementi eius augetur aut crescit ei, neque in tempore quod dicitur decrescentiae eius deficit ei aut minuitur ei a quantitate sua, sed tota est in ea totaliter, sicut illa semper eam accipit, sine incremento et sine deminutione, et aequaliter in ea est sine mutatione, tum in tempore incrementi eius tum in tempore decrescentiae eius. Tunc enim tantum est sine luce quando soli se subducit die plenitudinis suae ut non fulgeat ipsi nec respiciat nec illuminet illam, quamdiu corpus eius ex

[1] Sic cod. Leid.; sed in cod.-Lugd. « versus horum », subaudito « pedes ». Fortasse legendum in membro antecedente « versus illorum (pedes) ».

adverso solis in umbra terrae absconditur, sive totaliter sive ex parte.

Haec vero sententia cogitationis meae miranda, quod opiniones multorum dissolvit et evertit et confutat, ea est quae modo simpliciter et absolute prolata est et posita sine ulla demonstratione et sine confirmatione. Nunc autem oportet ut ope exemplorum rationumque adiuvantium sententiam confirmemus, et ostendamus vanas esse opiniones priores multorum quae ex conspectu omnibus assueto reputatae sunt verae, ita ut homines existiment lucem lunae revera crescere et augeri tempore incrementi eius, et decrescere tempore decrescentiae eius; quod, sicut dixi, non est nec verum est. Quod autem verum est, ita se habet: Cum corpus lunae sit corpus solidum et firmum ex quattuor elementis, sicut superius ostensum est, et sit rotundum ac sphaericum et lucem a sole recipiat, patet quod semper uno latere tantum lux eam attingit, non autem duobus eius lateribus; et perpetuo unum latus tantum lucidum est, illud scilicet quod solem respicit, alterum vero omnino obscurum et absque lumine est. Etenim, hic etiam, apud nos, intra domum, si lux lucernae aut ignis uni lateri columnae domus fulget, hoc unum latus columnae tantum, * quod [* p. 179] lux attingit, est lucidum et album, alterum autem est omnino obscurum et nigrum. Quod si sunt homines qui sedeant aut stent inter lucernam et illam columnam, columnae latus, in quo lux considit, videtur eis lucidum et album. Si autem aut homines aut lucerna ad latus alterum et oppositum columnae transeunt, ut sit columna inter eos et lucernam, latus columnae, quod prope eos est, videtur eis omnino nigrum, non autem lucidum et album sicut prius, quando in medio inter lucernam et columnam stabant. Aliquid simile eis quae dicta sunt, etiam circa lunam videre licet. Ponatur ergo a nobis hic mundus, domus magna, ut exemplar domus supradictae, et sol in similitudinem lucernae quam diximus, et terra et incolae eius in similitudinem hominum qui in exemplo a nobis positi sunt inter lucernam et columnam, et luna ponatur a nobis in similitudinem columnae quam diximus, in qua lux lucernae considit. Cum ambo luminaria, sol et luna, in regione occidentali adsunt, hora diurna undecima diei XXIX

lunaris, tunc luna stat sub radiis solis, et facies eius in qua lux considit, est supra, versus solem, et latus eius inferius seu pars eius aversa nigra et obscura et luce privata, est infra, contra terram et contra eos qui super terram habitant, et tunc lucem in luna prorsus non vident; nonne intellegenti evidens est homines tunc lucem in ea non videre, non quod lux in ea deficiat — lux enim in ea nullo modo deficit nec ex parte minuitur, — sed quia pone eam stant, ad latus cui sol non fulget, et ideo lucem in ea non vident? Evidens est igitur lucem, quae est in ea a sole, tunc esse supra, contra solem, * p. 180 et partem eius aversam, * in qua est obscuritas, esse infra et contra nos; et ideo tunc lucem in ea non videmus, non quod lux ab ea deficiat, sed quia tunc facies eius, cui lux affulget, non est contra nos.

Rursus, cum luna vespere secundo sui computus, parvo quodam intervallo post solem manet, ad orientem et meridiem eius, videtur in ea paulum lucis e regione occidentali ex parte solis et infra, et homines adspicientes existimant lucem ei additam esse; lux autem non addita est, sed lux quae in ea erat, ⌈quae paulo ante erat quasi desuper[1], ea est quae apparuit per parvam partem contra nos, postquam luna paululum declinavit inter nos et solem, et ab eo ad orientem et meridiem recessit. Et quantum a sole recedit ad orientem et meridiem et stat ad meridiem nostri ipsorum, gradatim revelatur nobis a latere occidentali lux illa, quae est in ea ex adverso sole, et gradatim absconditur nobis latus illud obscurum et nigrum quod est in luna a parte eius aversa, tunc ab oriente. Et rursus paulatim ad orientem accedit, et a sole recedit, et lux eius nobis revelatur, et absconditur nobis obscuritas partis eius aversae usquedum die quinto decimo computi sui stet supra horizontem orientalem seu lineam quae inter caelum et terram terminum facit. Tunc tempore vespertino supra terram oritur, et totus eius vultus videtur contra nos plenus lucis, et tota pars eius aversa obscura, quae est ad orientem, nobis absconditur, quia scilicet tunc invenimur stantes in medio duorum luminarium, lunae ad orientem nostri et solis ad occidentem. Et rur-

[1] Sententia obscura, fortasse corrupta.

sus gradatim accedit ad orientem, et incedit et appropinquat versus solem a die quinto decimo usque ad diem vicesimum nonum quo venit ut sub radios solis ingrediatur; lux vultus eius nobis paulatim absconditur, et obscuritas partis eius aversae contra nos stat, usquedum luna stet in medio inter nos et solem, et nobis prorsus invisibilis fiat, non quod lux eius defecerit aut deminuta fuerit, sed quia pars eius aversa est infra, contra nos, * et facies eius lucida plenaque lucis est * p. 181 supra, contra solem.

Sic igitur propter illas rationes lux luminaris lunae ab adspicientibus existimata est revera augeri et crescere primis diebus revolutionis eius, et decrescere et minui novissimis diebus motus eius, quia adspicientes non cognoverunt nec intellexerunt quae sit vera huius rei causa. Etenim nihil luci eius additur nihilque detrahitur a primo die creationis eius usque nunc, ita ut igitur hoc luminare luce a sole semper impleatur qui illud illuminat, sicut creator eius constituit, quemadmodum sermo iam satis declaravit. Haec sunt quae decebat sermone exponi realiter et materialiter de luminaribus quae Deus in firmamento caeli fecit ad lucendum in hoc mundo super terram hominibus et animalibus et volatilibus, quae in ea sunt, pro viribus mentis meae infirmae. Verumtamen quia speculatio fieri potest circa luminaria et ratio ostendere potest eis fuisse typos repraesentativos in rebus quae in hoc mundo per imitationem effecta sunt, eaque per seipsa et per res suas delineare et figurare typos qui alias res ipsis excellentiores et altiores repraesentant, age dicamus hac de re, ea quae conveniunt, Deo adiuvante et illuminante rationem nostram lumine Spiritus sancti et illuminantis. Imago quidem typica quae haec materialiter figurabat fuit candelabrum aureum quod Deus iussit Moysen, figuratorem typi, facere et ponere in tabernaculo testimonii ad latus meridianum, ut positione sua in tabernaculo ostenderet situm et revolutionem eorum in regione meridiana in firmamento caeli, et illuminatione sua in tabernaculo illuminationem eorum super terram. Hic est typus qui per Moysen eis mystice delineatus est. Illa autem per seipsa et per operationes, quae fiunt per ipsa, nobis typum et repraesentationem in hunc modum de-

lineant: Sol, luminare maius et sensibile et simplex corpore
* p. 182 suo * et illuminans omnia sensibilia, similitudo est Dei, creatoris omnium, lucis magnae et primae et omnipotentis et simplicis, qui nullius particeps est et est in omnibus, qui est illuminator et vivificator et gubernator et curator omnium naturarum rationabilium et sensibilium. Illius luminaris absque calore et vivificatione, nihil ex sensibilibus subsistere, permanere aut vivere potest, quemadmodum, simili modo, sine Deo fieri nequit ut ulla ex omnibus creaturis, quas virtute et sapientia sua creavit et condidit, et providentia bonitatis suae curat et vivificat, subsistat atque permaneat. Sic sol est similitudo Dei, et non accipitur sensu videndi, sicut Deus est incomprehensibilis mentibus.

Stellae vero omnes, quae et ipsae sunt simplices et ex natura aeris pura et munda et purgata, lucem quidem natura sua non habent, recipiunt autem lucem a sole propter munditiem suam et lucidae fiunt et in motu suo et illuminatione sua volvuntur versus solem, illuminatorem suum; typus sunt virtutum caelestium angelicarum et simplicium et incorporalium, quae sunt luces secundae et intellectuales, illuminatae a luce prima et mente magna, quam intuentes conservantur et firmantur omnes in ordine ministerii sui, dum sunt, sicut scriptum est [1], « potentes virtute et facientes verbum eius et ministri eius facientes voluntatem eius ». Ita, quemadmodum stellae a sole habent ut lucidae sint atque illuminent cum in motu suo volvuntur, sic angeli sancti habent ut a Deo radios scientiae illuminantis accipiant et filiis hominum luceant, quia « omnes sunt spiritus administratorii, missi ab illo propter eos qui vitam hereditate accepturi sunt [2] ».

Luna autem, luminare inferius et terrae proximum, quae, sicut sermo iam ostendit, ex quattuor elementis est composita, dum cum omnibus stellis in firmamento caeli volat et movetur, passiones et mutationes multas patitur, et crescit et decrescit, et obscuratur et senescit et, ut ita dicam, fit alia et alia dum eadem est, similitudo est naturae humanae compo-
* p. 183 sitae, * terrestris scilicet et caelestis, sensibilis et intellectua-

[1] *Ps.* CII, 20. — [2] Cf. *Hebr.*, I, 14.

lis, animalis, rationalis et cogitantis, quae, dum sicut spiritus incorporales et immateriales splendet et gaudet ratione et cogitatione mentis et libero arbitrio et libertate, et gaudio quod est in cognitione et illuminatione a Deo, similis est virtutibus caelestibus, patitur et ipsa passiones et mutationes multas propter naturam suam terrenam sicut luna; nascitur enim, incrementa accipit, crescit, decrescit, languescit, venit ad senectutem et revertitur in corruptionem ad pulverem suum, et semper est quasi alia et alia et diversa. Alii scilicet moriuntur et alii nascuntur loco eorum, dum ipsa natura non mutatur nec deficit, sed eadem semper manet sine interruptione sicut luminare lunae, socium stellarum, usquedum creator eius, artifex qui hanc *naturam* ad imaginem suam creavit, liberet eam ab hoc diversorio eamque transire faciat ad diversorium alterius vitae rationalium, congenerum eius. Sic luminare hoc lunae mutabile typus est et imago figurans naturam humanam; et stellae lucidae, quae regem solem circumdant, typi sunt virtutum caelestium quae in conspectu regis, creatoris sui, Dei, adstant; et sol, luminare maius, similitudo est et imago Dei creatoris et vivificatoris omnium.

Haec potuit ratio nostra infirma, Spiritu illuminata, disserere de luminaribus quae creator creavit et condidit et posuit ad lucendum in hoc universo hominibus et animalibus irrationabilibus et volatilibus, quos creaturus erat ut in eo habitarent. Et speculatio eiusmodi congruebat eis typice et imitative, quod scilicet subsistentia et permanentia omnium creaturarum sensibilium pendent et alligantur auxilio et vivificationi ex calore solis, quia sol est typus et similitudo Dei creatoris et curatoris et vivificatoris omnium, et rursus ipse sol pendet a voluntate creatoris sui qui eum ita condidit. Pariter omnis natura intellectualis et rationalis luminum secundorum pendet * et permanet et subsistit in aeternum et sine fine, provi- * p. 184 dentia et gubernatione mentis magnae, creatricis sui, et luminis primi; et omnia rationalia et irrationalia simul, sensibilia et intellectualia simul, caelum et terra et omnia, quae in eis sunt, enarrant gloriam magnitudinis eius et virtutis eius, cum etiam dies et noctes sine ore et sine substantia eructant verbum et hominibus rationalibus declarant scientiam Dei factoris et

creatoris omnium, — sicut et Spiritus psallens de eis dixit[1]: « Caeli enim, ait, enarrant gloriam Dei et opus manuum suarum annuntiat firmamentum; et dies diei eructat verbum », ut homines discant Deum factorem cognoscere; et « nox nocti indicat scientiam » pro rationalibus qui artificem ex operibus eius agnoscant; « eis autem non est sermo nec verba prolata », nam prorsus non auditur in eis vox confitens factorem creaturarum magnarum et mirabilium et declarans magnitudinem virtutis eius qui operibus suis maior est — ut ex operibus eius cognoscant eum si volunt et intellegunt, et mirati pulchritudinem eorum non vocent opera eius deos nec, a scientia vera aberrantes, existiment ea esse rectores huius mundi. Dicit enim sapiens quidam, illis errantibus illudens: « Qui opus considerantes opificem non agnoverunt, sed existimaverunt ignem aut spiritum aut aerem tenuem aut coetum stellarum aut aquas violentas aut luminaria caeli esse rectores mundi et deos. Si, pulchritudinem operum mirati, putaverunt ea esse deos, scire debuissent quanto dominus eorum excellentior eis est. Ait enim: Ille qui est principium et auctor pulchritudinis creavit ea. Quod si, cum virtutem et operationem eorum mirarentur, considerassent, intellexissent quanto fortior est eis qui illa condidit; etenim ex magnitudine et pulchritudine creaturarum, ait, creator earum, quantum fieri potest, pari ordine cum illis videtur. »[2]

Hic homo sapiens et vere timens Deum sic locutus est de magnitudine et pulchritudine creaturarum, et de magnitudine et fortitudine et altitudine pulchritudinis et incomparabilitate eius qui eas creavit, et sic verbis aperte ostendit lumina-
* p. 185 ria caeli non esse * deos, sed opera artificis sapientis ac fortis, qui solus est Deus, et etiam curator atque gubernator omnium quae creavit. Nos vero verba nostra exornabimus veris Spiritus verbis tanquam signantibus et confirmantibus, et ita sermoni nostro de eis finem imponemus. Illa enim esse creata et facta, et non aeterna, ipsa verba Spiritus per Moysen, quae superius posita sunt, testantur et confirmant, quia dixit: « Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, » et :

[1] *Ps.* XVIII, 2-4. — [2] Cf. *Sap.*, XIII, 1-5.

« Fecit Deus luminaria magna », et ostendit illa creata fuisse in notitias temporum, et ut luceant super terram et distinguant inter diem ac noctem. Rursus Spiritus etiam per David testatur dicens[1]: « Fecit lunam in tempora, et sol cognoscit tempus occasuum suorum; fecit tenebras et facta est nox, et in ipsa habitant omnes bestiae silvae; et leones rugientes ad praedandum et ad quaerendum a Deo cibum suum, et ad occasum solis congregabuntur et in cubilibus suis recumbent. Egreditur homo ad opus suum et ad operationem suam usque ad vesperam ». Et rursus docet ea posita esse ad confessionem et laudationem creatoris coram spectatoribus intellegentibus, sic dicens[2]: « Confitemini Domino Deo deorum, qui fecit caelum in sapientia sua, et firmavit terram super aquas, solem in dominium diei, lunam et stellas in dominium noctis ». Et cum iubet omnes creaturas laudare, dicit[3]: « Laudate Dominum sol et luna; et laudate eum omnes stellae et lumen ».

Sic Spiritus verbis suis veris ostendit luminaria esse creata et facta, et non suis tantum sed et per homines alienos qui a fulgore luminis veritatis non multum remoti fuerunt, sicut Hermes ille [qui] dicit et in libro suo posuit: « Dixit Deus verbo suo: Fiat sol », et per hoc ostendit hunc et illa cetera esse creata ac facta, et propter nos creata fuisse, non solum ad ministerium nostrum, sed praeterea ut nos semper moveant pulchritudine adspectus sui et magnitudine et operatione sua ad confessionem et laudationem creatoris sui, Dei, cui laus et honor et dominatio semper, nunc et omni tempore et in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit tractatus quartus, qui est de luminaribus caeli, sole et luna et stellis.

[1] *Ps.* CIII, 19-23. — [2] *Ps.* CXXXV, 1-9. — [3] *Ps.* CXLVIII, 3.

p. 186 TRACTATUS QUINTUS : De animalibus et reptilibus quae, mandato Dei, aquae progenuerunt; et de volatilibus quae iussit ex natura aquarum fieri.

Deus curator creationem suam plenitudine omnium rerum necessitati suae utilium carere non sivit; quapropter, ut sermo iam superius ostendit, quemadmodum reges, qui civitates aedificant, non solum muros et plateas et aedes et omnia habitaculo necessaria exstruunt et disponunt, sed etiam canales qui adducant aquam ad potandum et abluendum et lavandum excogitant atque perficiunt, et lacus prope civitates parant ad multiplicationem scilicet piscium in nutrimentum habitatorum civitatum, et species multas ac diversas volatilium, quae amant in humiditate aquarum multiplicari et degere, ut sint et ipsa ad alimentum et oblectamentum hominum spectabilium; sic Ipse quoque, cum civitatem hanc magnam, mundum, propter bonitatem suam et philanthropiam suam multam, generi humano, imagini suae, aedificavit et paravit, post omnia haec prima, quae fecit et disposuit, caelum, dico, terram, firmamentum, aerem, maria, lacus, flumina, fontes, silvas arborum, plantas fructiferas, herbas, semina, radices, et prata ferentia flores beneolentes diversosque coloribus et qualitatibus, curavit ne maria et flumina et tota aquarum natura et hic aer purus et mundus et lucidus, qui est inter terram et caelum, otiosa et omnino sterilia manerent. Verum quia nulli eorum erat ornamentum proprium et conveniens et aptum iuxta aptitudinem et proprietatem naturae suae ut essent in eo incolae semper degentes et conversantes — in aquis quidem natura gravis et pellucida, in aere autem natura levis et volatilis, utrumque vero ad oblectamentum et ministerium hominum qui futuri erant domini huius mundi, — ideo Spiritus scriptor per Moysen narravit, post ea quae supra posuimus et ostendimus, Deum creatorem imperative dixisse:[1] « Pro-

[1] *Gen.*, I, 20.

ducant aquae reptilia animarum viventium, et volatilia volitantia super terram super faciem firmamenti caeli; et factum est ita ».

Nunc vero ratio sapiens, subtilia in se scrutans, bene merito investigat et dicit: Quare dixit Deus: « Producant * aquae », * p. 187 et ipse virtute potentiae suae id quod volebat non produxit? Etenim in eo quod facere vult, nulla re indiget qua (ut instrumento) faciat, quia quodcumque vult facit nutu tantum voluntatis suae; ideo etiam scriptum est[1]: « Ipse dixit et facta sunt; et ipse mandavit et creata sunt ». Haec dicit ratio investigans dum dubitat et ad sensum materialem verborum Scripturae a Spiritu inspiratae attendit; ad haec ratio intellegens cum cogitationibus subtilibus respondet dicens: Non Deus erat aut est qui ullius auxilii ex creaturis suis indiget, sed nos sumus qui necesse habemus verbis nostris et sermone nobis assueto et congruenti audire quomodo res omnes et opera Dei constituta fuerint et ad existentiam venerint. Id autem apud nos fieri non poterat ut audiremus aut videremus quomodo facta sint, nisi historia creationis eorum verbis nostris narrata fuisset aut scripta. Quapropter verbis nostris usus est Spiritus scriptor qui ea posuit propter nos et secundum vires nostras, quia fieri non potuit ut aliter faceret. Etenim supra, cum Spiritus dixit: « Dixit Deus: Producat terra herbam et arbores, » haec verba non ita posuit ut ostenderet Deum indigere auxilio terrae ad creandum id quod vult, sed ut nos audiremus et sciremus et intellegeremus eum virtute sua omnipotenti creasse ea quae creavit, etsi scriptum est eum mandatum terrae dedisse. Etiam nunc cum dixit: « Producant aquae », hoc verbum non sic dictum est quasi Deus auxilio aquarum indigeret ut fierent ea quae voluit.

Itaque verba nostra aperte et distincte proferantur, ut clare cognoscatur id quod ratio investigans parata est respondere. Deus revera non dixit ullum ex verbis illis, neque res tam crasse se habet; neque necesse habebat dicere et deinde creare, sed satis erat ei tantum cogitare, et haec cogitatio erat rei completio. Quin immo neque cogitatione indigebat; Deus enim

[1] *Ps.* XXXII, 9.

non cogitat, nec investigationem cogitatione facit ut eligat quod placet sibi et deinde creet, sed ipsa susurratio aut motus aut primus nutus cogitationis ad faciendum id quod vult, completio est operis. Ecce etiam hoc vocabulum quod dixi, « nutus », otiosum est ac superfluum; etenim, Deus revera non * p. 188 annuit quia est absque oculis et superciliis et manibus, * et sine ullo membro. Ergo otiosum est ipsum nomen « nutus », et etiam superfluum est motum voluntatis Deo tribuere, quia voluntas eius nihil est praeter ipsum. Et id quoque quod dicimus: « Virtute potentiae suae facit quodcumque vult », superfluum est ac otiosum, si quis subtiliter investigat, nec congruum est nec necesse ut de Deo dicatur. Itaque, cum omnia haec verba et vocabula, quae de eo dicimus, sint ex nostris et ex usu nostro, et de nobis tantum dici debeant, et ei nullo modo conveniant et ad eum non accedant cum dicuntur, quid faciemus cum volumus loqui de eo et de eis quae ad eum pertinent, et non possumus loqui, nec dicere, nec docere alios, nec demonstrare, nec audire nec accipere ab alio, nisi ope verborum nostrorum et rerum nostrarum, si necesse habemus accipere et ponere alia nomina et verba et vocabula cum sermonem de eo facimus? Quapropter Spiritus tunc more verborum nostrorum narrativorum usus est ad nos et propter nos, et ideo ea etiam ita scripsit, balbutiens nobiscum in hunc modum propter nostram pueritiam et ostendens nobis, per haec nostra, ea quae supra nos sunt, non quasi ita facta fuerint aut sint.

Ergo Deus revera non dixit: Producat terra, et producant aquae; nam nullo modo necesse habebat loqui, sed verba propter nos ita posita sunt. Etenim, nisi Spiritus nobis ita locutus esset et scripsisset et posuisset: Iussit Deus: Fiat hoc aut illud; et: Dixit Deus: Fiat hoc aut illud; producat terra herbam et producant aquae reptilia animarum viventium et volatilia; quae verba e nostris audivimus et vidimus in descriptione librorum a nobis confectorum, quomodo fieri potuisset ut de Deo eiusque operibus disceremus, et sciremus omnia haec visibilia esse creaturas Dei, et per eum ad existentiam venisse et non esse aeterna, et non erraremus sicut omnes gentes quae existimaverunt hunc mundum esse ens quod existit

a seipso et esse aliquid aeternum, et a Deo non creatum fuisse. Id enim Moyses, quin immo Spiritus qui in eo loquebatur et operabatur, curaverat docendum per ea quae scripsit, ut hominibus ostenderet et significaret *caelum et terram et omnia *p. 189 quae in eis sunt esse opera Dei, non autem entia a seipsis constituta, aeterna et increata, sicut diabolus rebellis homines docuit cum seduxit eos a Deo creatore eorum. Haec fuit causa ita ponendi verba: Dicit Deus: Producat terra et producant aquae, ut nos de Deo et de operibus eius facile disceremus quomodo facta sint ab eo eaque non esse aeterna. Et cum Spiritus dixit: Dixit Deus: Producant aquae et producat terra; non dixit ut ostenderet Deum operibus suis mandasse ut adiuvarent ipsum in eo quod facit, sed ut indicaret Deum modo iubentis creare quodcumque vult, et quando vult et absque labore, et omnia mandato eius oboedire et nihil posse voluntati eius resistere. Et illud quod dixit: Producat terra et producant aquae, etiam in hunc modum explicari potest: Fiant in terra herba et arbores, et fiant in aquis reptilia animarum viventium et volatilia.

Haec quidem sunt a ratione investiganti quae responsum dedit cogitationi dubitanti, quae sensum verborum Scripturae litteralem consideravit. Nos autem ad verba Spiritus revertimur: Et Deus, ait, dixit: Producant aquae reptilia, animas viventes, et volatilia volitantia super terram versus firmamentum caeli. Rursus, aliud dubium. Scrutatur enim ratio investigans illud: Producat terra et producant aquae. Et oportet sciamus quod, etsi terra sola ponatur in mandato quod dixit: Producat terra herbam, quia scilicet terra tantum tunc visibilis erat quando herba et arbores ex ea germinaverunt, et tria alia elementa, aqua et aer et ignis, tunc invisibilia erant, *tamen* herba et arbores, quae ex ea germinant, non sunt partus terrae solius, sed, una cum terra, omnino partus sunt ceterorum elementorum. Patet enim quod in herba, quae est ex terra, et in lignis arborum, non solum lutum, quod est ex terra, sed etiam aqua et aer et ignis sunt in compositione et in incremento eorum. Quapropter de terra sola illud: Producat, hic ponitur, quia ipsa sola tunc visibilis erat. Ita res se habet etiam cum dixit: Producant aquae reptilia, pisces et

* p. 190 volatilia; quia tunc aquae tantum visibiles erant, * et ibi in generatione illorum, tria alia elementa, terra et aer et ignis, non erant tunc visibilia. Et omnimodo evidens est etiam in compositione piscium et animalium omnium, quae ex aquis adscenderunt, et in generatione volatilium, naturam terrae esse cum natura aquae et aeris et ignis. Nemo enim dicit nec cogitat compositionem carnis et ossium et pellis et totius corporis piscium et volatilium esse ex aqua tantum, eaque non participare tria alia elementa, terram, aerem et ignem. Nam etiam nunc apud nos ita est consuetudo in universo mundo et traditio sermonis, quia dicimus herbam, semina, radices, arbores et plantas nasci et germinare de terra, nec mentionem facimus ceterorum elementorum. Et simili modo dicimus pisces generari ex aqua tantum, ita ut igitur Scriptura usum nostrum imitata sit, et adhibens sermonem nostrum haec scripserit, dum notum et verum est quod ex quattuor elementis composita est herba quae e terra nascitur et germinat, et arbores et omnes plantae quae ex ea oriuntur, et pisces et animalia omnia quae sunt ex aquis, et natura quoque volatilium. Similiter, de his elementis quae videntur et agnoscuntur in unoquoque eorum positum est verbum Scripturae, imitans usum communem: de terra quidem in generatione seminum et arborum, de aqua autem in generatione piscium et volatilium. Et de his hactenus.

Nunc autem avide inquirentes, cum amore disciplinae et veritatis, investigabimus quis sit qui iussit: Fiat hoc aut illud; et iterum inquiremus et scrutabimur ut discamus, et reddemus nobis responsum et discemus, quis sit qui deinde facit atque adimplet quod iussum est. Etenim post verba superius allata: « Dixit Deus » qui iussit ut producant aquae, scripta sunt etiam haec[1]: « Et fecit Deus cetos magnos, et omnem animam reptilium, quae aquae protulerunt secundum genus eorum, et omnia volatilia alata secundum genus eorum; et vidit Deus quod essent pulchra; et benedixit eis Deus dixitque eis: Fructificate et multiplicamini et replete aquam quae est in maribus, et volatilia multiplicentur super terram ». Nunc

[1] *Gen.*, I, 21-22.

quis est qui iussit ac dixit: Producant aquae? et quis est qui fecit? Evidens est, sicut sermo de * aliis operibus ostendit, * p. 191 aliam esse personam quae indicatur per illud: Iussit, et aliam per illud: Fecit. Haec eo loco sic intellegenda sunt: Deus Pater iussit tanquam principium eorum qui sunt ex eo et omnium — et omnia ex eo sunt — et Verbum, quod est ex eo, fecit, quod est etiam principium omnium cum Patre suo et cum Spiritu qui est eis aequalis essentia, honore et operatione.

Et nunc etiam de istis investigatio instituenda est mente nostra quae veritatem scrutatur et amat. Quaeritur enim omnimodo, si Pater est in Filio et Filius in Patre, et una est voluntas eorum et una aequalitas spirationis, ut ita dicamus, et una potestas, quomodo dicere possimus unum iubere et alterum perficere mandatum? Illud enim quod unus iubeat et alter perficiat quod iussum est, significat ambos non esse aequales et pares honore; iubens enim ut principium iubet, perficiens autem ut servus et subiectus principio perficit id quod iubetur. Et dicimus: Talia ad nos pertinent et apud nos sunt; quod autem ad Deum attinet, mandatum et adimpletio mandati non ita se habent; sed quando Pater iubet, etiam Filius et Spiritus sanctus simul cum eo iubent; et quando Filius adimplet ac facit id quod iubetur, cum eo faciunt et adimplent etiam Pater et Spiritus sanctus, completor operum. Eis enim una est essentia et potestas et voluntas omnibusque simul unum mandatum aequaliter et adimpletio mandati. Simili modo, quando unus dicitur iubere, tres sunt qui iubent; et quando unus dicitur aliquid facere, tres sunt qui faciunt, ita ut igitur agnoscatur et significetur haec sic mystice posita esse a Spiritu scriptore, Deo, non ut diversitas inter iubentem et perficientem his verbis ostendatur, sed ut nos per haec discamus quod dum unus et alter sunt secundum personas — quod homines non comprehendebant nec cogitabant — in eo quod dicitur unum iubere et alterum facere, potius aperte et clare ostenditur eos sic habere unam potestatem et unam voluntatem, non autem diversitatem essentiae et potestatis. * Ita se * p. 192 habet et intellegendum est quod dicimus: Deus Pater iussit opera fieri, et Deus Verbum perfecit quod iussum est, non tan-

quam subiectus et minor, sed tanquam aequalis voluntate et non contrarius, et aequalis honore et aequalis potestate.

Sic continuo adimpletum est a Deo factore, et exivit in effectum, id quod iussum fuit a Deo creatore: Producant et generent aquae reptilia animarum viventium et volatilia super terram. Fecit, ait, Deus cetos seu dracones magnos, et omnem animam reptilium quae aquae secundum genus eorum generarunt. Ob hoc mandatum nihil ex tota natura aquae, ubicumque erat, mansit quod non procreaverit et genuerit, audiens et perficiens mandatum et generans animam aliquam viventem et moventem quae possit genus suum stabilire et propagare. In maribus quidem magnis et profundis et inexploratis ceti magni seu dracones, aut nescio quo nomine illos vocem, generati sunt; hos memorat et Spiritus psallens cum iubet eos, ut rationales, cum universa creatione laudare factorem, dicens[1]: « Laudate Dominum omnis terra, dracones et omnes abyssi ». Et ostendit, usu verborum quae dixit, illos propter suam magnitudinem in abyssis tantum marium profundis degere et habitare posse. Et ipse Deus universi, dum loquitur ad Iob eique memorat magnalia et mirabilia operum suorum, de hoc genere draconum aut cetorum ad eum dicit[2]: « Draconem hunc magnum numquid poteris rete capere et maxillam eius capistro ligabis? » Et in eodem libro invenitur testimonium eum esse regem omnium quae in aquis sunt, et factum esse cui illudatur ab angelis Dei propter magnitudinem suam et propter vim roboris sui. Narratur enim in historiis exterorum, qui viderunt et sciunt, nonnullos horum cetorum inveniri quae sint ducenta milliaria longi. Talia genuerunt aquae multae abyssorum marium magnorum et innavigabilium, quae appellantur oceani, et ultra totam terram habitabilem sita sunt. Et etiam maria illa tranquilla et domita, quae in terra habi-
* p. 193 tabili * sunt, iuxta quantitatem aquarum in se collectarum et iuxta proprietatem et temperamentum locorum suorum, ex se genuerunt et procrearunt animalia magna cum pusillis, quae degunt et natant et progrediuntur in eis et generant unumquodque ex eis secundum naturam et proprietatem generis

[1] *Ps.* CXLVIII, 7. — [2] Cf. *Iob.*, XL, 20.

sui: delphinos scilicet et pisces magnos, et species diversas ac multas piscium omnis generis, quarum unaquaeque secundum genus suum fructificat et generat et multiplicatur et successionem naturae suae efficit, et adimplet mandatum factoris qui dixit eis: Fructificate et multiplicamini et replete aquas quae sunt in maribus.

Praeter illa vero sunt reptilia multa et innumerabilia, et animalia multa ac diversa; horum specierum numerus nobis ignotus est, neque sunt in sermone nostro nomina nec appellationes quibus ea nota faciamus. Etenim haec maria non sunt nobis proxima, neque his speciebus assueti sumus ut etiam appellationes et nomina dentur eis apud nos sicut apud alios populos qui iuxta maria habitant, Graecos, dico, et Aegyptios et Romanos et Elamitas et Indos; hi quidem, quia proximi erant maribus, necesse habuerunt unicuique ex speciebus piscium et reptilium et animalium, quae sunt in maribus apud se, appellationes significativas et nomina distincta imponere. Nobis vero sufficiat verba tantum Spiritus dicere et ponere[1]: « Hoc mare magnum et spatiosum manibus in quo sunt reptilia absque numero, animalia magna cum pusillis; illic naves progrediuntur, et leviathan iste quem creasti ad illudendum ei ».

Sic aquae, quae sunt in maribus, species multas reptilium et animalium genuerunt ita ut apud nullum populum species et nomina omnium complete comprehendantur. Multa enim ex eis, sicut quidam dicunt et scriptis tradunt, nominibus animalium et volatilium, quae sunt super terram, nuncupantur, sive propter aliquam similitudinem corporum aut morum suorum, sive propter alias rationes. Ferunt quidem nonnulla eorum, quae in aquis sunt, ibi appellari porcos et canes, et etiam asinum et leporem et aquilam et accipitrem et turturem et scorpionem et serpentem, et alias ex speciebus reptilium quae apud nos sunt. Forsitan merito id factum est apud illas species * ut nominibus et appellationibus animalium terrestrium * p. 194
et reptilium appellarentur, quia habent aliquam qualitatem et similitudinem quae horum qualitatem et similitudinem refe-

[1] *Ps.* CIII, 25-26.

rant. Unum quidem notum et particulare communiter habent omnes pisces qui in maribus generantur: omnes intra labia oris sui dentes habent sicut ferae voraces quae sunt in terra, quod non habent pisces qui sunt in fluminibus et in omnibus aquis dulcibus. Sic Deus uno mandato fecit omnes aquas, sive multas sive parvas, fructificare et generare, ita ut nusquam infructuosae et steriles manerent, sed oboedirent et obsequerentur mandato mandatoris. Equidem et flumina et lacus, sicut aquae marium, iuxta qualitates et copiam et sapores aquarum suarum, pisces diversos et reptilia aliaque multa, quae non numerantur nec denominantur, generarunt et protulerunt, siluros scilicet et glanes et garos et anguillas, et una cum istis alia quoque genera testacea sicut testitudines, dico, et cancros et ostrea et limaces aliasque species multas innominatas. Simili modo et fontes aquarum parvi, et rivi et cisternae et stagna et fluenta aquarum parva, si fuerit in eis parum humiditatis et humor aquae parvus, non cessabunt ministrare ad mandatum adimplendum. Etenim unumquodque eorum prompte, pro viribus suis et qualitate loci sui et quantitate aquarum suarum, generat, fructificat et producit: hic quidem squillas et conchylia edulia, ut nominibus alienis utar tradamque significationes; ibi autem pisces minutos et valde exiguos; illic vero ranas aut genera aliasque species illis viliores. Non manebat quidem infructuosus vel humor parvus quilibet et vapor aquae; nam aut scinifes aut culices aut reptilia alia parva et vilia etiam ille proferebat ob subiectionem mandato quod dixit: Producant aquae et generent animas viventes. Omnes aquae mandato subditae erant, omnes oboedie-
* p. 195 bant, omnes generabant, omnes * producebant et proferebant secundum virtutem in se a creatore insitam. Tunc quidem mandatum sic fecit totam aquae naturam fructificare et generare et producere animas viventes, in maribus scilicet et in fluminibus et in stagnis et in omnibus aquarum fontibus. Et non solum tunc ita operatum est mandatum, sed etiam nunc continuo operatur et exigit ut aquae quod sibi statutum est perficiant.

Nos autem de differentiis generationum et incrementorum eorum, omnia quae nobis nota sunt et omnia quae periti tra-

diderunt nunc dicemus. De piscibus quidem, qui studuerunt explorare et videre et cognoscere et etiam scriptis tradere, haec dicunt: Pisces non coniunctione maris cum femina generant, nec feminae accipiendo aliquid de natura marium concipiunt sicut animalia terrestria; sed cum desiderio et mutuo amore in se insito et naturali, ut aiunt, ad invicem alliciuntur, non sicut animalia corporaliter coeunt, neque sicut aves, neque sicut reptilia terrae, sed amore tantum et desiderio corpora sua unum alii adiungunt, dum mares inter feminas versantur, et amore corpora unum alius affricant; et dum applicant et premunt et affricant latera sua, feminae hoc modo incalescentes concipiunt et implentur cruore ovorum multorum sine numero per tempus determinatum sicut statuit eis creator. Cum autem tempus conceptionis eis constitutum impletum fuerit, mares et feminae ad invicem congregant in loca convenientia et apta ad conservationem prolis suae, ubi scilicet aquae tranquillae sunt nec est eis impetus cursus ne ova abripiantur, et ubi non est limus nec lutum ne absorbeantur et putrescant et fiant sterilia. Itaque ad talia loca conveniunt simul mares et feminae; et mutuo amore et ob filios procreandos mas ad feminam se applicat et corpus suum ei affricat eamque ad pariendum incitat; ipsa quidem ova de ventre suo * coram mari demittit; ipse autem semen super ova egredientia effundit. Omnia quidem ova, ad quae pervenerit pars de semine maris, statim ac confringuntur, ex eis excluduntur pisces qui formati sunt et nati sunt in eis in ventre earum quae illa pepererunt, et viventes et completi servantur; illa autem ad quae nihil pervenerit de semine, sunt prorsus sterilia. Nunc cum pisces ita in aquis nascuntur, ita ex aquis nutriuntur; non sicut proles animalium lacte de carne matrum genetricum aluntur et crescunt, nec sicut proles volatilium escam accipiunt de ore matrum quae de semine agri cum labore colligunt, nec sicut alia ex culicibus et muscis et reptilibus terrae filios suos enutriunt, sed humore aquae tantum primum confortantur et crescunt, dum etiam ipsi fiunt esca multis ex genitoribus suis, donec ipsi, cum creverint et invaluerint, minoribus se vescantur.

Sic dicunt periti esse piscium generationem et incrementum, et ideo generationem eorum esse abundantem ut multitudine

sua sufficiant nutrimento genitorum suorum et conservationi et propagationi generis sui. Omnes enim semper usque in aeternum esca sunt quisque ei qui fortior est ipso, et cum hic minorem se devorat, saepe continuo et eodem tempore devoratur ab eo qui maior est et validior et fortior ipso. Species autem silurorum et anguillarum et omnium qui in limo dicuntur nasci, nam in limo generantur sicut dedit eis creator, etiam in eo et ex eo nutriuntur et crescunt, et etiam ipsi sicut pisces comedunt unus alium et vorantur et comeduntur unus ab alio. Sunt autem ex eis, ut dicunt periti et ei qui de talibus scripserunt, ex speciebus scilicet piscium aut ex eis quae modo quocumque in aquis generantur, qui etiam in ventre filios concipiunt eosque gestant tempore determinato, dum non in ovis formantur nec generantur sed in ventre et carne matrum
* p. 197 suarum, * et sine ovis formantur et complentur in corporibus suis, sicut filii animalium terrestrium; his scilicet credo esse alimenta diversa et educationem consuetis dissimilem. Partus autem cancrorum et testudinum et omnium testaceorum modis diversis fieri dicunt; omnes enim dicunt ea coitu corporali sicut animalia terrestria concipere et gestare; non omnia tamen simili modo generant, sed sunt qui primum, sicut volatilia, ova gignunt in quibus deinde filii formantur. Tales sunt cancri et crocodili. Et alia, sicut animalia concipiunt et pariunt simul filios perfectos eosque modis diversis enutriunt: illa quidem in aquis, illa autem in arida super terram extra aquam. Tales sunt omnes modi conceptionis et generationis et educationis eorum quae sunt in aquis, quantum notum est nobis; alii quidem multi ac diversi qui nobis quidem ignoti sunt et ineffabiles, forsan aliis bene noti sunt et facile effabiles.

De conceptione quidem, generatione et educatione eorum quae sunt in aquis, et de modis et qualitatibus variis quae eis sunt, sermo haec omnia dicere potuit. De coagmentatione autem et forma, quam Deus factor corporibus piscium fecit, et de institutione et symmetria coagmentationis squamarum eorum, et de dispositione eorum capitum et aurium et brachiorum seu pinnarum et caudarum, quomodo apte formata sunt et disposita ab artifice sapiente ad habitandum et vivendum in

aquis, et ad facile natandum et movendum in eis sicut volatilia in aere, et de multitudine ossium minutorum quae in carne eorum molli ac tenera formata sunt, nunc dicere pergimus. Omnibus animalibus terrestribus, quae Deus artifex fecit, et omnibus volatilibus quae in aere volant et reptilibus quae super terram reptant, Deus cuique, iuxta habitaculum et mores quae ei indita et data sunt, fecit membra utilia et apta quibus facile se gereret: animalibus pedes magnos et pellem et crines; volatilibus alas et pennas et cervicem gracilem et productam, et reptilibus *pedes breves et multos. Piscibus autem ne unum quidem horum dedit, sed fecit eis caput rotundum et os constrictum et paulo minus et tenuius magnitudine capitis, et corpus quod paulo plus crassitudinis in medio habet quam caput et cauda seu pars eius posterior parva et tenuis. Et eam formam totam ac talem fecit eis ut natantes in aquis facile se demitterent et resilirent, et in eis se moverent et irent de loco in locum sicut animalia quae super terram pedibus suis gradiuntur. Et natura pinnas in lateribus eis fecit et formavit, et caudam tenuem, quae habet etiam pinnam seu alam in extremitate sua, qua adiuventur natantes in aquis tanquam remis et gubernaculo navis et facile corpus quocumque velint moveant, sive ad unum latus, sive in priorem sive in posteriorem partem. Haec disposuit eis natura ad facilem reddendam conversationem in aquis, dum etiam confinxit eis convenienter squamas utiles in corporibus eorum infixas et a priore ad posteriorem partem apte agglutinatas quibus natantes se demittant, non autem a posteriore ad priorem partem ne illas, cum se movent, a corpore suo evellant. Natura autem in carne eorum posuit, ad stabilimentum maioremque firmitatem, pro arteriis et nervis, multitudinem ossium minutorum quibus mollitiem corporis sui humidam tuto retineant, dum etiam affabre paravit et fecit in ossibus spinas quasdam constringentes ne ossa a carne eorum facile evellantur.

*p. 198

Haec omnia fecit natura opifex, quae a Deo factore formata est et creata, generi piscium, qui natant in aquis sicut aves in aere, ut in eis facile et expedito se gerant et ab iniuria fugiant quando volunt et noxium percipiunt, nam Deus cognitionem in eis insitam dedit qua noxium et inimicum discernant

et ab eis tuto se servent. Etenim Deus creator curam totius suae creationis habuit, et nihil ex tota creatione, ne unum quidem, cura divina indignum est. Perget autem sermo explo- * p. 199 rans alia dicere quae natura opifex, * quam Deus factor formavit, piscibus fecit. Cum autem Deus omnibus animalibus terrestribus et avibus et reptilibus fecit vas internum recipiens aerem, quem ore suo hauriant et per eum vivant eumque recipiant in hoc vas pro eo formatum, quod vocatur pulmo et omnino perforatum est et cavum sicut spongia perforata et cava, quo possunt, cum aerem recipiunt, sonum gutture suo edere, natura vas illud generi omnium piscium non dedit. Equidem pulmonem in membris eorum interioribus non formavit, nec aerem sicut animalia respirantia ducere possunt; ideo sonum ore aut gutture suo edere non possunt sed sunt absque voce per totam suam vitam. Quod si adscendunt ex aquis et aerem in os suum accipiunt et in guttur suum introducunt, statim eo suffocantur, quemadmodum homines et animalia aqua, quae pulmonem eorum ingreditur, suffocantur. Pisces igitur aerem in se recipere non possunt quia pulmonem, vas recipiens aerem, non habent; neque homines neque animalia multum aquae in ventrem aut in os recipere possunt, quia scilicet aures eorum non perfossae sunt ad os suum sicut aures piscium. Pisces vero pro aere aquam hauriunt cum os aperiunt eamque facile transire faciunt eiiciuntque per aures suas, ne ventrem ingrediatur, et aere, cum os et ventrem eorum ingreditur, suffocantur et pereunt, quemadmodum homines aut animalia, cum aqua ventrem eorum ingreditur praeter illam qua opus habent ad sitim restinguendam, corrumpuntur et vitam omnino amittunt.

Ita Deus factor omnia condidit sicut conveniebat habitaculo eis accommodato et conservationi vitae eorum. Sunt autem multae species ex eis, quae in aquis sunt, quae duos modos duasque vitae qualitates habent; pulmonem quidem habent, vas recipiens aerem, et cum adscendunt de aquis eumque recipiunt, non nocet eis; et aliam qualitatem et proprietatem piscium possident, et cum descendunt in aquas ibique commorantur, non fit eis iniuria. Haec omnia Deus, sapiens artifex, speciebus piscium quae sunt in aquis fecit; et dum privavit eos

potentia recipiendi aerem in os et in ventrem, congruenter et sapienter fecit ut absque auxilio aeris in moribus et in habitaculo in aquis * vivere et se servare non possint. Etenim * p. 200 quemadmodum homines et animalia et aves, etsi ferre non possunt sicut pisces naturam aquae in os et ventrem suum copiose ingredientem, absque aqua vivere non possunt, sic et pisces, etsi non habent virtutem recipiendi in se aerem sicut homines, in habitaculo aquarum absque auxilio et adiutorio ex natura aeris nequeunt servari. Deus enim eis fecit vas quoddam aere plenum, vesicam, quae est semper inflata et absque orificio, sicut utrem vento plenum et ligatum, super quam celeriter ac facile natent sicut homines natantes, qui in utribus inflatis considentes super aquas natant. Super illam quidem pisces roborantur, cum volunt e profundo emergere, ea trahente et evehente illos in altum ob levitatem suam, nam aer haud facile in aquis manet, ita ut inde cognoscatur quod, etsi pisces aerem haurire non possunt et vivere, tamen ex quattuor elementis compositi sunt, sicut sermo superius ostendit, et in habitaculo aquarum absque auxilio aeris vivere non possunt.

His omnibus natura opifex ea, quae sunt in aquis, munivit neque illa auxilio nec participatione in quinque sensibus privavit. Etenim in aquis vident et audiunt et saporem distinguunt et sensibilitate per tactum pollent; et quanquam aerem non hauriunt, tamen odorem percipere possunt, et congregant ubi est aliquid odorem emittens quo vescantur, sive per aquas sit eis odoris sensus et inhalatio, sive odor super aquas superficialiter feratur et vis eius cum aquis commisceatur et illae quocumque modo sensui eius iungantur. Si hoc habent, sensibilitatem odoris habent et quinque sensus participant, etsi forsan non totaliter in omnibus nec perfecte sicut animalia, tamen omnino ex parte, quantum noverat sapiens artifex, creator qui dedit eis, modo vitae eorum sufficere.

Nunc vero quia ratio, investigans et inquirens, omnem operationem virtutis mandati quod dixit: « Producant aquae et proferant animas * viventes », pro viribus suis aggredi debet, * p. 201 non maneant omnino praetermissa vel ea quae a quibusdam, nominum inventoribus, dicuntur animalia zoophyta, quae scilicet in saxis, quae in aquis marium sunt, oriuntur et cres-

cunt, spongiae, dico, et pinnae et urticae aliaque multa his similia. Haec quidem ratio investigans iudicat virtute duorum mandatorum dominicorum urgeri et moveri, primo scilicet quod dixit: Producat terra herbam; et altero quod nunc aquas urget dicens: Producant animas viventes. Illud quidem naturam pulveris iussit herbam producere; hoc autem naturam aquarum producere animas viventes. Etenim quia natura limi, qui est super saxis marinis, cum aquis marinis quae sunt supra illum commixta erat, duobus mandatis coniunctim simul urgebatur, dum tanquam limus iubebatur herbam proferre, et tanquam aqua cogebatur proferre animas viventes atque sentientes. Cum autem duobus mandatis subiectus erat et ministrabat et audiebat, natura sapiens et efficiens dedit ei ut generaret et produceret aliquid commixtum et mirabile; hoc quidem tanquam herba oritur ex luto et radix eius saxis. quae sunt in aquis, alligata est plantarum instar; habet autem sensibilitatem et vitam, quae data sunt ei a natura aquarum quae iussa est proferre animam viventem; et evenit ut haec generatio commixta fieret. Quia sensibilitate pollet, debet animal appellari, et quia radix eius terrae est alligata et ipsum non movetur de loco suo, oportet nuncupetur planta. Itaque quasi ex mixtione et compositione duarum appellationum evenit ut nuncupetur zoophyton a perito nominum et ab auctoribus Graecis qui de rebus eiusmodi scripserunt, et de omnibus quae sunt in aquis, sive pisces sunt, sive siluri, sive anguillae in luto generatae, sive testacea, sive praedita duabus vitis, sive zoophyta, sive alia eiusmodi. Haec omnia cum omnibus aliis ad ministerium et servitutem sub potestate generis humani a Deo
* p. 202 factore et curatore hominis * creata sunt, sive ad cibum, sive ad sanationem corporum, sive ad alios usus necessarios.

Sunt quidem inter illa species multae quae edules sunt et suavissimae; sunt autem quae nullo modo edules sunt propter foetorem suum nimium et fastidium carnis suae in gustu et odore, sicut et inter animalia terrestria et aves et reptilia terrae. Rursus, sunt inter illa quorum carnes comedentibus exitiales sunt. Sunt autem aliae species quae, etsi edules non sunt, tamen carnes earum sanationi utiles sunt et commodae in aliis multis necessitatibus. Unde enim multae compositiones

et mixturae pharmacorum utilium et aptorum ad sanationem corporum hominum et animalium, praeter illas quae sunt ex radicibus terrae, nisi ex reptilibus quae sunt in aquis et ex piscibus, maxime ex eis qui sunt in aquis marinis? Omitto autem dicere quod non solum ad sanationem corporum inventa sunt beneficia ex eis quae in aquis sunt, sed etiam ad artem unguentariam quae omnia incensa et omnia aromata eximia ad odorem suavem et optimum componit, inventa est species, ex eis quae sunt in aquis, quae suavitate et excellentia sua superat[1] omnem odorem suavem totius mundi, ea scilicet quae, ut dicunt qui talia norunt, est semen unius ex speciebus piscium qui de mari Indorum adscendunt. Pariter in medicina, arte unguentaria, tinctura multisque aliis artibus inventi sunt usus quidam utiles ex eis quae in aquis sunt. Nam unde tinctura illa optima et excellens purpurae vestium regiarum, nisi e sanguine conchyliorum marinorum, quae splendore pulchritudinis suae omnem colorem et pulchritudinem florum et germinum, quae sunt super terram, vincit atque superat? Unde artes condimentorum et impensae ciborum, quas excogitant homines ad blandiendum ventri avido, nisi ex variis saporibus suavibus et gratis carnis reptilium et piscium quae sunt in aquis marinis? Et quid defatigor laborando verbis * multis * p. 203
de illis? Omnes enim species, quae sunt in aquis marinis, bonae et utiles et commodae modis multis ac necessariis visae sunt et inventae ab hominibus, ita ut exinde verum ab omnibus cognoscatur Spiritus testimonium quod de illis dixit: Vidit Deus quod essent pulchra, et: Benedixit eis Deus dixitque eis: Fructificate et multiplicamini et replete aquas quae sunt in maribus; ubi illud: « pulchra », pro « bona et utilia » accipi potest. Quod si verbum divinum testatum est illa esse pulchra eisque benedixit, omnia ergo bona sunt et utilia et necessaria hominibus, et Deus ne unum quidem horum, sive magnum sive parvum, otiosum aut prorsus inutile creavit, etsi propter nostram ignorantiam aliter a nobis existimantur inutilia aut nociva. Et de piscibus et omnibus, quae sunt in aquis, sufficiunt nobis [quae dicta sunt].

[1] Ms. « efficit »; sed vide correctiones.

Verumtamen, quia mandato quod Deus naturae aquarum dedit, dicens: « Producant aquae reptilia animarum viventium », praeter pisces et animalia quae sunt in aquis, aliud genus producere iussae sunt, ut apparet — nam post haec perrexit sermone suo dicere: « et volatilia quae volitant super terram contra faciem firmamenti caeli » — iam loquamur etiam de illo, quantum datur viribus rationis nostrae infirmae et debilis, ex auxilio et illuminatione Spiritus adiutoris et illuminatoris. Producant, ait, aquae reptilia animarum viventium, et volatilia quae volitant super terram contra faciem firmamenti caeli. Quid? ait ratio investigans: Etiam aves de aquis egressae sunt? Utique, dicit Spiritus. Quod si de aquis egressae sunt sicut pisces, quare, inquit ratio investigans, ipsae non habitant nec vivunt in aquis sicut pisces, sed super terram sicut animalia? Tanta impudentia illius est qui vult Deum edocere. Quis enim cognovit mentem Domini aut quis fuit ei consiliarius[1] ? Quis cognovit prudentiam magnitudinis operum eius aut quis apprehendit secretum iudiciorum eius? « Abscondita sunt Dei solius, ait Spiritus[2], et pergit dicere: Manifesta vero nostri et filiorum nostrorum », et evidens est quod
* p. 204 « filios nostros » omnes * homines vocavit, quibus scilicet nondum datur vim in creatione Dei absconditam apprehendere, sed faciem externam tantum corporum creaturarum omnium sensibilium oculis nostris videmus; illius autem *creationis* veram cognitionem in mentibus nostris nondum accepimus, nec rationes existentiae creaturarum apprehendimus, nec potuimus sensum in eis absconditum discere. « Videbo caelos, ait Spiritus psallens[3], opus digitorum tuorum »; quos quippe homines nondum viderunt, sed colorem tantum adspectus eorum obscurum et densum cum in altum suspiciunt, ita igitur ut nostrum non sit invenire nec dicere quare Deus factor et omnipotens aves sicut pisces ex aquis creaverit, dum non statuit eas in aquis habitare sicut illos, nec oporteat nos dubitare et investigare de rebus eiusmodi; sin autem, etiam eiusdem dubitationis esset quare non ex aere creavit eas si in aere habitaturae essent. Iterum, si ex terra creatae fuissent, idem

[1] Cf. Is., xl, 13. — [2] *Deut.*, xxix, 29. — [3] *Ps.* viii, 4.

dicendum esset: Quare ex terra creatae fuerunt et in aere positae sunt ut volarent? Omnia sunt eiusdem dubitationis nec a nobis investiganda sunt de Deo, qui omnia semper potest et omnia quae vult facit, sicut scriptum est, et quando et ubi vult et unde vult, et nemo est qui possit ei resistere et dicere: Quare facis? Forsan autem si quis ad coniecturam inclinatur dicet: Ideo pisces et aves ex aquis creati sunt, sive propter similitudinem morum suorum, — illi quidem in aquis, hae vero in aere, nam sicut pisces, qui aquas findunt et in eis natant et labuntur, ipsae etiam natant et aerem findunt, — sive quia utrique prolem suam ex ovis generant. Id autem moderate et irreprehensibiliter dicere possumus: Ideo aves ex aquis creavit ut diversitatem sapientiae suae et magnitudinem virtutis suae manifestaret; rationem vero exactam atque veram eius est, qui fecit, cognoscere, non nostri. Aves quidem factas esse et fieri ex aquis naturaliter, sicut creator * iussit, * p. 205 nobis ostendunt non solum verba illa in principio creationis, sed praeterea alia verba Spiritus Dei ex Scriptura sacra quae narrant: Cum exardesceret populus ille puerilis desiderio carnis in deserto, Deus iussit ex Mari Rubro coturnices[1] multas et innumerabiles adscendere, quae multitudines populi Israel innumerabiles multis diebus exsatiare possent; ita ut igitur etiam ex hoc exemplo evidens sit Deum in natura aquarum posuisse tum ut pisces generent tum ut aves producant.

Producant, ait, aquae animas viventes et volatilia quae volitant super terram, ut non natura tantum aquarum exornaretur, sed et ut natura aeris munda ac pura ornamentum proprium haberet, habitatores qui in eo currant et gaudeant et laetentur et exultent, sicut pisces in aquis. Sic iussit mandatum, et factum est, ait, ita. Et fecit Deus, inquit, cetos magnos, et omnem animam reptilium quae aquae produxerunt secundum genus eorum, et omnia volatilia alata secundum genus eorum. Ab initio verba ostendunt omnem speciem distinctam esse et definitam secundum genus suum: omnem animam reptilium quae aquae produxerunt secundum genus eorum, et omnia volatilia alata secundum genus eorum. Haec verba

[1] Cf. *Num.*, XI, 31.

unumquodque genus et speciem seorsim distinxerunt atque definierunt, non solum in eis quae sunt in aquis, sed etiam in volatilibus : primum, duo genera collectiva ac universalia, genus natantium, quae in aquis habitant, et genus volatilium quae in aere volitant. Rursus, haec genera in species multas ac diversas divisa sunt: genus quidem piscium et eorum quae sunt in aquis, sicut sermo superius, quantum potuit, ostendit. Genus autem volatilium in duas species generis volantis primum divisum est: in speciem illam polypinnatam, quae vocantur eae quibus sunt alae separatae, et in eas quibus sunt alae membranaceae; et illae etiam in species multas et innumerabiles.

Illa species polypinnata in duas species primarias divisa est, quae communiter vocantur aves praedatrices, quae sunt rapaces et carnivorae, et in eas quae appellantur aves cicures, et sunt herbaticae, et oleribus terrae vescuntur et vivunt. Et etiam illae dividuntur in alias species multas et innumerabi-
* p. 206 les, magnas scilicet et parvas, * diversas colore et diversas forma et dissimiles inter se; et eae quoque, quibus sunt alae membranaceae, in alias species multas ac diversas et prorsus dissimiles inter se. Sic genera et species volatilium mandato ab initio distincta sunt, et sic progredientur et propagabuntur distincte atque manifeste usque in finem, unumquodque seorsim in generibus et speciebus suis, dum unumquodque eorum id quod sibi naturale est facit, et vescitur eo quod sibi datum est a creatore suo. « Omnia, ait[1], te exspectant ut des illis escam in tempore suo; et das illis, ait, et nutriuntur, et aperis manum tuam et saturantur ». Et non solum in alimentis, sicut dedit eis creator et curator, cibo moderato et sufficienti necessitati utuntur, sed in tota sua vita et moribus super terram et in aere, sicut divisit eis artifex distributor et ordinator, se gerunt in omnibus vitae modis quos creator unicuique eorum congruenter ordinavit et disposuit, in coitu scilicet et conceptione et generatione et educatione filiorum suorum, in temperamentis et regionibus et locis aptis et convenientibus vitae suae. Aliae quidem super rupes altas et excelsas et ca-

[1] *Ps.* CIII, 27, 28.

cumina saxorum inaccessa domos sibi faciunt ad habitandum nidosque securos ad educationem et conservationem filiorum suorum; omnes, dico, species vulturum et aquilarum nigrarum secundum genera sua, et quae sunt his similes. Aliae autem in arboribus proceris et aedificiis excelsis convenienter nidificant et filios suos confidenter et absque timore enutriunt: aquilae, dico, et ciconiae, et falcones, et aliae quae similiter eis utuntur, dum unaquaeque earum ex praeda sua affert escam convenientem incremento filiorum suorum: aquila quidem praedam leporum et avium, perdicum, columbarum, palumbarum; ciconia autem ex serpentibus et ranis et muribus agri; falco vero ex pullis avium quos rapit et ex omni carne quae occurrit ei ut rapinam capiat. * Aliae in regiones ubi prata * p. 207 et aquae abundant, proficiscuntur et filios suos generant et enutriunt: v. gr. grues quotannis in regiones Alanorum et Sarmatarum abeunt; hirundines vero veniunt de Aegypto et de Aethiopia in terras Syriae et filios suos in domibus confidenter et absque timore pariunt et enutriunt. Aliae vero aves in arbusculis agri nidificant et filios suos sine timore pariunt et enutriunt; aliae autem, valde prudentes, sicut passeres, apud homines, in foraminibus parietum domorum, filios suos pariunt et enutriunt. Aliae ex avibus humilibus in cavernis et locis secretis et in summis parietibus cavernarum arcuatarum et rupium nidos ex luto in forma rotunda fingunt et filios suos enutriunt. Illae quidem super terram in montibus et agris pariunt et filios suos absque timore enutriunt; illae vero, quae sunt valde cicures et amantes hominum, etiam in domibus simul cum hominibus degunt et vescuntur et pariunt et filios suos cum confidentia educant, sicut anseres scilicet et gallinae et columbae et phasianae et omnes eiusmodi, quae sunt cicures et amantes hominum.

Creator quidem quasdam ex avibus corpore procero et forti ditavit, eas vero fecit minores prudentia et stultas, ita ut in via super pulverem ova sua excludunt et derelinquant, et pedes hominum et animalium ea conculcent, et ipsae filiis priventur sicut et prudentia. Talis est avis illa Indica quae apud Hebraeos vocatur kenpai šabbāḥim (struthio), id est, avis gloriosa, quae, una cum omnibus illis quas dixit Deus cum Iobum in

terrogaret, memorata est in sermone ad illum, cum per modum interrogationis dicit ei [1]: « Numquid adversum struthionem poteris stare, quae extollitur et volat et venit et nidificat et relinquit super terram ova sua, et super pulvere
* p. 208 calefacit ea, * et oblita est quod pedes viatorum dispergent ea, et fera rapax agri conculcabit ea? Haec enim multiplicavit filios non suos, sed frustra laboravit sine metu; quoniam multiplicavit Deus sapientiam tum animalibus tum avibus, sed ei non impertivit prudentiam; aliquando in altum se erigit et deridet equum et ascensorem eius ». Rursus etiam struthiocamelum, avem ambulantem propter magnitudinem corporis sui, Deus volatu privavit, quoniam non fecit ei alas corpori eius naturaliter respondentes; itaque etiam illa super pulvere filios suos parit et enutrit, misere afflictata cum omnibus animalibus vilibus quae sunt super terram.

Sunt autem aliae multae aves, quae non possunt multum subvolare de terra propter magnitudinem corporis sui; hae quidem super terram misere semper degunt, et vermibus et scarabaeis et vilibus terrae reptilibus vescuntur, quia virtute fortiter longe volandi non pollent. Tales sunt pelecani deserti qui praeda tantum ex scorpionibus et aliis eiusmodi viliter vescuntur. Non maneat autem praetermissus mos ille unicus et proprius qui de specie illa n a ʿ b ē seu corvorum, avium immundarum et avidarum, vulgatur. Etenim, etsi mares et feminae sunt inter eos et sicut omnia volatilia ova pariunt et pullos excludunt et enutriunt, dicuntur non sicut omnia volatilia coire; nec quis unquam vidit eos coeuntes sicut omnia animalia et volatilia, sed, ut ferunt, mas cum amore et desi-
* p. 209 derio in os feminae * tantum spirat, quae sic ex eo accipiens concipit et ova gignit, et excludunt filios et enutriunt et genus suum propagant. Hae ergo et omnes his similes, cornices, inquam, et corvi aliaeque variae cornicum species mediae sunt inter aves praedatrices et aves cicures, nam sicut aves praedatrices carne vescuntur, et sicut aves cicures escam de herba et oleribus comedunt.

Est vero, una cum illis, avis illa gloriosa et superba, pavo,

[1] *Iob.*, xxxix, 13-18.

qui, propter pulchritudinem et ornamentum quae ex pennis suis habet, est et dicitur stultus et vilis in omnibus suis moribus; quapropter Scriptura sacra eum neque mundum neque immundum recensuit etsi, ut fertur, caro eius dulcior est carne omnium volatilium. Sunt autem aliae quae in pratis et in fluviis et ad ora maritima et in locis humidis semper degunt et nidificant et generant pullos suos et educant, dum piscibus et reptilibus parvis, quae sunt in aquis, vescuntur et filios suos enutriunt. Tales sunt illae quae vocantur cygni et « extractores piscium » e ratione vitae suae, et etiam ardeae, et etiam aquilae aquaticae, aliaeque multae eis similes. Sunt etiam illae quae vocantur anates, et MMI[1], et gallinae aquaticae, et aliae multae, quae in aquis degunt et commorantur, et sunt ἀμφίβιοι, et escam ex piscibus et reptilibus, quae sunt in aquis, per totam suam vitam habent. His autem, quia in aquis semper versantur, natura opifex fecit plantas pedum indivisas et digitos non separatos ab invicem quibus aquam percutiant et natent. Aliae in silvis et in locis ubi arbores abundant, * habitationem suam propter suam infirmitatem sem- * p. 110
per collocant, et in illis nidificant et filios suos generant et educant; et sustentant miseram vitam suam ramis qui sunt in illis, nec credunt vitam suam conversationi extra silvas, ne inimicus in ipsas irruat. Illae etiam multum cantant, et vocant aliae alias, et respondent et iterum vocant sonis aptis et vocibus voci rationalium similibus. Etiam de luscinia, ave prudenti simul et timida, dicimus quod, dum ova sua incubat et calefacit, non cessat a sono cantus, seipsam nidumque suum a nocente custodiens. Sunt autem aliae aves, quae apud ora maritima semper habitant, et etiam super fluctibus maris aliquando natant et versantur sicut super terra, quia habitaculum ita datum est eis natura, et prope litus maris, propter securitatem et timorem, nidificant et filios suos generant et enutriunt. Ferunt enim avem illam infirmam et parvam, quam Graeci alcyonem vocant, hieme inter pluvias ova gignere et ponere super arena apud ora aquarum maris eamque, dum imber super ipsam descendit et venti in ipsam spirant, incu-

[1] Avis mihi ignota. Lectio eadem etiam apud Moysen bar Cepha.

bare et calefacere ea, et excludere pullos suos et enutrire. Dicunt autem ei, qui periculum sibi narratorum fecerunt et scripserunt, quod per duas hebdomadas dierum ova parit et pullos excludit et nutrit et docet volare, et illis diebus Deus, qui curam totius suae creationis habet, non sinit ventos in mari commoveri, nec procellam in eo concitari nec fluctus in eo aut in litore eius moveri, ut servetur alcyoni sua proles; * p. 211 ideo navigantes * in mari, cum causam cognovissent, alcyonides appellaverunt dies illos tranquillitatis maris.

Sunt vero aliae aves quae in rivis et canalibus aquarum semper manent, et in locis humidis et in luto calcant, et vermibus terrae tantum vescuntur. Sunt aliae quae in regionibus Aethiopum calidis generantur et enutriuntur, et appellantur a quibusdam psittaci qui, propter siccitatem et gracilitatem corporis sui et propter paucitatem escae suae, voce liquida pollent, et de eis vulgatur a multis, qui experientia id viderunt et didicerunt aut fecerunt ipsi, quod ex parte loqui discunt. Sunt vero aliae aves, sicut illae quae vocantur meropes, quae foramina in terra sibi faciunt, in prominentiis luti et in collibus et in ripis fluminum, et in eis nidificant et filios pariunt et enutriunt, et apibus, muscis et aliis eiusmodi semper vescuntur. Sunt autem aliae aves, gulosae ac immundae, quae idcirco in sepulcris et in locis putidis nidificant, et pariunt filios et enutriunt, et cibis sordidis et [foetentibus] vescuntur; tales sunt upupa et merops illae male olentes, et aliae his similes. Sunt etiam aliae aves quae tenebras amant et nocte tantum fiduciam habent: tales sunt illae quae denominantur bubones ex similitudine clangorum suorum, et noctua et nycticorax, aliaeque multae illis similes. Ex eis autem illae tenebras et noctem maxime amant quae idcirco appellantur vespertiliones; hae non habent alas separatas nec membranaceas, * p. 212 sed pelliceae sunt et dicuntur quia alae earum * ex pelle earum est, et totus earum victus est ex scinifibus et culicibus tantum. Istae, dum sunt ex genere volatilium et in aere volant sicut omnia volatilia, solae inter omnes modum habent proprium et distinctum et dissimilem modo avium; etenim quattuor pedes sunt eis, non duo tantum sicut avibus; neque ex ovis filios pariunt, sed sicut animalia quadrupedia filios suos in ventre

gestant, et filios perfectos generant eosque ex carne sua lactitant et nutriunt, et educant sicut omnia animalia, ita ut, sicut postulat iustitia, quoniam dentes habent et quattuor pedes sicut animalia et reptilia, debeant existimari et denominari mures volantes, nec dici esse ex genere volatilium.

Nunc, praeter haec omnia quae sermo explorans et narrativus descripsit de modis victus, conceptionis, generationis et educationis avium, et habitationum earum diversarum in variis locis, haec etiam dicenda sunt: Nonnullae earum solitariae sunt donec advenit tempus copulandi; aliae binae tantum degunt, sicut columbae quarum magna castitas laudatur. Dicunt enim de illis, qui hoc probaverunt et didicerunt, quod si una ex eis quocumque modo moriatur et altera superstes sit, quae in vivis manet, sive mas sive femina, castitatem per totam suam vitam servat, circumspiciens et exspectans et semper vocans coniugem, et alii nunquam se coniungit. Et sunt aliae quae gregatim ambulant et conversantur, sicut perdices aut palumbae. Aliae vero frequentes conveniunt et migrant similes plus minusve exercitui locustarum innumerabili; tales sunt in agminibus magnis et multis et congregatione exercituum multorum eae quae vocantur ψάροί seu rauci [1], qui in olivas et segetes frequentes corruunt, et i ā ʻ ē (aves perdici similes [2]) quae sicut exercitus multus * in segetes agrorum corruunt, et aves illae multicolores quae appellantur aves Medicae (seleucides [3]), fortasse quia de Media veniunt, quae, tempore locustarum, quando Deus miseretur hominum qui castigantur, ab eo mittuntur ut multitudo magna et exercitus innumerabilis, et vorant insatiabiliter locustas et debellant et dissipant et omnino destruunt, dum clamant et tumultuantur sicut bellatores fortes qui inimicos suos profligant. Sunt autem quaedam aves quibus Deus creator vitam brevem dedit; sunt vero aliae quas longaevas fecit. Ferunt enim vultures et columbas multo longaeviores esse omnibus avibus quae sunt super terram, eosque in vita huius mundi aetatem centum annorum plus minus attingere.

[1] Cf. infra, p. 192. — [2] Pterocles setarius? — [3] Praesertim species quae Pastor roseus vocatur.

Nunc in omnibus his modis distinctiones sunt inter aves invicem, et in aliis modis multis quos ratio nostra non assequitur ut illos numeret et declaret et in ordine et successive unum post alium hic ponat. Una vero magna et generalis distinctio avium praedatricum et avium cicurium nobis ponenda est, sicut fecit et distinxit eas Deus creator, et sicut Spiritus scriptor per Moysen legislatorem eas distinxit et posuit cum cibos mundos ab immundis secerneret. Verba autem huius distinctionis in hunc modum sunt[1]: « Et haec reiicite ex volatilibus nec comedetis ea, eo quod immunda sint: aquila et struthioelephas et aquila quae pisces capit, et milvus et corvus iuxta genera sua et omne simile eis; et omnis corax et cornix iuxta genus suum, et omne simile eis; et struthio et « extractor piscium » et vultur iuxta genus suum, et omne simile eis; et noctua et nycticorax et noctua magna et bubo et merops, et omnia similia eis; et otis et pelecanus et falco et nisus et accipiter et larus iuxta genera sua, et omnia similia eis; et ibis et cygnus et ardea et charadrius et catarrachtes iuxta genera sua, et omnia similia eis; et pavo et grus et porphyrio seu merops iuxta genera sua; et hirundo et luscinia et sturnus et omnia similia eis; upupa et gallus silvestris et vespertilio.
* p. 214 Et omne reptile et omnis proles * volatilis gradiens super quattuor, immunda erit vobis. Et haec comede de omni prole volatilis gradiente super quattuor, habente crura desuper pedes suos ad saltandum in ipsis super terram, et haec comedite de eis: locustam iuxta genus suum et locustam maiorem alis carentem iuxta genus suum, et omnia similia eis quae habent pedes magnos ad saltandum in ipsis praeter illos quattuor quibus gradiuntur. Et haec cetera, omne reptile et proles et species volatilis habens quattuor pedes, immunda erunt vobis ». Hanc differentiam magnam et distinctionem generalem ac comprehensivam generum et [specierum] volatilium, quae Deus super terram fecit ut in aere volitent, Spiritus scriptor et legislator nobis declaravit.

Munda autem, ut ea etiam eo loco distincte ponamus, quantum possumus, et ostendamus, etsi Scriptura ea non posuit,

[1] *Lev.*, XI, 13-20.

haec sunt: columbae, turtures, palumbae, i ā ʿ ē (avis perdici similis), perdrix, coturnix, ortyx, š e kh i bh a i t ā [1] (species coturnicis), anseres, anates, galli aquatici et omnia volatilia aquatica eis similia, et galli cicures, phasiani, ciconiae, omnes passeres et omnes aves parvae quae herbam comedunt et semina colligunt. Has sermo elegit et hic manifeste posuit etsi Scriptura divina mentionem earum non fecit. Praeter distinctionem quam Scriptura tradit, etiam hanc differentiam, quae dicta est, habent: illae quidem, quae vocantur t a i r ā (aves praedatrices), carnivorae sunt, gulosae, rapaces et tyrannicae in aves, sicut bellatores et homicidae; illae autem, quae in Scriptura appellantur p ā r ḥ ā t ā (aves cicures) herbaticae sunt oleraque comedunt. Est autem eis alia differentia significans ex forma corporis sui: illae quidem carnivorae et gulosae habent rostra adunca et acuta et secantia sicut cultros quibus praedam facile occidant, et ungulas acutas et productas quibus eas, quae captae sunt, expedite scindant et eviscerent. Hanc differentiam habent aves in adspectu suo ex natura et forma corporis sui. Et de modis morum volatilium hactenus.

Nunc vero disseremus de scientia, quae quibusdam ex eis * p. 115 a Deo creatore data est, et de variis modis egregiis et eximiis qui grati et recte ordinati habendi sunt eis qui bonum a malo distinguunt. Dicit enim Scriptura de avibus [2]: « Etiam ciconia in caelo cognoscit tempus suum, et turtur et grus et hirundo, aves silvestres, cognoscunt tempus adventus sui ». Tempus autem adventus Scriptura vocat tempus quo migrant illae ad regiones calidas quando hiems adest, et tempus quo ad loca sua priora revertuntur. Scientia illa revera est aequalis rationi et similis cognitioni quam homines ex cogitatione intellegenti habent. Aequalia sunt cognitioni rationali ea quae de perdicibus narrantur. Dicitur enim mas, cum videt feminas parientes et enutrientes multos filios et ditari et ornari eis circumdantibus matres suas, zelans invide et inique, ire secreto ad nidos harum feminarum et furari de ovis earum, et cum ova multa in nido suo sibi colligit et ponit, in-

[1] Verit vocem ὄρτυξ. — [2] Ier., viii, 7.

cubare et calefacere ea donec pulli erumpant. Cum autem isti exclusi paulum creverunt et confortati sunt, quando vocem matris suae audiunt, illum relinquunt vacuum et vanum, et abeunt quisque ad matrem suam; quapropter ille est sicut is qui in vanum et inique laboravit, et etiam in proverbium factus est iuxta usum loquendi hominum quem et Scriptura adhibuit dicens[1]: « Sicut perdrix quae vocat eos quos non peperit, ita is qui colligit divitias sine iudicio ». De femina autem narratur artificium quod non minus est artificio cogitationis humanae. Cum enim, aiunt, filii eius adhuc parvi sunt nec possunt cum ea volare, ipsa gressus eorum regit eosque facit ambulare in locis multis ut vescantur. Quod si quis occurrit et eos gradientes simul cum ipsa aggreditur, illa statim leniter crocitando et forma gressus sui monet illos fugere et se abscondere; ipsa vero callide moratur et graditur morbide et claudicanter trahens alas suas per terram [* p. 216] et inclinat se ut cadat huc aut illuc prae infirmitate, ita ut is, qui supervenit, ad ipsam solam intendat capiendam et filios eius neglegat donec omnes huc et illuc dispersi abscondant se, prout possunt, et videri et reperiri nequeant.

Quod autem narratur de ciconiis et scriptum est a scriptoribus physicis, quomodo non laudaretur et admirationi non esset propter cognitionem et prudentiam et iustitiam? et quomodo non esset correptioni et condemnationi eis qui patres suos et matres suas despiciunt et contemnunt? Dicunt enim ei, qui de illis scripserunt, quod cum nutritae et educatae fuerint a parentibus suis cum omni diligentia donec perfecte adoleverint et aequales parentibus suis statura factae fuerint, egrediuntur cum eis in desertum; et postquam bis aut ter et uno die et duobus aut fortasse tribus, si acciderit, volaverunt, faciunt parentes in nidis suis recumbere sicut ipsae recumbebant, et in desertum abeunt ut escam afferant et retribuant eis qui ipsas generaverunt et educaverunt, et alunt eos cum honore et prudentia sicut ipsae ab eis nutritae fuerunt. Ita faciunt eis, ut dicunt, etiam in eorum senectute, cum eos honorant et alunt et alis sustinent volantes cum eis in aere

[1] Ier., xvii, 11.

eosque in nidis recumbentes alis suis calefaciunt. Quapropter physici, qui de illis scripserunt, eas aves iustas bene vocaverunt et appellaverunt et pelarguta[1] nuncupaverunt omnem retributionem bonam quae fit a filiis sapientibus erga parentes. Rursus id, quod narratur de zelo earum laudabili et de iudicio recto et haud simulato, quis non admiratur et obstupescit et laudat? Narrant enim de illis: Contigit ut par corvorum et par ciconiarum nidos proxime alterum ab altero in quodam loco facerent et utrumque in nido suo ova parerent; cum autem hae et illi simul in desertum abiissent et a nido suo longe essent, homo quidam ex eis qui proximi erant, cum unum de ovis corvorum tulisset, removit illud et inter * ova ciconiarum posuit; cum vero erupissent pulli et exiis- * p. 217
sent et incepissent pennas proferre, et cognita esset nigritia pulli alieni inter pullos albos ciconiae, quid inde evenit et quid facit mas dignum narratione et admiratione et laude simul? Ciconias multas congregat ad spectandum eisque quod apparuit in nido suo ostendit, nigritiam naturalem et iniquitatem quae coniugis ipsius reputatur; illae autem simul, cum iudicium rectum et mirabile iudicassent simile ei quod homines iusti iudicant, et zelo ardenti in hanc feminam irruissent quasi in eam quae scortata est et legem naturae transgressa est, carnem eius lacerationibus discerpserunt eamque occiderunt, et simul cum ea etiam prolem alienam, quae visa est in nido eius, deleverunt. Talis et tanta in hoc visa est rectitudo iudicii et iustitia ciconiarum prae illis hominum iudicum hypocritarum.

Quid autem dicet homo de earum regula et vigilantia, cum videt ea aequalia esse illis hominum rationalium et facultate cogitandi praeditorum? Cum enim in locis multis et diversis et remotis ab invicem nidificant filiosque enutriunt, in civitatibus et pagis et arboribus multis et montibus et fluminibus, quando advenit tempus in regiones calidas meridianas ad hibernandum migrandi, non separatim nec paucae numero tantum proficiscuntur, sed omnes simul gregatim. Eae, quae in omni regione quacumque aestivant et filios educant, in loco

[1] Vox e πελαργός deducta, q. d. πελάργωσιν.

quodam una die et altera et tota hebdomada, si ita eveniat, exspectant apud quoddam flumen aut in prato quodam aut in loco ad conveniendum apto, donec omnes congregentur et proficiscantur, debiles simul cum robustis et iuvenes simul cum senioribus; nec errat nec laeditur ulla ex eis, dum servant aliae alias nocte ubi pernoctant, et aliae prope alias manent et in arboribus secure pernoctant, et tanquam exercitus militum iter simul faciunt quando iter faciunt, et simul consistunt quando consistunt, et tanquam alae in exercitu militum ma-
* p. 218 nus complodunt et sonum edunt et clamant * quando migrare volunt, et ita quiete simul et caute progrediuntur, mutantes loca ad castrametandum, et proficiscentes et consistentes in tempore suo et dum lucet, comedentes cotidie quodcumque in omni loco inveniunt, et iter facientes mane, caute et ordinatim donec ad regionem, ubi hibernaturae sunt, perveniant. Omnes enim, quae in Syria et Mesopotamia aestivant filiosque enutriunt, in regione Sodomae et apud Mare Mortuum, quod ex aquis Iordanis colligitur, hibernant propter caliditatem loci et propter escam e ranis quae ibi abundanter invenitur. Rursus, de illis dicunt quod etiam omnes cornices simul congregantur easque amanter et propter amorem peregrinorum, quando proficiscuntur, comitantur.

Verumtamen non solum de regula et vigilantia ciconiarum, sed et de scientia et prudentia speciei earum, sermo pro viribus suis et secundum occasionem satis demonstravit. Quia vero sermo speciem cornicum memoravit, nunc absque mentione in sermone non relinquemus etiam modum optimum amoris filiorum et curae filiorum, qui inter eas viget. Ferunt enim eas, magis quam omnia volatilia, curam habere educationis et conservationis filiorum suorum, non tantum dum parvi in nidis sunt, sed etiam cum volaverunt et egressi sunt, comitantes illos et sustinentes et nutrientes et servantes a noxio et adiuvantes per longum tempus donec videantur auxilio matrum et nutricum non indigere.

De mutua autem cura et auxilio inter grues, cum dormiunt aut cum migrant ad septentrionem aut quando revertuntur, quid dicet homo nisi tantum sapientiam artificis et creatoris laudet, qui tantam prudentiam et scientiam eis ingeneravit

ut sua sponte se invicem adiuvent dum non est qui illas ad hoc hortetur? Cum enim noctibus dormiunt, in locis ubi est securitas pernoctant et ubi possunt a noxiis servari. Plerumque autem, cum * proximae sunt fluminibus, insulas eorum ingrediuntur * p. 219 et dormiunt et manent, ut perturbatione aquarum inimicum percipiant; sin autem in planitiis, in locis apertis manent ut noxium a longe videant. Gregatim enim in loco manent; aliae quidem sine metu dormiunt; aliae autem circum eas obambulant et custodiunt et socias suas dormientes cum vigilantia et confidentia servant. Cum autem tempus vigiliae completum est illi quae excubias agebat et ipsa vult dormire, clamat voce magna et aliam exsuscitat cui locum suum et vigiliam committat et ipsa abit dormitum cum ceteris. Cum autem volunt de hoc loco migrare et diu per aerem volare, sive abeuntes sive redeuntes, quia hunc aerem difficile et cum labore findunt cum volant, non confuse nec inordinatim volant nec abeunt quaeque seorsim sed simul, turbis confertis; et illae volant non temere nec tortuose sed ordinatim directe alia post aliam ad instar funis extensi; et una e fortioribus turbae praegreditur et aerem spissum ac firmum findit, ut ceterae facile et absque labore sequantur. Et aliquando duabus turmis simul commixtis praegreditur, dum est utrique dux et adiutrix, et postea cum defessa et debilis facta est secando aerem ante illas, relinquit locum quem alteri committit, et fit omnium ultima ut quiescat et a labore suo recreetur. Sic species gruum aperte manifestatur pollere iudicio et scientia quae naturaliter data est ei ab opifice, creatore naturae.

Sunt autem quaedam ex avibus quae in creatione sua sensum acrem a Deo creatore acceperunt, ut ita dicam, aut quoniam natura ita dedit eis, sive propter timiditatem et timorem noxii, sive propter vigilantiam magnam. Ferunt enim anseres, prae omnibus avibus quae apud nos sunt, noctibus sensu acri pollere, nam etiam cum dormiunt, cito sentiunt quodcumque movetur. Id vero complete pertinet ad hanc speciem * noctuarum * p. 220 humilem, quae apud nos sunt; est enim noctuis vigilia nocturna. Est autem praescientia sensus quem natura speciebus vulturum gulosorum dedit. Sin aliter, si hanc ex natura non habent, quis indicavit eis, cum in cubilibus suis in rupibus

longe absunt, ubi corpora mortua iaceant a primo momento eiectionis, ita ut statim prompte ad ea simul conveniant? Cum autem copiae ad bellum proficiscuntur, unde habent praescientiam cladis earum futurae et saepe ante multos dies cum eis praegrediuntur volantes in aere supra exercitus et praenuntiantes eis qui iudicium habent id quod futurum est? Rursus, unde habet hirundo tam laudabilem et peritam scientiam, non solum in nido aedificando, sed in inventione laudabili medicinae, ut dicitur? Etenim cum nidum ponit propter educationem filiorum suorum, stipulas quasdam de frumento sicco in ore suo sumit et cum eis lutum affert, ut aedificium firmum sit nec facile evertatur, in quo enutrit filios suos caute et vigilanter, dum eos alit locustis et reptilibus agri et muscis quae per aerem volant. Cum autem occasio postulat et oculi pullorum obcaecati sunt, ut dicunt, radices de agro affert illosque sanat.

De scientia et iudicio, quae nonnullis ex avibus a Deo data sunt, hactenus. De mansuetudine autem et simplicitate et quiete et lenitate, quae sunt turturibus et columbis a Deo et a natura, quid dicet homo nisi ea obtigisse illis ut Deo in sacrificium offerri possent, et in exemplum adducerentur sermone Domini nostri cum ad apostolos dicit[1]: « Estote simplices sicut columbae ». Quid vero dicet homo cum considerat misericordiam et miserationem avis illius quae a Graecis vocatur φηνή (ossifraga), quae pullos aquilae a patre propter crudelitatem eius eiectos et extra nidum proiectos excipit tanquam suos, ut di-
* p. 221 cunt, miserta illorum, * et cum filiis suis pariter enutrit? Quid de hac sentietur et quid de illius crudelitate? Compertum est enim et notum omnibus miserationem esse similitudinem Dei donumque ex eo, crudelitatem autem et odium filiorum similitudinem esse malitiae homicidarum, quae in hominibus seminata est a diabolo qui ab initio homicida est, quemadmodum Christus, Salvator noster, Deus miserator et amans hominum, nos in evangelio docuit[2]. Neque omittamus sermone referre rem ardeae, si quid est in ea dignum quod commemoretur. Ferunt enim ei, qui eam viderunt et periculum fecerunt, eam,

[1] Matth., x, 16. — [2] Cf. Ioh., viii, 44.

etsi magis quietam et pacificam quam multas alias aves silvestres, tamen venatu captari et educari et assuetam fieri hominibus, et fieri cum eis pacificam et amantissimam hominum, et amare etiam eorum consuetudinem et proximitatem. Et dicunt de ea quod, cum quis dormit ubi una ex illis proxima est, quia scilicet muscis vescitur, pacifice et quiete simul et leniter accedit et muscas capit quae in dormiente considunt. Et id, aiunt, gratius est ei quam omnia, adesse conversationi et societati eorum qui laudes Domini cantant; et ipsa sponte sua ingreditur et stat inter duos choros psallentium et se versus illos ad occidentem convertit; aliquando etiam inter illos dormit, caput sub alis suis disponens et stans super uno pede tantum. Cum vero dicunt eam inter eos qui cantant dormire, ego existimo dicendum eam revera non dormire, sed colligere se ut oblectetur auditione vocis laudantium. Sic dicunt eam constanter stare nec moveri donec cantatores canticum absolvant. Cum autem illi finem faciunt et se commovent ad egrediendum, ipsa voce clamat laetanter simul et laudantis modo, et volans supra terram et saliens et motitans alas suas templo egreditur cum omnibus * egredientibus. Id etiam narrant de * p. 222 ea: cum sonum audit ligni pulsatoris pulsantis qui cantatores invitat et congregat, laetatur et exultat et salit sursum deorsumque, et clamat voce magna, quae cum auditur melius signum dat quam lignum pulsatoris. Id quidem, puto, debet esse reprehensioni eis qui pigri sunt et neglegentes nec gaudent quando sonum ligni invitantem audiunt. Iterum dicunt ei, qui modum consuetudinis eius observarunt, eam in loco cui assueta sit velle dormire, non autem in locis aliis et diversis quibus non sit assueta.

Haec et talia laudabilia et ad aemulationem provocantia amatores laboris et scientiae ratio explorans et amans veritatis selegit et posuit ex moribus et modis laudabilibus, quae creator et natura nonnullis ex speciebus avium dederunt, ut essent in correptionem et aemulationem simul libertati et libero arbitrio rationis et mentis hominis, quae bonum et quod laudabile est sibi non eligit, sive castitatem, sive scientiam, sive mansuetudinem et suavitatem, sive regularitatem, sive quamcumque aliam virtutem, sicut aves illae quae ratione et

cogitatione carent. His omnibus de moribus laudabilibus dignisque aemulatione, quae apud aves sunt, sermo laborem impendit; perget autem narrative et demonstrative ea dicere quae pertinent ad constitutionem corporum earum et formam aptam et valde convenientem eis datam natura opifice, quae utilis est habitaculo et vitae earum, et volatui in hoc aere, qui factus est sedes naturae volatili sicut aqua naturae natatili. Equidem sapientia Dei efficiens et peritissima naturae volatili omnia apta ac utilia habitaculo eius in aere convenienter paravit, cum non fecit ei corpus longum aut grave sicut animalibus quadrupedibus, neque longum et oblongum et tenue sursum * p. 223 deorsum sicut corpora piscium, sed fecit * ei corpus rotundum ac compactum, et collum longius corporis crassitudine, et duos pedes collo respondentes, et duas alas longiores collo et pedibus ut, cum in volatu suo per aerem collum in anteriorem partem extendit et pedes in posteriorem partem, et duas suas alas hinc et hinc ad dexteram et sinistram, et stat in aere in forma crucis, facile sustineatur natura munda et tenui aeris dum illum extremis alis verberat et secat natatque in eo sicut pisces in aquis. Nam fecit ei natura in extremis alis etiam pennas quasdam leves, sicut folia arborum, quibus aerem deorsum verberet ut se in eo extollat, dum totum corpus cum eis facile trahit et sublevat. Et natura cum mensura fecit ei sub medio corpore pedes quibus gradiatur dum sustinent eam super terram sicut animalia, cum elevat collum suum sursum et posteriorem suam partem demittit iuxta rationem elevationis colli. Rursus, ei in medio corpore et desuper fecit alas quae eam in aere sustineant et pondus eius velocitate sua sursum attrahant. Quibus autem fecit pedes exiguos, fecit etiam collum exiguum ac breve pedibus respondens; quibus vero dedit longos pedes, dedit etiam collum longum eis respondens quod terram attingat cum stant super pedibus suis et volunt aliquid de terra sumere. Sturnis autem seu m e g a l l i ā n ē[1], qui in muris civitatum et in rimis rupium et collium habitant, natura tam exiguos pedes dedit ut ob brevitatem eorum in terra considere non possint, et quia pedes eorum ventri adhae-

[1] Designantur fortasse drepanes.

rent, si accidit ut in terram cadant, non possunt sese ex ea attollere et volare. Ideo cum prospiciunt e rimis in quibus habitant tempore matutino aut tempore vespertino, statim cito in aerem prorumpunt, et cum in eo volant et saltant * ut * p. 224 escam de culicibus, qui in eo sunt, collegant, simili modo ad rimas suas celeriter revertuntur nec in terra considunt. Hirundinibus vero natura hanc proprietatem dedit qua, etsi pedes habent et in terra considunt et super ea stant, tamen non possunt illis super terram ambulare nec moveri de loco ubi stant nisi tantum ad volandum. Cygno vero et piscatori piscium natura dedit collum longius longis eorum pedibus ut propter illius longitudinem, cum in profundum descendunt, cibum ex aquis sibi extrahant et evehant. Aliis autem avibus, omnibus, dico, quae in aquis et apud aquas habitationes stabiles collocant, fecit pedes aptos ad natandum et volitandum in aquis, qui sint eis tanquam remi et gubernacula: digitos non separatos nec divisos ab invicem, et plantas pelliceas et expandentes se in aquis.

Tales igitur proprietates Deus creator nonnullis volatilium dedit; quia vero natura dentes in ore eorum non dedit sicut animalibus, dedit eis rostrum productum et acutum tanquam lanceam in ore eorum, et ungues productos et acutos in pedibus eorum, quibus terram fodiant cum volunt escam sibi collegere. De forma quidem et constitutione corporis eorum hactenus.

De cantibus autem eorum et varietate sonorum harmonicorum vocis eorum parum quid elaborabit sermo. Strepere faciunt silvas clangoribus suis, et viatores sonis cantuum suorum delectant. Omnes cantant tempore congruenti, quisque secundum id quod natura ei dedit. Omnes creatorem laudant et occasionem praebent audientibus glorificandi opificem, qui eos ita condidit. Galli mane clangorem vocibus suis sollicite edunt, dum exspectant lucem et homines ad Deum laudandum incitant. Cantant etiam hirundines tempore matutino et vexant habitatores, qui audiunt, cantu suo barbaro; similiter et ψαροί[1],

[1] Vide correctiones.

qui vocantur rauci[1], propter species varias sonorum suorum, * p. 225 dum id * quod dedit eis natura cantant, non id quod verba poetarum falso de eis garriunt. Neque noctua debilis ac humilis, avis odiosa et nocturna, tacet nec suadetur tempore sibi dato non clamare. Etiam ortyges cantant atque laudant tempore matutino in tempestate vernali, clamantes altera ad alteram fortiter. Cantant autem in silvis simili modo fortiter, quasi interrogantes et respondentes, etiam aves illae croceae similesque auro, dum in arboribus longe ab invicem stant, et sic repraesentantur voces, quae ab illis emittuntur, quasi una quidem interroget et dicat: ⌜Quis est hic? altera autem respondeat ei dicens: Talis[2]. — Q u l l ā b ā (alauda?), avis loquax, tempore meridiano silvas strepere facit et sonos multos ac varios mutat: illos quidem graves, cum leniter ac demisse pipat et pellicit; illos autem acutos, quorum quosdam profert sibilando, alteros vero cum stridet et concitat et pugnat. Celerat vocem suam, producit vocem suam sicut is qui in tremore stat; sicut is qui incantat, mutat sonos, dum stat nec se movet de loco suo et una est, ita ut reputarent qui audiunt et nesciunt multas esse et diversas specie et unamquamque sonos sibi proprios emittere. — Clamant aquilae fortiter; canunt ciconiae timide; ingemunt turtures demisse, et passeres sonum indistinctum emittunt et pipant et vociferantur de locis suis. — Avis autem illa aethiopica, quae vocatur psittacus, cuius mentio in sermone superius facta est, ineffabiliter cantat et renuntiatur cantans a multis peritis. Dicunt enim unam ex eis olim Antiochiae in civitate magna, a quibusdam didicisse et cantasse voce sua coram turba populi hymnum tersanctum quem christiani in ecclesiis semper cantant, et in eo dixisse etiam sententiam quae significat: Deus crucifixus est pro nobis[3].

Omnes * aves cantant vocibus suis, et aves illae quae ver- * p. 226 mes comedunt tempore vernali laetantes multum cantant. Deus enim non reliquit ullam ex avibus mutam et sine voce, quae

[1] Fortasse hic conferendum « raucae columbae », AMBR. *Hexaem.*, V, XII, 39. — [2] Sic e cod. B. In A: « Hic quis est? Talis. Haec quae est? Talis. ». — [3] In margine: « Quidam solliciti hanc avem docuerunt sermone graeco cantare: Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis. Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis ».

voces laudis tempore congruenti creatori non emittat, quantum natura ei dedit, sicut neque ullum ex eis qui sunt in aquis fecit et condidit ita ut sonum audibilem edere possit. De cantibus vero avium et varietatibus vocum earum sufficiunt quae a nobis modo posita sunt, prout sermo commemorare potuit, de avibus quae in regionibus nostris sunt. Aliae autem diversae in aliis regionibus sunt, multae ac innumerabiles, quae nobis non sunt notae, nec numerus specierum earum nec nómina nec cantus earum, praesertim in terris Aegypti quando aquis inundantur, et in regionibus Indorum et Chaldaeorum.

De generibus quidem et speciebus volucrum quae habent alas fissas [1], et de moribus earum diversis et de cantibus earum hactenus. Non maneant autem haud memorata sermone volucria quae appellantur habentia alas membranaceas [2]. Etenim haec quoque volatilia sunt et dicuntur, et ex eadem natura aquae creata fuerunt et creantur. Et quanquam non sunt ex stagnis et collectionibus aquarum, maribus, dico, et fluviis et fontibus, sicut aves illae magnae quarum alae fissae sunt, tamen omnimodo sunt ex humore aquae, nec aliter quam humore aquae generari et constitui possunt. At forsan quis dicet verum quoque esse quod neque herbae neque radices neque arbores, quas Deus iussit ex terra germinare, absque humiditate aquarum oriuntur, nec tamen scribuntur nec dicuntur uspiam, sive in Scriptura sive secundum consuetudinem, ex aquis orta esse aut oriri. Sed quoad herbas, totam generationis et ortus earum proprietatem terrae adscribere debes, etsi absque humiditate ex aquis non generantur, quia multae inter eas, ut videtur, corporeitatem * ac siccitatem naturae luti possident. Apud volatilia autem, sive apud illa quorum alae fissae sunt, sive apud illa quae alas membranaceas habent, natura humida magis quam sicca praevalet, et tota generationis eorum proprietas est ab aquis magis quam a terra, et ideo Scriptura dicit ea ex aquis, non e terra, generari. Et quanquam vera est sententia omnia, quae alas membranaceas habent, ex humiditate terrae nasci, quid est et unde est humiditas terrae nisi ex natura aquarum? ita ut igitur etiam sententia pariter

[1] Vertit graecum σχιζόπτερος. — [2] Graece δερμόπτερος.

vera sit esse ex natura aquarum volatilia minuta quae alas membranaceas habent, vespas, dico, et apes omnes et omnia genera earum diversa, et muscas, et muscas caninas, et genera et species locustarum et vespertilionum, parva ac magna, et cetera eis similia.

De istis sermo nunc vult tractare, nam haec quoque, sicut illa magna, in aere volant et laetantur et exultant et cantant et laudant, incitantque auditores prudentes et intellegentes ut propter ipsa laudem creatori offerant, cum vident et mirantur ne has quidem creaturas humiles dono creatoris et providentia eius privatas esse. Etenim ipse unamquamque earum in specie propria constituit eique dedit modum aliquem peculiarem et diversum rationis vitae ut, cum in eo se gerit sicut condita est, speciem suam iuxta genus suum semper propaget atque stabiliat, sicut omnia animalia et aves super terram. Omnes enim curant ut propagationem generum suorum stabiliant, et modis diversis generant, ut ita etiam de eis dicam, et natos suos educant. Illae quidem in carnem aliquam student semen suum effundere et vermes pariunt, quasi ova, e quibus filios suscitant; illae autem in fimum; illae vero in lutum aliquod seu in pulverem madidum; illae quidem in limum; illae autem in corpora animalium sicut vermes qui sunt in dorso vaccarum et caprarum, ex quibus, ut dicunt, muscae caninae nascuntur.
* p. 228 Aliae * autem etiam in gemmas humidas ac teneras palmarum arborum semen suum mittunt, et cum palmis in corpore ligni concipiuntur et generantur et nutriuntur filii, sicut vespae quae de gallis quercinis oriuntur. Aliae vero in dulcibus arborum fructibus filios pariunt propagatores generis sui; aliae filios suscitant modis aliis multis ac diversis qui sermone narrativo difficile tractantur vel nullo modo tractantur, nec numerantur propter ineptias multas opinionum de illis. Verumtamen, ut sermo breviter statuat, etiam illae in duo genera dividuntur: primum in eas quae alas apertas[1] habent, et in eas quae alas opertas[2] habent. Illae quidem, quae alas apertas habent, sunt v. gr. vespae et apes et muscae caninae et omne

[1] Respondet graeco πτιλωτά, sed vertit vocem ignotam quasi φανερόπτερον. — [2] Vertit κολεόπτερον.

genus locustarum herbaticarum; vocantur autem habentes alas opertas eae quae velamen super alas suas habent quo cooperiunt eas quamdiu in terra conversantur, et statim ac volunt de terra volare, velamen ab alis suis revelant et volant. Hae sunt v. gr. cantharides seu scarabaei et omnes eis similes. Et etiam his sunt species multae ac dissimiles, sed relinquantur eis qui accurate et diligenter student unamquamque rem peculiariter et seorsim investigare.

Quia vero inter illas nonnullae inveniuntur amantes laboris et amantes disciplinae et dignae memoratu et afferentes utilitatem animae intellegenti, solerti et operosae, iustum duco ut nos quoque nunc in sermone de eis ostendamus diligentiam amoremque laboris, et strenuitatem earum laudabilem fuse narremus. Et nominatim de nonnullis earum dicemus etiam quae sint, et maxime et imprimis et clare et magis quam de omnibus et ante omnes et pro omnibus, de ape amabili et operosa, veneranda inter volatilia, et solerti et laudabili, quam Salomon[1] sapiens merito vocavit * sapientem, laboriosam, amantem operis. (* p. [illegible]) Etenim vere est amabilis et laudabilis propter parvitatem suam; si non propter parvitatem suam, propter pacem suam [et quietem suam; si non propter pacem suam,] propter regulam suam; et si non propter regulam suam, propter gravitatem suam; si non propter gravitatem suam, propter munditiem suam; si non propter munditiem suam, propter solertiam suam; si non propter solertiam suam, propter sollicitudinem suam; si non propter hanc, propter velocitatem suam et strenuitatem suam; si non propter haec, propter sapientiam et scientiam suam, et praeterea propter artem suam; si non propter artem suam, propter opus suum, propter speciem suavem ac dulcem ex opere suo, propter speciem necessariam et utilem operationis suae; si non propter ullum ex istis, tamen propter haec omnia simul amabilis esse debet hominibus atque laudabilis: amabilis regibus et principibus et necessaria medicis. Quis enim hominum, qui cognoscunt eam, sive ex magnis sive ex humilibus, qui non laudet nec miretur eam nec dicat magnam ac mirabilem esse scientiam quam crea-

[1] Cf. *Prov.*, VI, 8 iuxta graecum.

tor ei dedit? Illa domibus obscuris, in quibus habitat, sollicite egressa per prata et campos et in montibus celeriter circumvagatur, et considens in omnibus herbis et in germinibus et in floribus et in omnibus gemmis et palmitibus arborum ex eis collegit pinguedinem eorum et omnem sucum adipis eorum, et globulos super femoribus suis ab utroque latere conficit, et portans eos et volans cito simul et laboriose progreditur, et trahens se defessaque labore alvearia obscura et haud illuminata ingreditur. Et id quod adducit affabre contexit, et ex eo aedificia mirabilia ac ineffabilia exstruit, et cellas hexagonas et contiguas conficit, et aedificat aedificium firmum ac solidum quod vere aptum est ut fiat apotheca speciei humidae quam prompta et parata est colligere. Ex globulis illis, qui sunt super femoribus suis, in ore tollit favosque in tenebris aedificat, et coaequat et ordinat aedificium suum concinne ac mirabiliter sursum et deorsum et secundum longitudinem et latitudinem et crassitudinem, quod nec artifices nec architecti coae-
* p. 230 quare et ordinare possunt * dum portant normas et pondera, instrumenta mensurationis et artis, nec omnes geometrae periti qui in hoc mundo sunt. Aedificiis autem completis, diligenter et strenue erumpit ad colligendum proventum, et lingendo rorem dulcem et colligendo in os suum ex herbis et ex foliis arborum et ex silicibus politis et ubicumque considit in corpore polito et haud pumicoso ventrem suum sicut utrem implet, et ingressa facile effundit in horrea quae aedificavit. Hoc labore et opere solerti et strenuo hanc speciem dulcem et mirabilem collegit et dedit nobis apis amabilis et diligens.

De opere eius haec sermo laudatorius ostendit; de modo autem generationis filiorum apis sermo haec etiam narrative et laudatorie declarabit. In favis quidem, quos convenienter ad hoc servant atque praeparant, relicto in cellis parvo residuo de melle quod sit cibo foetibus in eis depositis, super illud aquam moderate simul et sapienter aspergunt, et in illud semen generativum naturae suae effundunt. Dum autem iuxta usum sermonis nostri aramaei et etiam iuxta usum Graecorum similiter, forsan vero et apud alios populos, omnes simili modo feminine vocantur, sunt inter illas mares et feminae, sicut et inter alia genera et species eorum quibus sunt alae membra-

naceae. Eas vero copulare secundum morem marium et feminarum nemo dicit se unquam vidisse, nec statuit quidquam de hac re, nec scripsit eas copulare aut non copulare. Verumtamen qualicumque modo res se habeat, semen generativum naturae suae effundunt in cellas, quae in favis sunt, ibique filios multiplicant: primum quidem larvas albas ac mundas quae vocantur vermes apum; deinde autem, istae, cum creverint et se exuerint et evolverint pedes, a cellis apes perfectae et volantes egrediuntur. Generant vero simul cum illis, in cellis nonnullis ad hoc * separatis, etiam aliam speciem maiorem et a sua distinctam, illam quae apud Graecos nuncupatur κηφήν (fucus) et iuxta usum nostrum denominatur asinus apum. Et dum omnes apes aculeos acutos habent ad ulciscendum se et ad effundendum venenum, hos fucos natura opifex fecit sine ullo aculeo et sine acumine effundente venenum. Generant etiam in quibusdam cellis praecipuis ac magnis, quae sunt in extremis favis, aliam quandam speciem distinctam, cui est statura duplex ad staturam ipsarum, quam principatui et regno et regimini et ductioni suae praeficiunt cum egrediuntur ut de domibus suis ad alia habitacula migrent. Cum autem apes generaverint et adeo se multiplicaverint ut domus, in qua habitant, illas excipere non possit, unusquisque ex principibus earum, familia sua assumpta, ordinatim egreditur, et omnes eum circumstant sicut milites armati regem, et cum eo egrediuntur. Omnes sonum eius volantis et cantantis studiose auscultant eumque sequuntur quocumque vadat; et ubi stat aut considit, considunt et circumstant illum; quod si manet, manent cum illo; et si discedit, cum illo discedunt. Ille autem tam mitis et pacificus est et vere principatu et regno dignus ut apprehensus ab homine, etsi est ei aculeus eiiciens venenum sicut omnibus apibus, non ulciscatur se, nec pungat, nec eiiciat venenum, nec laedat apprehendentem se, nec vexetur, nec resistat, nec mutetur a pace et mansuetudine sua. Hanc excellentiam aemulentur et imitentur ei qui constituti sunt ut in principatu regni stent, si pace et mansuetudine Dei, qui dedit eis potestatem, non erudiuntur ut sint mites et pacifici. Huic talis est natura, et talis mansuetudo et pax; apes autem omnes, dum mitiores sunt et magis pacificae quam omnes

* p. 232 * aves, quibus sunt alae membranaceae, fucos natos secum tempore convenienti occidunt. In eum autem, qui appropinquat ut capiat eas, irascuntur eumque feriunt ulciscentes se et vitam propriam ipsa ultione amittentes quia, una cum aculeo, cum feriunt, ipsa earum viscera simul evelluntur. Haec indicatio est eius, qui mitis est atque pacificus; cum autem irascitur, si dat semetipsum irae et voluntatem suam facit, perditionem animae suae operatur.

Talis ergo est generatio et propagatio et educatio speciei apum honorabilis, et talia sunt ea quae pertinent ad earum strenuitatem et diligentiam, et ad earum mores laudabiles et operationem amabilem. Insuper scriptores physici dicunt etiam e carnibus boum, cum in locis obscuris positae sunt ubi non est aer qui moveatur, si incalescunt et intra pelles putrescunt, apes posse nasci [et enutriri] et propagari. Simili modo hi physici dicunt etiam vespas ex carne equorum gigni. Hae autem omnes vesparum species, opera apum imitatae, e medulla ligni minuti et stipulis aridis similitudines quasdam favorum conficiunt, in quibus etiam cellas magnas secundum magnitudinem corporum suorum distribuunt, et in eis generant foetus et filios, quaeque ad propagationem generis sui; similiter vero, sicut sermo iam summatim posuit, omnia genera et species quibus sunt alae membranaceae. Verumtamen est inter illas alia species pseudo-apum, quae vocantur silvestres, quae etiam imitantur et conficiunt favos quosdam parvos in rupibus aut in arboribus, et in eis mel quoddam flavum, amarum et haud edule colligunt et reponunt. Haec indicatio est hypocritarum, de quibus magister divus Paulus dicit[1]: « Qui ficte confitentur religionem Dei, et a virtute eius prorsus longe sunt ».

* p. 233 * De his omnibus, quibus sunt alae membranaceae, apibus, dico, et vespis et eis quae vocantur muscae caninae et omnibus generibus earum et omnibus similibus illis, narrant physici quod, propter angustiam et parvitatem meatuum aeris, qui dati sunt eis natura, cum cadunt in aquam et aeris meatus occluduntur, cito suffocantur; cum autem aliquis eas de aqua

[1] *Tit.*, I, 16.

eductas in pulvere abscondit, et pulvis humorem de meatibus angustis exhaurit et isti aperiuntur, illae reviviscunt et volant secundum consuetudinem; sin autem in oleum cadunt eoque meatus occluduntur, dicunt eas statim suffocari et vix aut nullo modo servari posse.

Commemoremus autem sermone nostro etiam generationem et educationem bombylii, vermis illius amabilis et pretiosi de regione Sericorum, ut sit et ipse exemplo et doctrinae manifestae omnibus qui vita huius mundi implicantur nec, cum senuerint vitaque eorum satiata fuerit, volunt de ea discedere nec ad migrandum de terra se parare sicut iubentur. De bombylio quidem haec dicunt: Cum vermis parvus et humilis nascitur, vescitur et crescit tempore verno diebus circiter sexaginta plus minus, quod indicatio est sexaginta annorum vitae humanae. Post illos autem cibo abstinet nec suadetur iterum comedere; et extollens caput locum arctatum sibi quaerit ubi seipsum anguste et compresse includat, donec tenuis factus fuerit a crassitudine ciborum terrestrium, et exuerit et proiecerit a se totam suam nimiam carnationem, et reddiderit et eiecerit per os suum omnia quae in cibum in hac vita comederat; et cum manserit in carcere angusto diebus septem, et vestimentum illud vermiculatum et grave exuerit, et alas produxerit, et in genere avium velocium constitutus fuerit, quibus sunt alae membranaceae, dum non manducat nec prorsus alitur et est in magna debilitate, copulatur et semen reliquit, propagationem generis sui, per aliam dierum * hebdomadum, et de hac vita terrena migrat, donec tempore verno anni sequentis fiat ei resurrectio iuxta genus suum, sicut artifex creator eius ei constituit et dedit. * p. [illegible]

Quapropter cum tale exemplum, apertum et manifestum, sit nobis rationalibus a verme irrationali aut ab ave humili et debili, ut hanc vitam tempore senectutis et satietatis vitae contemnamus, et haec terrena exspuamus, et cogitationem mentis nostrae ad mundum futurum intendamus, nec nos pudeat nec erudiamur verbis Scripturae divinae quae nobis praecipiunt et dicunt omnibus[1]: « Praepara opera tua tanquam ad

[1] *Prov.*, XXIV, 27.

exitum », quomodo non erimus rei et absque excusatione qui verbo divino non commovemur nec erubescimus propter exempla naturalia quae coram oculis nostris videntur, et nos voluntate nostra nosmetipsos et opera nostra ad exitum non paramus sicut vermis irrationalis, et circa tempus annorum septuaginta quinque, terminum vitae nostrae secundum dies bombylii, totam carnis crassitudinem non exuimus, nec totam aviditatem mundi huius reddimus, nec alas mentis alacriter adquirimus, ut inde ad alterum mundum discedamus donec tempus resurrectionis corporum nostrorum vere adveniat sicut typice venit resurrectio naturae bombycis.

Sit autem nobis exemplum abnegationis, abstinentiae, continentiae et contemptus facultatum etiam ex avibus humilibus et irrationalibus. Ecce enim est inter illas species quaedam quae, cum in humore verno generatur et crescit absque cibo, ut dicunt, vivit sustentata et servata rore tantum, qui super arboribus est, toto aestatis tempore. Haec semper sola habitat in latere ramorum arborum considens eique adhaerens quiete et immobiliter. Manet autem in eodem loco fortassis, nec movetur, diebus multis nisi quid tangat eam et de loco suo moveat. Etenim tam quieta est et pacifica et non timida ut ma-
* p. 235 neat nec adspectu accedentis ad se conturbetur donec * manus hominis eam tangat. Cum autem quis vult eam apprehendere, statim evolat ac transit ad alteram arborem; manet autem sine voce et silens toto verno tempore; et cum invalet aestus solis super terram et fructus arborum in eo sunt ut maturescant, stat super ramis in eisdem locis absconditis, et pipat, et suavia cantat toto tempore meridiano cum aerem in pectus fortiter attrahit et sonum durum molestumque auribus emittit, dum hora quarta diei cantum suum incipit et usque ad horam nonam perseverat, et quo ardentior est solis calor eo altius et fortius clamat. Sunt autem ei alae membranaceae mundae et albae, corpore suo maiores et longiores. Est vero inter illas alia species diversa, quae paulo crassior ea est magnitudine corporis; haec scilicet in silvis arborum quietem agit, non in planitiis sicut illa prior, et vocem habet fortiorem et clamosiorem quam illa, et cum clamat corpus suum et alas suas tremore semper agitat. Postquam autem illae absque cibo toto aestatis

tempore manserunt in hac ratione vitae tranquillae simul et laboriosae, vitam circa initium tempestatis autumnalis absolvunt. Apud Graecos quidem hae vocantur τέττιγες (cicadae); lingua vero nostra aramaea homines solent eas denominare muscas stridentes.

Ita etiam ex istis exemplum invenimus abnegationis et abstinentiae eis qui oculos mentis habent ad talia intellegenda et consideranda. Et de hac specie avium, quibus sunt alae membranaceae, quae sunt natura debiles atque humiles, ne unamquamque earum singillatim persequeremur, sermo illas tantum selegit ac posuit quibus homo mente sua omnes ceteras eiusdem speciei intellegenter cognoscat et consideret. Tres illas species generales, de quibus sermo in hoc tractatu disseruit, Deus creator ad existentiam adduci iussit mandato illo quod dixit: Producant aquae reptilia animarum viventium * et volatilia volitantia super terram contra firmamentum caeli. Quod * p. 236 mandatum Verbum, creator omnium, adimplevit, et has species apte et convenienter iuxta loca earum habitaculi condidit: pisces quidem, sicut conveniebat habitationi in aquis; aves autem, tum eas quibus sunt alae in plumas divisae tum eas quibus sunt alae membranaceae, sicut vitae rationi in aere congruebat. Et hae, cum creatae sunt, constitutae sunt quaeque in loco suo separatim; pisces in aquis et aves in aere exultabant et laetabantur, quisque in regione sua, sicut conditi fuerant. Pisces et omnia genera, quae in aquis sunt, discurrebant et natabant in eis sicut omnia animalia quae sunt super terram; aves autem magnae et parvae simul saliebant et volabant in aere ad dexteram et ad sinistram et ante et retro, et laetabantur et exultabant et spectatores movebant ad glorificandum creatorem peritum et ordinatorem sapientem. Haec opera artifex creator Dominus, cum vidisset, sicut scriptum est, gavisus est in operibus suis completis; et cum vidisset ea pulchra esse, sicut dicit Spiritus, benedixit eis, dicens: Fructificate, et multiplicamini, et replete aquas quae sunt in maribus. Et aves multiplicatae sunt super terram; et sic aquae fructificaverunt in omni loco et species multiplicatae sunt sicut iussae fuerunt ut per totam terram habitatam ineffabiliter abundarent et in multitudine incomparabili et innumera-

bili viderentur. Sic Deus, creator earum, propter opera glorificatur qui omnia in hoc mundo, domo magna ac mirabili, fecit et condidit ad honorem et oblectamentum hominis quem ad imaginem suam et ad glorificationem potentiae et sapientiae suae creaturus erat: cui gloria et honor, nunc et semper et in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit tractatus quintus, qui est de piscibus et reptilibus omnibus, quae sunt in aquis, et de volatilibus caeli.

TRACTATUS SEXTUS: De iumentis et feris et omnibus reptilibus terrae. *p. 237

Qui domos regias aedificant et cura disponunt ut sint quieti et honori regi in illis habitaturo, cum omnibus rebus utilibus ac necessariis quae disponuntur, comparant etiam iumenta ad famulatum et oblectationem regis, et bestias mactandas in cibum eius et domesticorum eius et in voluptatem et usum mensae eius; forsan autem et feras agri adducunt ad gaudium et ministerium, et ad auxilium in venatione. Quamobrem, creator et opifex huius mundi, peritissimus et omnipotens, architectus sapiens, curator et gubernator totius suae creationis et praesertim generis illius quod post omnia creata creaturus erat et praefecturus omnibus suis creaturis visibilibus et corporalibus, Deus, postquam terram adornavit germinatione herbarum et seminum et radicum et plantarum et arborum, et naturam aquae et aeris piscibus et omnibus reptilibus, quae in aquis sunt, et volatilibus volitantibus super terram contra firmamentum caeli, rursus terram alio ornamento necessario meliore ac excellentiore quam primo ornare voluit, siquidem omne quod movetur et vivit melius et excellentius est inanimato et immobili. Ornata quidem erat plantis et arboribus insensibilibus et immobilibus; nunc autem eam adornavit animalibus animatis, viventibus, sensibilibus et mobilibus quae super terram gradiuntur et currunt: iumenta ad famulatum et servitudinem hominis creare voluit priusquam illum crearet, et bestias et feras omnes, quae nunc super terram in omni regione ab hominibus habitata. Ideo sic ait Scriptura[1]: « Et dixit Deus: Producat terra animam viventem secundum genus suum, iumenta et reptilia et feras terrae secundum genus suum; et factum est ita ».

Et in his admiranda est magnitudo virtutis *Dei creatoris qui omnia verbo et nutu tantum virtutis suae facile et absque labore creat et de nihilo ad existentiam adducit. Ait enim Spiritus: Dixit Deus terrae ut produceret; et deinde testatus est *p. 238

[1] *Gen.*, I, 24.

dicens: Factum est ita. Ita est id quod Spiritus in istis dixit, nam Deus dixit ut haec fierent, et statim facta sunt ita. Illud vero « ita », quod verbis additum est, significabat: Quemadmodum Deus dixit: Fiat, ita factum est. Tanta enim est virtus Dei creatoris ut loquatur tantum, et opus fiat. De hoc quidem Spiritus psallat, dicens[1]: « Ipse dixit et facta sunt, et ipse mandavit et creata sunt ». Ergo illud: Producat terra, hunc sensum habet: Dixit: Fiant haec de terra aut in terra, et facta sunt sicut dixit. Ille enim qui verbo iussit terram ipsam fieri, etiam mandare potest ut alia in terra aut ex terra fiant, et ex ea continuo et sine mora oriantur nec mandato eius resistant. Quapropter scriptum est: Dixit: Producat terra; et deinde scriptum est: Factum est ita. Sic facile creat Deus. « Producat terra animam viventem secundum genus suum, iumenta et reptilia et feras terrae secundum genus suum, et factum est ita ». Iussit terram inanimatam proferre animas viventes, et eam, quae est sine vita et sine motu, proferre viventia et motabilia. Ideo virtus eius admiratione valde digna est. Etenim si terra animata et vivens esset, non valde dignum esset admiratione quod Deus iubeat eam animas viventes producere, nam omnes animae viventia generant, nec mirabile esset terram vivam generare vitam. Ergo id est mirabile ostenditque virtutis Dei magnitudinem quod Deus iubet
* p. 239 terram non viventem nec animatam * proferre animas viventes. Id significat quod ipse ea, quae in terra non existebant, ad existentiam adduxit, iumenta et feras et reptilia omnia quae reptant super terram. Haec protulit terra mandato obtemperans, dum notum est ea progeniem esse etiam quattuor elementorum, non solius terrae.

Quid nunc? Oportet nos hic exploremus et perpendamus sensum eorum quae postea scripta sunt: « Et fecit, ait[2], Deus feras terrae secundum genus suum, et iumenta secundum genus suum, et omnia reptilia terrae secundum genera sua, et vidit Deus quod essent pulchra ». Nemo igitur dicat, cum seriem verborum priorum considerat, iumenta antiquiora esse feris et rursus omnia reptilia, quae reptant super terram, an-

[1] *Ps.* CXLVIII, 4. — [2] *Gen.*, I, 25.

tiquiora esse feris, eo quod scilicet ita in sermone posita sint et ordinata: primum iumenta; postea, reptilia; et denique in fine, ferae[1]. Idcirco verbis subsequentibus hanc opinionem confutavit, cum feras in primo loco posuit, et deinde iumenta, et denique in fine reptilia, dicens: « feras terrae secundum genus suum, et iumenta secundum genus suum, et omnia reptilia terrae secundum genera sua ». Scilicet per illa priora et per illa posteriora pariter ostendit eum, ut omnipotentem, omnia fecisse simul verbo virtutis suae, nullumque horum existentia prius esse ceteris. Sed haec in hunc modum posita sunt et scripta iuxta morem virtutis nostrae quae omnia singillatim facit ac parat, quia omnia simul facere nequit. Ergo patet haec omnia simul facta esse, nullumque horum prius esse socio suo, nec iumenta feris, nec feras reptilibus terrae.

Rursus, haec nobis exploranda sunt. Dicit quidem illa verba priora: « Et dixit Deus: Producat terra animam viventem, iumenta et reptilia, et feras ». Haec autem posteriora dicit: « Et fecit Deus feras terrae secundum genus suum ». Hisce Spiritus, qui haec scripsit, simul ostendit non terram * pro- * p. 240
duxisse ea quae facta sunt, sed Deum factorem ea ex illa creasse virtute mandati sui, et etiam aliam esse personam unius divinitatis aequalis in potentia et consubstantialis: eum scilicet qui iussit terram producere, et eum qui fecit quae iussa sunt, qui propter Iudaeorum infirmitatem ac pueritiam his verbis Spiritus mystice atque abscondite designatus est. Etenim per verba quae dixit: Iussit terram producere, cognitus est ut principium omnium Deus Pater, factor omnium, mens illa magna quae ab aeterno, absque passione et divisione, ex se Verbum suum genuit consubstantiale et aequale honore et operatione. Aliis autem verbis quae posuit, dicens: « Et fecit Deus feras terrae secundum genus suum », Verbum unigenitum, Filius aeternus Patris indicatus est, eius virtus et brachium et sapientia, qui etiam factor est omnium, per quem omnes creaturae simul visibiles et invisibiles ad existentiam adductae sunt, qui cum Patre et Spiritu sancto, ut artifex sapiens, totum hunc mundum stabilivit et disposuit. « Verbo enim Domini,

[1] In versu 24.

sicut psallat Spiritus[1], facti sunt caeli, et spiritu oris eius omnes virtutes eorum ». Hic est Deus factor omnium de quo Spiritus scripsit, dicens: « Et fecit Deus feras terrae secundum genus suum, et iumenta secundum genus suum, et omnia reptilia secundum genera sua ».

Hic fecit et disposuit et distinxit unumquodque eorum proprietate speciei eius aut, ut more Scripturae dicam, generis eius. Sermo Scripturae sacrae ostendit Deum creatorem has tres species generum animalium die sexto fecisse, priusquam crearet hominem cui essent ministerio et famulatui et necessitati cibi et oblectamento aliisque utilitatibus multis. Quem-
* p. 241 admodum Scriptura * nominibus notis et appellationibus propriis illas distinxit, sic et sermo noster appellationibus earum variis et proprietatibus specialibus eas proprie distinguet. Nunc quidem tum sermo Scripturae tum usus communis norunt iumenta vocare animalia quadrupedia et herbatica, et distincte atque proprie illa quae ab homine subiuguntur et domantur et docentur servire ei servitutem, quae propter hoc apud Graecos pecora[2] pro iumentis appellantur. Iumenta quidem sunt et appellantur proprie et vere haec: elephantus, camelus bactrianus, camelus, bos, asinus et equus; metaphorice autem et passive appellantur iumenta, quia scilicet vere sunt possessiones hominis, etiam illa quae a nobis « pecus minus » denominantur: oves, dico, et caprae, et, praeter has, species porcorum qui hominibus subditi sunt. Haec sunt iumenta ex animalibus quadrupedibus et herbaticis.

Quae vero cum homine habitant nec subdita sunt ei, haec sunt: onager, cervus, dorcas, caper montanus, caper montanus qui denominatur t ā r ḥ ā (caper caucasicus), ibex, bubalus et unicornis. Haec sunt animalia herbatica, quae nota sunt nobis et in regionibus habitaculi nostri conversantur et degunt. Sunt autem in aliis regionibus, dico et credo, multa alia animalia herbatica nobis incognita quorum nec species nec nomina cognoscimus. Una quidem species animalium quadrupedium, quae sunt super terram, sunt quae appellantur et denominantur animalia herbatica. Altera autem species ⌈secunda[3] sunt quae

[1] *Ps.* XXXII, 6. — [2] κτῆνος. — [3] Omit. cod. Leidensis, merito ut videtur.

vocantur et nuncupantur ferae: ista omnia sunt animalia carnivora, tyrannica in socios suos et rapacia, et contra hominem principem suum omnino rebellant. Sunt vero secundum nomina et species suas haec: leo, ursus, tigris, pardus, panthera, * lupus et hyaena, et, una cum eis, thoes et vulpes et martes, * p. 242 et alia his similia, quae sunt in aliis regionibus, nobis incognita quorum ne nomina quidem cognoscimus. Sunt autem ex carnivoris quae pacifica sunt hominibus: canis, amicus hominum, et feles. Inter illa autem ponenda sunt nobis in medio, dico, herbaticorum et carnivorum etiam haec: apri, choerogrylli, lepores et illa quae appellantur simii. Forsan autem etiam aliae species minutae sunt inter carnivora aut media inter illa et herbivora, sicut, dico, illa quae vocantur a r ā n ē[1] et degunt in arboribus, et alia parva similia, quae sunt e duabus speciebus animalium quadrupedium, ex herbivoris, inquam, et carnivoris.

Classis autem seu generis tertii, quod denominatum est reptilia reptantia super terram, species multae ac diversae sunt, nec numerum habent nec nomina nec appellationes quibus cognoscantur. Ex his quidem una primaque species est quae quadrupes est sicut ferae et iumenta, et sicut illa concipit et parit. Tales sunt talpae et mures et mustelae, et si sit alia species illis similis nobisque incognita. Est inter illa species secunda quae quadrupes est sicut prior, non autem partus perfectos ac vivos concipit nec generat sicut animalia, sed sicut aves ova parit atque calefacit e quibus deinde excluduntur filii vivi propagationis generum suorum. Tales sunt scinci, salamandrae, lacertae, stellio et chamaeleon seu natura illa quae apud Graecos nuncupatur leo pulveris[2]. Est autem species tertia, quae prorsus sine pedibus est, et ova gignit, et dicitur serpens, et sub hac appellatione omnes diversas serpentium species includit. Quarta vero species est multipedium, inter quae sunt scorpiones et scolopendrae, et omnia quae sicut illi in pulvere habitant, et in eo * filios procreant propagationem generum suo- * p. 243 rum. Quinta autem reptilium species dicitur illa formicarum et insectorum parvorum, quae etiam in pulvere ova gignunt

[1] Sciuri? Infra, p. 227, a r n ē; vide ibi, n. 3. — [2] χαμαιλέων.

et filios excludunt et propagationem generis sui multiplicant. Est vero species sexta, in qua sunt multae ac diversae species in hoc genere reptilium, sicut grylli et illa quae vocantur tauri terrae, et illa quae appellantur araneae tanquam e nomine telae quam conficiunt, in quibus sunt modi et familiae diversae, et etiam illud quod vocatur leo muscarum.

Praeter has omnes, est alia septima quae omnia genera et species locustarum et gryllorum et eorum his similium includit. Haec scilicet ova in pulvere gignunt et filios procreant et enutriunt; et quidem pertinent ad reptilia terrae et ad ea quae in aere volant, ita ut eadem duabus appellationibus vocentur, tum reptilia terrae tum volatilia caeli. Rursus, est inter illa species octava, quae larvas seu vermes modis multis ac diversis parit, et fimum multum edit cum reptat super terram; et deinde pellem exuit et fit avis, et inde est aliquid medium et ἀμφίβιον, ita ut inter reptilia et inter aves enumeretur. Rursus, omnes hae species quattuor alas habent: quaedam earum alas coopertas habent, aliae autem alas semper manifestas nec est alis earum vagina. Hae quidem et omnes, quas sermo recensuit, species sunt in hoc genere, quod vocatur reptile, et aliae multae in regionibus terrae diversis, quae propter earum multitudinem et in terra absconsionem ratione humana non apprehenduntur. Simili modo Deus creator et omnipotens fecit ut in duabus speciebus generis quadrupedium, quae superius prima posita sunt, aliae multae species essent, praeter eas quae descriptae sunt, in regionibus diversis ac remotis; quae
* p. 244 species, quia * ignotae et non assuetae sunt apud nos, non describuntur nec nomina in nostro sermone habent.

Haec omnia mandatum Dei creatoris et potentissimi de terra oriri iussit; et etiam nunc videmus eum eadem facere quotiescumque vult et ubi vult, sive ad castigationem sive ad aliam utilitatem, sicut ipse solus in profunditate oeconomiae iudiciorum suorum faciendum novit. Cum enim voluntati suae placet, momento temporis iubet terram generare locustas multas et mures innumerabiles ad corripiendos et castigandos homines, aut curculiones aut myzetas aut erucas aut pediculos aut gryllos aut aliquid aliud, vel, cum miseretur, coturnices aut aves alias in cibum, ut per ea intellegamus et sciamus, si con-

sideramus, quod mandatum illud primum et efficax adhuc terrae adest, urgens eam subito animalia proferre, si vult is qui iubet; quod si non vult, illa, quae ex ea primum orta sunt, generabunt et stabilient propagationem generum suorum, cum naturae eorum non debilitate sint. Sic enim est virtus mandati quo iussit terram producere animalia, ut ea mandati quo iussit caelos revolvere et luminaria quae in eis sunt fulgere super terram; et quemadmodum illi non cessabunt a sua revolutione, sic neque species, quae mandato illo primo de terra ortae sunt, a propagatione continua et constitutiva naturae suae cessabunt; ideo verba divina caelos et luminaria, quae in eis sunt, et tempestates aestatis et hiemis ad exemplum eiusmodi aliquando adduxerunt[1]. Cum autem sermo cursu rapido primaque examinatione tales varietates in eis, quae protulit terra, ostendit, age, pro viribus nostris unamquamque earum denuo explorate percurramus, et ex eis ostendamus magnitudinem potentiae creatoris earum et varietatem sapientiae eius incomprehensibilem. Sunt enim inter illas multae varietates ac modi diversi; * et dissimiles sunt temporibus, dico, * p. 245 conceptionis suae, generatione sua, incremento suo, modis ciborum diversis, spatio vivendi, qualitatibus voluntatis, operibus suis et aliis rebus multis et variis et diversis.

De specie quidem elephantorum dicunt quod, cum tempore duorum annorum in ventre matrum suarum gestantur, tempore duodecim annorum ad completionem incrementi perveniunt. Etenim quemadmodum tempus gestationis eorum differt, ut videtur, a tempore ceterorum animalium, sic et incrementum eorum inventum est longius tempus requirere iuxta magnitudinem corporis eorum, nam Deus creator et omnipotens gestationem et incrementum et molem corporis eorum iuxta spatium temporis vitae eorum mensuravit. Narrant enim ei, qui norunt, Deum eis dedisse ut vita eorum annos trecentos plus minus attingat. Hoc autem animal, magnum et corpore procerum, quod Deus montem carnis quendam fecit ita ut sic ab hominibus appelletur propter magnitudinem suam, Deus ordinavit et statuit ut hominibus serviret. Elephantus, quam-

[1] Cf. *Gen.*, VIII, 22.

tumvis procerus et fortis, sub manu hominis captivus est, et homines non solum eum equitant eique onus secundum rationem roboris eius imponunt, sed etiam in proeliis cum inimicis secum educunt, nam docent eum pugnare et vindictam ab inimicis sumere magis quam seipsos, cum potant eum vino cum thure commixto et inebriant et efficiunt ut cum furore et impetu intolerabili in turmam bellatorum irruat dominosque suos adiuvet. Hic in proeliis tam discernentem scientiam habet, sicut dicunt qui mores eius cognoscunt et probant, ut, cum hostes simul cum domesticis commiscentur et homines ex utraque gente confuse in terram cadunt et saepe alter super alterum aut alter prope alterum, sciat domesticos ab inimicis distinguere, * p. 246 * dum impetu furenti currens hos conclucat et perimit, et dignoscit domesticos quos in impetu prudenter praetermittit, nec laedit nec conculcat ullum ex eis. Et dicunt elephantum pugnare non solum pedibus suis sed etiam proboscide illa producta et dentibus, qui ante faciem suam erumpunt, dum ope eorum inimicos transfigit et dilacerat, et extendens proboscidem suam ante se et ad dexteram et ad sinistram captos ad se adducit, et ad pedes suos proiicit ut eos conculcatos occidat. Etenim Deus fecit ei proboscidem, quae esset ei pro manibus, non solum quando adversus inimicos pugnat, sed etiam ad usum qui est propter cibum eius. Per eam quidem quae sunt ad cibum prehendit et admovet et in os suum introducit; per eam attrahit potum aquae aut aliquid aliud et per eam tollit de terra quodcumque vult tollere. Fecit autem ei collum breve et contractum et humeris eius prope coniunctum, ut proboscis facilis vulneratu servetur propter magnam propinquitatem ad pedes eius, dum sub dentibus eius terribilibus se versat fortiter et absque timore. Sic creator elephantum condidit et undique roboravit ne ab inimicis facile vulneretur, cum pelle crassa ac firma eum exterius induit, et interius carne spissa et densa et nervis abundante ne ictu exteriore facile perforetur. Fecit ei vero creator, propter copiam et pondus carnis eius, tanquam columnas, pedes rectos et inflexibiles et sine ullis articulis qui firmiter reniti possint dum pondus totius eius corporis semper sustinent. Etenim Deus non condidit eum ut recumbat aut iaceat sicut omnia anima-

lia terrestria, quia, si recumberet, virtus spiritus, qui est in nervis pedum eius, totam magnitudinem corporis eius attollere et erigere facile non posset. Quapropter super terram non recumbit, sed quando * vult dormire aut paulului requiescere (* p. 247), ex parte nititur sive in arbores firmas ac validas, sive in parietem. De illo autem quid homo, si considerat, mirabitur et suspiciet, robur et scientiam eius an propensionem voluntatis eius? Cum enim his omnibus ornatus est et locupletatus, et conditus est a Deo creatore in magnitudine et robore corporis, et munitus est natura firmitate et fortitudine et scientia discretiva non multum inferiori aut remota a scientia rationalium, servituti hominis dociliter subditus est, nec resistit, nec rebellat confisus mole corporis sui aut robore virtutis suae, sed docilis est et demittit se ad iugum servitutis hominum quotiescumque imperant ei, dum posset, si vellet, libertatem potestatis suipsius sibimetipsi dare. Verumtamen ratio investigans, cum vult causam subiectionis eius vere discere ac proferre, id tribuit non voluntati eius, sed creatori, factori eius, Deo omnipotenti, qui hominem, imaginem suam, constituit caput et principem super omnem creationem suam visibilem. Huic ergo elephantus subiicitur, etsi magnus atque fortis, obtemperans mandato creatoris, et fit etiam exemplar et exemplum subiectionis omnibus animalibus quae sunt post ipsum ipsoque minora.

Sicut elephantus, etiam voluntarie obedit et demittit se ad serviendum hominibus animal illud pulchrum visu et decorum quod vocatur camelus bactrianus, quem natura ornavit statura procera et excelsa, et crinibus spissis pulchrisque colore, et gibbis divisis et aequalibus qui erectione sua similes sunt pari equitum in uno animali simul equitantium, et pedibus rectis et aequalibus qui sicut columnae solidae sub corpore eius stant, et collo producto, alto et excelso, quod natura ad staturam corporis eius mensuravit, et capite, membrorum rege, quod congruenter ornatur vita sensuum, et corona * capillorum (* p. 248) formosorum desuper. Hic enim, etsi inferior elephanto virtute et magnitudine, tamen multo formosior et superbior est ornatu corporis et pulchritudine membrorum, nec repugnat humiliter subiici generi hominum qui robore multo infe-

riores sunt ipso, obtemperans mandato creatoris sui, qui eum constituit ut servitutem serviret homini, imagini Dei opificis, regis omnium. Ita ipse hominibus placide et sine conquestu se subiicit ut, si velint, fraenum naribus eius iniiciant, et in eo cum volunt equitent eique onus grave sicut ceteris animalibus sibi subditis dure imponant.

Similiter autem homini subiiciuntur et servitutem serviunt omnes cameli qui sunt ex eodem genere camelorum bactrianorum, quamvis non ex eadem specie procreati; qui, quia saepe evenit ut maior pars eorum sint in regione quae appellatur Arabia, arabici ab omnibus vocati sunt, et hanc fixam appellationem habent quae totam eorum speciem specialiter denotat. Nunc illam speciem camelorum bactrianorum supradictam et hanc speciem camelorum arabicorum homines callide et contra legem coitu miscere excogitaverunt, et aliam speciem quandam diversam et praeter naturam ad incrementum servitutis sibi invenerunt, quae, propter duorum seminum coniunctionem, ex camelis bactrianis, dico, et camelis arabicis, est aliquid ignobile et diversum, et dromedarius vocatur. Haec species est dolosa et crudelis, servans odium, interfectrix, multa damna operans, quae, etsi servitutem possessoribus suis invita serviat, tamen si ab eis paulum verberatur, propter frequentes eius culpas, odium longo tempore servat, nec a malitia et dolo cessat donec ultionem sumat ab eis qui eam verberarunt. Talis est malitia camelorum, praesertim dromedariorum; qua-
* p. 249 propter, ut existimo, * camelus in Scriptura divina animalibus immundis adnumeratus est, etiam dum est ex herbaticis, non ex carnivoris feris quae omnes prorsus immundae sunt.

Deus autem, una cum illis, ad ministerium servitutis homini subiecit etiam animal illud pacificum et mundum, bovem, de quo verba Scripturae divinae laudabiliter loquuntur, ubi manifestum est multa esse opera virtutis bovis. Haec quidem laus, quam Spiritus laudator de bove scripsit[1], manifestam facit tum virtutem tum servitutem eius. Etenim si bos non esset fortis, non multa opera essent possidenti eum; simili modo, nisi esset perfecte subditus, non multa opera essent possessori eius.

[1] Cf. *Prov.*, XIV, 4.

Nunc vero, sicut Scriptura divina dicit, quia opera eius multa apud hominem nota sunt, etiam virtus eius nota est, et servitudo eius voluntaria manifesta est. Cognoscitur quidem robur eius manifestius et clarius cum homines plaustro oneribus gravibus et duris onusto eum subiungunt, et ipse, cum sarcina est gravis et intolerabilis, urget se et contendit donec onus postremo tollat. Servitus autem eius voluntaria cognoscitur, cum iubent eum se iugo subiicere, et dicunt ei tantum: Ingredere, accipe; et ipse sua sponte voluntarie venit et collum suum inserit et sarcinam accipit super humeros suos iucunde et absque certamine. Sic per ea, quae bos pacifice facit, agit et operatur, cognoscitur eius robur et subiectio et mansuetudo et operatio et proventus multi, quae per ista fiunt homini ex terra. Sic arator terram semine conserit agrosque robore et subiectione bovis subigit; sic arator robore et subiectione bovis segetem suam de campo in aream colligit et triturat et fructus ad cibum suum coacervat; sic homines robore et subiectione bovis * onera gravia de loco in locum ad usum suum vehunt; * p. 250 sic bos per totam suam vitam servitutem homini semper servit in omnibus terrae habitabilis regionibus, omni modo ac specie laboris, cum vomerem et traham et plaustrum trahit, et aliquando lapidem molarem vertit et molit, et cum in torcularibus adiutor fit motu circulari, et cum aquam de profundo ope instrumentorum ingeniose rotantium haurit agrosque irrigat ut ferant fructus et cibos ad iucunditatem hominis. Sic bos more servorum et alacriter servitutem servit ita ut reputetur voluntatem aequabilem, ut ita dicam, erga hominem habere in cura de omni vita eius.

Servitutem quidem et opus, quod bos ad ministerium et iucunditatem et honorem generis humani operatur, sicut Deus factor eum constituit, sermo, per ea quae hic narravit et alia multa omnibus nota, ita demonstravit. Quia vero, praeter ea quae bos virtute et subiectione sua homini operatur, alia multa ministerio et oblectamento servitutis requirebantur, necesse erat ut alia animalia collum inclinarent eique subiicerentur mandato eius qui homini, cum illum creavit, dixit: « Fructificate et multiplicamini et replete terram et subiicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et omnibus iu-

mentis et omnibus feris terrae et omnibus reptilibus quae reptant super terram ». Ergo patet hominem aliis animalibus opus habere quae dignitati ipsius ministrent, tum ut eis considat quando vult ire de loco in locum, tanquam pedibus, absque labore, tum ut eis imponat onera et sarcinas graves et pondera quotiescumque vult, ne ipse praeter vires suas oneretur. Itaque necesse erat ut asinus et equus subiicerentur et, una cum bove, collum ad serviendum homini inclinarent: asinus quidem cum aliquando res homini necessarias portat et aliquando, cum opus est, equitatur; equus autem propter equitationem, et ut
* p. 251 * sit auxiliator in proelio adversus inimicos, et sustineat pondus ipsius equitis bellatoris et armorum eius et rerum eius necessariarum, et sit adiutor et salvator tum fortitudine sua tum celeritate sua. Propter hanc rationem, ut puto, ipsa quoque forma compositionis corporum iumentorum ita natura constituta est. Scilicet, ut onera multa portarent nec inclinarentur nec caderent, natura constituit illa quadrupedia, sicut videtur, non bipedia tantum sicut hominem et sicut aves. Etenim turris valida aut domus magna et excelsa et spatiosa, si super duabus columnis tantum et sine parietibus aedificaretur, cito inclinaretur et caderet, et vana esset exstructio eius; cum autem fundamenta eius super quattuor columnis aut super quattuor trabibus ponuntur, fixe ac firme fundatur, nec concutietur nec cito inclinabitur et cadet. Ita et iumenta quadrupedia, elephantus, inquam, et camelus, aut asinus, aut equus, cum pondus sarcinae eis imponitur, strenuos se praebent et sub onere stant, nec dum ambulant oneri cedunt ut cadant aut ad unum latus declinent; quod si constituti essent natura bipedia tantum, cum onera portarent et moverentur, saepius accideret ut facile inclinarentur et caderent, aut ipsi aut sarcina, sive ad dexteram sive ad sinistram, sive ante, sive retro. Ita strenuum se praebet camelus aut asinus sub onere cum ambulat nec flectitur, aut equus sub ascensore suo etiam cum valde celeriter currit aut cum impigre, in pugna, in sublime levat et extollit collum absque timore, robore indutus et fortitudine.

Sermo autem, ut robur eius magnum aperte declaret, verbis nostris hic adiiciet verba Dei creatoris et ordinatoris de

illo ad Iob iustum, quae magnitudinem fortitudinis et constitutionis eius clare ostendunt. Dicebat enim Deus ad virum illum * iustum, cum cogitationem eius parum cohibere vellet * p. 252 et gloriam eius revelare coram amicis qui exprobrabant ei, praeter alia multa de quibus eum interrogavit, etiam de equo haec verba: « Numquid das, inquit[1], equo virtutem et fortitudinem et collum eius tremore induis? Numquid imponis ei universa arma et reddis audacia terribile pectus eius? Fodit in campo et iactat se; egreditur autem in campum cum virtute, et exultat occurrens regi et superbit; et cum occurrit sagittis deridet; transilit foveam nec timet, nec avertit se a ferro. Propter illum gloriatur pharetra; propter illum iactant se arcus et ensis cuspis lanceae et hastae; cum tremore et furore currit super terram nec timet a voce tubae. Cum autem tuba significaverit, dicit: Ehe, ehe; a longe vero odoratur et olfacit odorem pugnae, et cum saltu et clamore turbat optimates hinnitu suo ». Deum quidem creator equum ita formavit et natura opifex ita munivit atque ornavit secundum illa quae sermo divinus de eo iam protulit, non *tamen is* emissus est nec constitutus est liber et sui iuris a creatore suo, ut, rebellis factus in hominem sicut onager et unicornis, ea tantum quae sunt voluntatis suae arroganter sicut isti faceret, sed fecit eum *Deus* subiectum et subditum dominationi hominis ut servitutem ei semper serviat ad honorem et famulatum eius in omnibus quae praecipiat ei per totam vitam eius. Ideo Deus creator eius videtur dedisse ei scientiam servitutis praestantem; et inde patet servitutem equi erga hominem non esse beneplaciti eius, sed consilii creatoris eius qui ita eum fecit fortem et strenuum et posuit ut subiiceretur homini rationali quem creavit ad imaginem et similitudinem suam, ut esset dominus et princeps super omnia quae sunt super terram.

Igitur mandato creatoris et rectoris huius * universi subiecti * p. 253 sunt qui subiecti sunt, et oeconomia eius emancipati sunt et restiterunt qui restiterunt, onager, dico, et unicornis, et cervus, et ibex, et bubalus et quae sunt his similia. Hi vitam suam libere agunt nec collum ad servitutem hominis inclinant. De

[1] *Iob.*, XXXIX, 19-25.

eis enim sermo divinus loquitur per verba ad Iob, ostendens Deum dimisisse eos liberos, hunc in modum: « Quis, dicit Deus ad Iob interrogans eum[1], dimisit onagrum liberum et solvit eum a vinculis quae sunt sub iugo, et fecit desertum domum eius, et terram salsam habitaculum eius? Deridet multitudinem turbae populi civitatis nec timet vocem principum, et reprehensionem exactoris tributi non audit. Providet super multitudinem montium pascua sua et omnia virentia calcat ». Pergit autem *Deus* eum interrogare et haec de unicorne dicit[2]: « Voletne unicornis, ait, servire tibi servitutem aut recumbere ad praesepe tuum? Numquid loris ligabis iugum collo eius, aut ducet aratrum et imprimet tibi sulcum in terra aspera? Numquid fiduciam habebis in eo quia magna est fortitudo eius, et derelinques ei laborem tuum? Numquid credes illi, inquit, quod trituret et mundet aream tuam et sementem tuum congerat ?» Haec verba de eis, quae memorata sunt, ostendunt omnia cetera, quae subiecta sunt, ex mandato creatoris habere voluntatem subiectam, et omnia, quae in agro in hominem rebellant, ex mandato creatoris superba ac rebellia esse, illa scilicet, quae superius posita sunt, et praeter illa etiam haec: bubalus et caper montanus (caucasicus) et dorcades et capri silvestres aliaque multa similia in regionibus diversis nobis incognita, cum omnibus feris carnivoris; nam et istae rebelles sunt nec subiectae homini.

Deus autem congruenter et peropportune bovem subiecit qui serviret homini servitutem, quia non solum vires ad hoc habet sed etiam caro eius utilis est ei in cibum, et pellis eius ad
* p. 254 calceamenta aliosque usus multos. * Simili modo et asinus et camelus servitutem serviunt, et pelles eorum usum utilem homini praestant. Deus autem etiam ovem et capram homini subiecit, quia non solum carnem suam dant illi in cibum et lac et caseum, sed et lanam et capillos ad vestimentum aliosque usus necessarios. Cervum vero et caprum montanum et cetera ei non subiecit, quia non solum viribus ad serviendum ei servitutem non pollebant, sed praeterea homini usus necessarius non erat ex crinibus eorum nec ex pellibus eorum, sicut priorum, nec

[1] *Iob.*, XXXIX, 5-8. — [2] *Iob.*, XXXIX, 9-12.

cibus ex lacte eorum. Verum, quamvis non sint subiecta homini sicut illa, tamen ipsa quoque sub potestate eius sunt, et facit cum eis quodcumque vult quando vult, nam et carnibus eorum vescitur quando est ei necessitas, et alios usus necessarios ex eis explet quando vult, sicut Spiritus psallens de eis dixit ad Deum[1]: « Omnia subiecisti et posuisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper autem et animalia campi et volucres caeli et pisces maris ». Igitur haec omnia posita sunt sub potestate hominis qui a Deo constitutus est caput et princeps super omnem hanc creationem visibilem, non solum animalia herbatica, quae iumenta vocantur, quorum caro apta est ad cibum hominum, sed cum istis etiam ferae illae carnivorae, immanes et immansuetae. Et omnia tremunt et timent hominem, et reverentur et discedunt a conspectu eius quasi a rege qui potestatem in ipsas habet, et pudore afficiuntur et ab eo fugiunt, et non est inter illa vel unum ex eis, quae rebellia sunt et immansueta, quod velit eum intueri aut videri ab eo, nisi Deus concedat ei quando in homines irascitur et vult illos per ea castigare. Et duritas et ferocitas ursi, et * velocitas et * p. 255
celeritas motus pardi, et audacia et iracundia apri, et regia dignitas et fortitudo leonis, erubescunt et pudore afficiuntur adspectu hominis velut domini sui, et sola eius voce commoventur et a praesentia eius procul discedunt. Quod autem a Deo est illorum subiectio et rebellio, sic cognoscitur: Quando irascitur et vult homines propter peccata eorum castigare, pudorem ab illis tollit, et facit ut aggrediantur et destruant homines, dum non timent nec ab eis fugiunt. Et hoc testatur sermo divinus qui in Levitico, enumeratis et positis aliis plagis dicit[2]: « Immittam etiam feras malas super terram ». Sic a Deo est subiectio animalium homini, et a Deo est rebellio eorum, ita ut inde clare cognoscatur Dei esse rebellio eorum et oeconomia et gubernatio huius universi. Sic voluntate et mandato eius subiecta sunt quae subiecta sunt et rebellarunt quae rebellarunt. Etenim quando vult, leo et ursus et alia animalia ferocia facile subiiciuntur, sicut saepe subiecta sunt et facta sunt docilia homini qui fecit cum eis quodcumque volebat,

[1] *Ps.* VIII, 8. — [2] *Levit.*, XXVI, 22.

excepto quod lupus, vulpes et pardus homini difficile reconciliantur: illi quidem propter perfidiam suam magnam, hic autem propter secessum suum magnum et defectum consuetudinis cum hominibus, et quia non amat videri. Et illam, quam pantheram vocant, faciunt homines adiutricem sibi cum domant eam et docent servire ipsis servitutem et capere animalia multo velociora ipsis, quia ipsi non possunt illa capere, quemadmodum etiam effecerunt ut aquila et falco et accipiter servirent ipsis servitutem cum venantur tum volatilia tum animalia. Sic subiecta sunt homini omnia animalia, non tan-
* p. 256 tum herbatica et innocua, sed * cum eis etiam carnivora et noxia.

Canem autem, etsi est ex animalibus carnivoris, Deus creator homini adeo subiecit ut habeat, magis quam homines erga homines[1], amorem [purum] et consensum pacificum erga possessorem suum, dum custodit ac vigilat ad ostium domus eius absque perfidia; et cum aliquando esurit et sitit non conqueritur, nec ministerium servitutis et vigiliae suae despicit, et gratias agit et gratiam apertam manifestat motu caudae aliorumque membrorum si tempore quocumque et tarde dominus vel vilem cibum ei praebeat. Et aliquando propter amorem possessoris sui tradit semetipsum usque ad mortem et ad caedem, nec amor eius erga dominum mutatur etiamsi, occasione postulante, affligatur et dominus ei irascatur eumque verberet. Immo, cum ab eo eiicitur, ad ostium eius cubat nec ad alium locum discedit, nec deserit eum; et quocumque tempore dominus vult in gratiam cum eo redire et vocare eum ad se, ipse, quasi erubescens delicto suo et plagis suis, ululans et blandiens domino caudam motitando et studens placere, accedit ad eum, nec est in eo dolus nec ira ut vindictam de possessore suo sumat. Tam fidelis est canis dominis suis ut etiam narrationes, quae fidelitatem eius ostendunt, scriptae sint de illo a quibusdam poetis et scriptoribus. Unus enim ex eis de quodam cane dicit quod, cum aliquando iter faceret cum domino suo in via, latro irruit in dominum et occidit eum, et abstulit omnia quae erant ei, et abiit; ipse autem mansit et

[1] B. add. « socios suos », quod redundat.

corpus domini sui a feris et avibus servabat. Cum autem civis quidam transiens corpus vidisset et sepelisset, vocavit et blanditus est cani qui sequeretur ipsum; iste vero, ut prudens benefactori domini sui adhaesit, et ad ostium possessoris sui quiete cubabat et vigilabat secundum consuetudinem suam cum domino suo primo, neque ullum laedebat ex multis qui veniebant ad eum. Cum autem post longum tempus venit versus eum interfector domini prioris, agnovit illum * et iratus (* p. 257) irruit in eum et momordit eum. Cum vero ad iudicem civitatis convenissent homicida, qui morsus fuerat, et possessor canis, et res et testimonia utriusque partis a iudice explorata fuissent, et cognita fuisset malitia interfectoris et fidelitas canis, iudex iussit homicidam occidi, et in plateis inscribi laudem facinoris canis et fidelitatem quam erga dominum suum etiam post huius mortem ostendit.

De alio cane cuiusdam ducis Graecorum narrat quidam poeta quod, dum aliquando dominus eius peregrinaretur et domo abesset spatio viginti annorum, ille toto hoc tempore ad ostium domus domini sui recubuit nec latrabat nec cuiquam ex obviis nocebat. Cum autem post annos viginti dominus eius rediit et venit domum suam, canis, cum vidisset, prae gaudio surrexit et ululavit versus eum caudam motitans; et cum opprimeretur nimio humore qui in guttur suum ob dilectionem et gaudium viso domino adscenderat nec aerem de more haurire posset, continuo ad pedes domini sui mortuus est. Tales narrationes afferuntur a quibusdam scriptoribus de fidelitate canis erga hominem et de subiectione eius, et multae aliae quae verbum transcendunt, quae sunt in correptionem perfidiae hominum in se invicem, qui, dum sunt rationales et cogitatione praediti et distinguere possunt inter bonum et malum, in electione boni et honesti animalibus irrationalibus superantur, nec pudore afficiuntur lege naturali de dilectione, nec Deum eius conditorem timent.

Sic Deus homini subiecit animalia quae propter illum creavit, ut essent ei auxiliatores servientes servitutem ad famulatum et honorem eius; nec ex magnis et fortibus tantum subiecit ei, sed et ex pusillis et humilibus. Felem quidem ei pacifice subiecit ut conclavia habitaculi eius a molestia et popula-

tionibus murium purgaret; alia autem ex animalibus humilibus dedit et subiecit ei ut essent ei auxiliatores et liberatores * p. 258 ab * iniuria et malitia inimicorum. Cum enim homines a se invicem timent ne per venenum mortiferum mortem accipiant et pereant sive per cibum sive per potum, sumunt secum animalia, nec cibum nec potum gustant antequam per ista probationem horum fecerint utrum sit in eis venenum lethale. Deus enim animalibus, etiam humilibus, dedit ut semper cognitione naturali polleant ad distinguendum cibum sanum et cibum mortiferum. Talia fecit Deus ad auxilium hominis ex animalibus quae propter illum creavit, et talia ex eis subiecit et sub iugum misit ut servirent ei servitutem ad honorem et famulatum eius.

De subiectione quidem animalium homini regi, quem Deus ad imaginem suam fecit et posuit caput et principem super universam hanc creationem sensibilem, haec omnia sermo demonstrativus elaboravit; perget autem elaborare exploratius et distinctius etiam proprietates distinctas ac notas quas Deus variis animalibus contulit, prout sapientia eius noverat congruere institutioni naturae uniuscuiusque ex illis. Omnibus quidem animalibus carnivoris, ut cibum facile capiant et dentibus secent, Deus creator dentes superiores et inferiores dedit in ore eorum intus labia; animalibus autem herbaticis dentes inferiores tantum dedit quibus herbam secent, dum etiam labia auxilium dentibus praestant ad colligendam herbam ad dentes. Rursus, natura opifex in pedibus animalium carnivorum proprie dedit similitudinem quandam plurium digitorum et unguium acutorum quibus in praeda captanda adiuventur, dum cibum firmiter tenent et perrumpunt et secant dentibus suis. Leoni vero et pardo tam acuti et longi ungues dati sunt * p. 259 sicut lanceae, ut illis quasi armis * erga animalia quae capiunt, dure et interfectoris modo utantur. Animalibus autem herbaticis Deus non fecit in pedibus multos digitos, nec ungues acutos sicut carnivoris, sed fecit eis ungulas validas ac duras, quae habent aliquam similitudinem lapidis aut ligni. Equo quidem et asino et onagro fecit plantas rotundas unius tantum ungulae seu πυξίδος indivisae; bovi autem, cervo, unicorni, ibici, bubalo, capro montano (caucasico), capro silvestri, dor-

cadi, ovi, caprae et omnibus, quae in lege antiqua inter animalia munda hac de causa inscripta sunt, Deus fecit non plantas rotundas sicut illis, sed plantas fissas duarum ungularum, quod scilicet Scriptura sancta posuit ut proprietatem peculiarem animalium mundorum cum ad filios Israel hunc in modum dicit[1]: « Omne iumentum cuius ungula fissa est et separata in duo, et profert ungues in duobus digitis et ruminat, manducate ». Camelo autem et elephanto, et si aliud sit in aliqua terrae parte simile eis, fecit non ungulas fissas in duo sicut animalibus mundis, neque unius πυξίδος et rotundas, sicut equo et asino, sed fecit eis ungulas amplas[2] et carneas et indivisas sub pedibus eorum longis, ne labantur in terram ob magnum pondus corporis sui et cadant. Haec scilicet, eo quod ungulae eorum divisae non sunt, Scriptura sancta animalia impura et immunda reputavit, sic dicens[3]: « Et haec non comedetis ex eis quae ruminant et ex eis quorum ungulae fissae sunt: Camelus qui ruminat et ungula eius non fissa est, immundus est vobis; et choerogryllus qui ruminat et ungula eius non fissa est, immundus est vobis; et sus, cuius ungula fissa est et divisa in duo et profert ungues in digitis ungulae suae, non autem ruminat, immundus est vobis ».

Itaque * duae proprietates discretivae in animalibus Scrip- * p. 260 tura divina assumuntur ad distinctionem munditiae et immunditiae: quod scilicet finduntur ungulae aut non finduntur, et quod ruminant aut non ruminant. Est autem alia proprietas, nota et peculiaris. Deus animalibus omnibus herbaticis et mundis fecit organa quae vocantur stomachus ruminantium et ventriculus ad recipiendos cibos quos comedunt, quibus faciant illos denuo adscendere ruminando illosque comminuant ut ad digestionem completam perveniant. Asino autem, etsi est animal herbaticum, natura organa illa, stomachum ruminantium et ventriculum, [non] dedit, neque ille ruminat, sed pro illis dedit ei intestina plura quam ceteris animalibus, ut cibus multus, cum haec percurrerit, veniat ad digestionem. Animalibus vero carnivoris natura non dedit stomachum ruminantium nec ventriculum sicut illis, nec intestina multa sicut asino, sed dedit [eis] tantum intestina pauca et tenuia in

[1] *Levit.*, XI, 3. — [2] Vide correctiones. — [3] *Levit.*, XI, 4-8.

ventribus eorum secundum paucitatem cibi eorum. Leo autem, sicut de eo dicitur, unum tantum intestinum habet quod tota ventris interiora tenet; quia enim carnem comedunt et parvus est cibus eorum, leo, dico, et omnes ferae rapaces, organa stomachi ruminantium et ventriculi non data sunt eis in partibus interioribus, neque ruminant.

Sunt autem praeter illas etiam aliae proprietates peculiares nonnullorum animalium quas in constitutione naturae eorum posuit. Alia paucos natos pariunt, [alia multos]; alia paucas mammillas habent et apud sinum suum, aut duas aut quattuor; alia multas mammillas habent, quia scilicet multi sunt nati eorum, et has habent sub corpore ventris sui. Alia quidem singularem prolem pariunt et paucas mammillas habent, omnia herbatica; alia autem multos natos pariunt multasque habent mammillas, ursi et canes et sues; his nimirum secundum multitudinem catulorum eorum natura opifex multitudinem mammillarum dedit. * Sunt vero praeterea aliae dif-
* p. 261 ferentiae animalibus, proprietates peculiares et speciales nonnullis eorum quae, quia carent armis dentium unguiumque acutorum quae in carnivoris inveniuntur, a natura tanquam arma acceperunt germinationes cornuum in capite suo ad sumendam vindictam de adversariis et ad auxilium. Apud quaedam hoc auxilium tum maribus tum feminis datum est, apud alia vero maribus tantum. Apud boves enim et capras et capros montanos, qui vocantur t a r ḥ ē, et ibices, natura maribus et feminis cornua dedit; apud oves autem et cervos et dorcades et boves montanos et alcephalos bubales et bubalos et oves montanas quae denominantur a r n ē [1], mares tantum cornua germinant. Unicorni vero natura dedit non duo cornua, sed unum tantum super caput eius. Apris autem natura dedit loco cornu ad vindictam et pugnam cum inimicis dentes validos, acres et acutos super ore eorum; simili modo et elephanto, animali magno et forti, sicut sermo superius peculiariter ostendit.

Rursus, praeter illa, sunt nonnullis ex animalibus aliae proprietates speciales. Species quidem boum, qui vocantur a quibusdam boves aquatici, degunt in regionibus orientalibus et inter Indos. Et quemadmodum animalia terrestria in hoc aere

[1] Vide infra, p. 227, n. 3.

sine nocumento ambulant, ita ambulant illi, quando volunt, in aquis et in eis commorantur, nec nocent eis, nec suffocantur. Etenim si forte volunt ab aestu aut a molestia muscarum fugere, in profundum aquarum fugiunt et descendunt, ibique sine iniuria recumbunt et requiescunt, nec privatione respirationis aeris opprimuntur, nec aquis circumstantibus laeduntur, nec suffocantur, nec propter illas pereunt quemadmodum animalia omnia terrestria in eis pereunt. Est vero in regionibus Aegypti alia quaedam species equorum qui existimantur ancipites[1]; * propter hoc homines eos denominant equos aquaticos. Hi * p. 262 vero in profundis aquarum fluminis Nili tota die recumbunt; noctibus autem ex aquis emergunt et pascuntur et carpunt et segetes agrorum Aegyptiorum vastant. Rursus etiam in fluviis nostris sunt aliae species ancipites, quae vocantur canes aquatici et fibri, qui die in profundo aquarum manent et piscantur et vescuntur piscibus qui in eis sunt; noctu autem super aquas adscendunt: illi quidem ut in aere exultent, fibri autem ut eradant et arbores dentibus suis secent, qui scilicet nomen fibrorum inde acceperunt. Neque hi sunt otiosi aut inutiles necessitati hominis domini sui, nam ex eis homines periti vestes pretiosas et necessarias sibi facere excogitaverunt, quas ex pilis crinium eorum conficiunt et ex pellibus eorum subactis; rursus, ex carnibus eorum medicinam corpori invenerunt, et corpori suo et corpori animalium quae ipsis ministrant. Et non solum in eis, quae sermo hic recensuit et in memoriam revocavit, animalia adiuvant et utilia sunt homini, sed praeterea in multis aliis modis qui animo nostro non occurrunt; et utilia sunt ad cibum, et ad medicinam corporis, et ad vestes et operimentum, et ad calceamenta et ad multos alios usus per totum cursum vitae hominum.

Sunt autem in animalibus, praeter ea quae iam dicta sunt, alii modi dissimiles et proprietates speciales unicuique proprie et unice. Bovi quidem est robur et subiectio amans laboris; camelo patientia sub oneribus; ovi mansuetudo et simplicitas; canibus fidelitas * dominis suis; leoni robur et fortitudo op- * p. 263
tima et regia; urso soliditas corporis; pardo amor solitudinis;

[1] ἀμφίβιοι.

apro audacia et irascibilitas; dorcadi acies oculorum, unde apud Graecos nomen accepit; cervo velocitas, unde etiam nomen adeptus est; vulpi calliditas dolosa, et lupo indoles immansueta et pernicies. Aliis quidem animalibus placet habitatio in deserto, sicca et arida et calida; aliis autem habitaculum in rupibus et in montibus et in locis humidis gratum est. Alia vero in silvis et locis densis arboribus amant degere; alia quidem separatim, alia autem gregatim cum congeneribus suis. De illis Deus ad Iob dicebat[1]: « Quis multiplicavit feras in deserto, quae timent in cubilibus suis, et dum cubant in silvis insidiantur et observant praedam? » Alia amant hominum consuetudinem et praesentiam; alia amant omnimodam ab eis remotionem propter salutem prolis suae. Tales enim sunt dorcades et cervae, de quibus sermo divinus ad Iob dicit[2]: « Numquid nosti tempus quo pariunt dorcades in rupibus? Numquid partus cervarum observasti, et numerasti menses conceptionis earum et nosti tempus parturitionis earum, et quando incurvantur et pariunt, et quando enutriuntur filii earum absque timore et a lacte evelluntur? » Ferunt enim illas, tempore quo pariunt, ut filii sui serventur securi absque timore, ad loca omnino abscondita et privata hominibus, et etiam alis animalibus, habitaculum suum et habitaculum catulorum suorum clam et tuto tunc collocare; propter hoc Deus illa verba de eis ad Iob locutus est.

Tales igitur sunt modi et proprietates speciales in animalibus, aliaeque multae innumerabiles ac nobis incognitae. Sunt autem modi et in eorum carne et sanguine et lacte, unde videre licet sanguinem quorundam animalium esse edulem, sanguinem autem aliorum non esse edulem sicut sanguinem tauri
* p. 264 qui mortifer et exitialis invenitur. Et similiter * caro et lac uniuscuiusque eorum inveniuntur esse nutribilia aut noxia. Quia differentias ac proprietates diversas, quas animalia ad invicem habent, sermo ex parte memoravit, perget amore laboris etiam diversitates temporum conceptionis eorum plusve minusve commemorare. De elephantis quidem, animalibus illis magnis, ecce sermo iam superius ostendit eos tempore duo-

[1] Cf. *Iob.*, XXXVIII, 40. — [2] Cf. *Iob.*, XXXIX, 1-4.

rum annorum fetus in ventre gestare ad completionem conceptus, et duodecim annis adducere natos ad incrementum staturae perfectae generis sui. De ceteris autem nunc sermo pauca de vario tempore conceptionis et vitae eorum memorabit. Camelus bactrianus, camelus, equus et asinus tempore unius anni integri fetus in ventre gestant, qui anno tertio veniunt incremento ad staturam perfectam, et anno vicesimo plus minus vitam explent et moriuntur. Speciei autem bovinae natura dedit tempus novem mensium ad completionem conceptionis, et tempus duorum annorum ad completionem staturae; et totum spatium vitae eorum tempus quindecim annorum vix attingit. Apud oves vero et capras tempus conceptionis minus est, etiam tempus incrementi et spatium vitae. Simili autem modo, quod attinet ad cervos et capras montanas seu ibices et omnia animalia deserti herbatica et etiam carnivora, tempora conceptionis et incrementi eorum minora sunt et diversa a temporibus animalium maiorum cicurium, et etiam tempus totius vitae eorum *minus est*.

Sunt autem in animalibus etiam modi diversi scientiae et defectus scientiae. Sunt enim quae scientia et prudentia omnino carent; alia pollent scientia aequali plus minus scientiae rationalium in motu et ratione vitae et prudentia sua; quapropter sermo divinus per Spiritum propheticum * dicit bovem et * p. [illegible]
asinum pollere scientia ac prudentia sicut rationalia aut aliquo modo plus quam rationalia: « Cognoscit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, et populus meus non cognovit, et Israel, ait, non intellexit »[1], ut per hoc dura reprehensio et condemnatio absque excusatione sit libertati rationalium quod scientia et prudentia vel animalium irrationabilium non polleant. Est enim scientia et prudentia bovi et asino etiam in aliis multis cum distinguunt voces sicut rationalia et exsequuntur quae sibi a dominis suis iubentur: ille quidem cum aratrum trahit et sulcum proscindit, et cum trahit traham aut plaustrum; hic autem cum sarcinam portat et in via progreditur ante dominum qui iubet eum sive consistere sive ambulare sive declinare ad unum latus viae. Leo, ut physici de

[1] Is., I, 3.

eo dicunt, novit ungues suos celare captores aut laedentes se, et invenire sibi loca apta ubi praedae insidietur. Novit ursus, ut ferunt, cum vulnera acceperit, invenire radices aptas et curare vulnera sua. Laudatur etiam scientia canum quae scientiae hominum plus minus assimilatur. Pollent simii scientia non multo minore scientia rationalium; ideo edocentur facere multa ex eis quae homines faciunt. Est autem cervo scientia et prudentia qua distinguere novit quem comedat ex serpentibus et non nocebit ipsi, et quem non comedat, et novit currere ad fontes aquarum cum a venatoribus exagitur et intingere pedes in aquis ut lassitudinem suam allevet viresque suas recreet ad servandum se et fugiendum ab inimicis. Propter hoc propheta psallens, laudans atque mirans scientiam eius, dixit ad Deum[1]: « Quemadmodum cervus desiderat et diligenter currit ad fontes aquarum, sic anima mea desiderat et clamat ad te, Deus ». Norunt etiam feles, sicut cervi, quem ex serpentibus comedant et non laedentur. Rursus et choerogrylli [debilitatem] et imbecillitatem suam distinguunt et cognoscunt, * p. 266 * et faciunt sibi habitaculum sub tutamine petrarum in interioribus terrae in quibus ab iniuriis se servent. Neque hericios humiles neque mures viles Deus scientia et vi discretiva utilium et nocivorum privavit, siquidem illi et hi a multis dicuntur et videntur scire aedificare sibi habitacula apta in interioribus terrae in quibus servent se ab iniuriis. Sic Deus omnibus animalibus, quae super terram creavit, scientiam discretivam dedit qua cognoscant et distinguant qui cibi sint boni et utiles et nutribiles, et qui sint mali ac nocivi.

De differentiis quidem et proprietatibus specialibus et modis diversis et formis corporum, rursus et de modis voluntatum et de differentiis temporum conceptionis et incrementi et spatii vitae, et de scientia prudentiaque naturali omnium animalium, quae Deus opifex creavit in domo magna atque ornata, hoc mundo, domo regia quam paravit Deus propter hominem regem, quem creaturus erat ad imaginem suam et positurus erat caput et principem super omnia quae in ea sunt, ut essent ei famulatui et servituti et expletioni utilitatum necessitatis

[1] *Ps.* XLI, 2.

eius, haec omnia sermo pro viribus moderate posuit. Quia vero, praeter hoc genus animalium quae Deus opifex super terram creavit ad famulatum et dignitatem servitutis hominis, sermo Scripturae divinae aliud genus reptilium nobis indicavit, dicens[1]: « Fecit Deus bestias terrae secundum genus suum, et iumenta secundum genus suum, et omnia reptilia terrae secundum genera sua, et vidit Deus quod essent pulchra », oportet ut et de hoc genere sermonem demonstrativum instituamus qui patefaciat atque distinguat proprietates speciales ac notas et modos qui sunt nonnullis e speciebus generis huius quod denominatur reptilia, et clare ostendamus sapientiam efficientem et peritam Dei * creatoris, dispositoris et rectoris, quae * p. 267 necessitates omnium noverat antequam ea crearet, dedisse et divisisse unicuique speciei sicut naturam eius decebat.

Dicit igitur Spiritus Deus et legislator in libro sancto legis ad filios Israel ita[2]: « Et haec erunt immunda vobis inter omnia reptilia quae reptant super terram: mustella et mus et scincus secundum genera sua; et stellio et talpa et salamandra et chamaeleon et lacerta; haec erunt immunda vobis inter omnia reptilia ». Haec vero omnia, dum reptilibus adnumerantur eaque Scriptura sancta vocavit reptilia, sunt quadrupedia, et aliquam similitudinem cum animalibus quadrupedibus habent, praesertim mustella et mus et talpa. Haec tria non solum quattuor pedes habent sicut animalia, sed etiam pilos super cutem habent, et fetus suos in ventre concipiunt et gestant sicut animalia, et, sicut illa, filios suos lacte de carne sua nutriunt, ita ut, propter haec omnia quae sunt eis naturalia sicut animalibus, etsi parva sunt corpore, maiorem affinitatem et similitudinem cum specie animalium habeant, praesertim mustella scythica, et a r n ē[3], qui in arboribus habitant, quam cum specie reptilium. Verumtamen quia usus et Scriptura illa in specie reptilium ponunt, nos quoque pariter, dum cum reptilibus ea ponimus et ita denominamus, clare ostendemus de unoquoque eorum proprietates speciales quas natura ei dedit.

Tria quidem ex eis, sicut sermo superius ostendit, has pro-

[1] *Gen.*, I, 25. — [2] *Levit.*, XI, 29-31. — [3] Supra, p. 222, vox designat « oves montanas »; sed cf. p. 207. De ancipiti sensu vocabuli, vide *Thesaurus syriacus*, col. 393.

prietates supradictas habent et illud quod pellis eorum pilis operitur; alia autem quinque, cum omnibus generibus et speciebus suis, scinci, dico, et salamandrae, et lacerta, et stellio et chamaeleon pelles pilosas non habent, sed cutes glabras ac diversicolores. Habent etiam aliam proprietatem peculiarem, id est, prolem perfectam non concipiunt, nec filios in ventre gestant sicut illa tria et sicut omnia animalia, sed, sicut aves,
* p. 268 ova pariunt et calefaciunt, * et ex eis genus suum propagant. Praeterea sunt unicuique eorum separatim aliae proprietates speciales. Talpae quidem statutum est non in hoc aere lucis pleno super terram commorari sicut omnia animalia et reptilia cum ipsa enumerata, sed in tenebris, in interioribus terrae, in abscondito; propter hoc etiam sensu videndi naturaliter privata est, et sine oculis creata est et formata a Deo creatore. Quia vero hoc sensu privata est, nam non erat ei necessitas, creator peritus, sapiens et iustus totam huius sensus virtutem duobus sensibus, auditui et olfactui, addidit. Ideo, etiam dum est in fissuris terrae, magis quam omnia animalia audit et percipit eos qui sunt proximi sibi super terram, et providet sibi securitatem; et dum est in interioribus terrae, odorem caeparum et allii a multo intervallo olfacit, et fodit et progreditur in terra donec inveniat quod ad victum suum desiderat. Deus enim dedit ei dentes magnos atque validos, utiles et aptos ad terram fodiendam et ad faciendum sibi habitaculum dispositum horreis cibariorum suorum et educationi filiorum suorum, et ut faciat sibi viam progrediendi quocumque vult, etiamsi forsan transitus eius sit per terram duram quae fodi non possit et inter lapides; talis virtus talpae caecae natura data est.

Mures autem tantam scientiam et iudicium prudens et calliditatem a natura habent ut, etiam in domibus, copiam multam frumenti furentur et in nidis suis coacervent et abscondant, etiamsi in illo semper habitent et commorentur, et ut foris, in agris simili modo frumenti spicas, postquam maturuerunt, abscindant et horrea multa sibi in terra exstruant; simili autem modo et mustella in parietibus domorum ubi habiat; ita ut ex istis clare cognoscatur et demonstretur Deum
* p. 269 * creatorem omnibus animalibus, quae super terram creavit,

sive magnis sive pusillis sive reptilibus, scientiam naturalem dedisse ad salvationem et conservationem vitae eorum et ad modum et praeparationem cibariorum eorum. Etenim et stellioni, valde vili inter reptilia quae sunt super terram, Deus dedit scientiam et virtutem consentaneam[1] parvitati et naturae eius infirmae, ut servet se in domibus regiis et vitae suae provideat cibum vilem ex muscis et insectis vilibus. Quapropter Salomon sapiens et rex, sapientiam eius in proverbiis suis miratus atque laudans, praeter ea quae cum illa et ante illam enumerata sunt, sic dicit[2]: « Quattuor sunt minima super terram; haec autem sunt sapientiora sapientibus: formicae, quibus non est robur et parant ab aestate cibum suum; et choerogrylli qui deficientes sunt viribus et faciunt sibi domos in petris; et locustae, quibus non est rex et proficiscuntur et consistunt omnes ab uno mandato, pulchre, ordinatim; et stellio qui manibus innitens et captu facilis habitat in aedibus regum ». De illis igitur et de scientia, quam dedit eis Deus et natura, sermo Scripturae divinae haec declaravit.

Narrant autem ei qui viderunt et scripserunt, naturam tantam scientiam et calliditatem scinco dedisse ut mirabilitate sua superet, ut puto, omnem modum et scitam inventionem mentium cogitatione praeditarum et rationalium. Dicunt enim quod cum hic a serpente captus in eo erat ut ab illo devoraretur, lignum in ore suo transverse fortiter tenuit, et cum serpens non potuit eum cum ligno vorare, sic derelictus est ab eo cum ligno et a morte servatus est. Hic autem callidus est in totis suis moribus, ut dicunt, et sic per calliditatem suam saepe ab iniuriis servatur et liberatur. Lacertis vero dicunt hanc esse solertiam: cum in regionibus desertis et aridis versantur, faciunt *sibi domos sub radicibus quibus roborantur *p. 270
et firmantur, et efficiunt eis portas plures inter venas earum versus omnem regionem; et tam multae ac frequentes sunt domus earum ut quae remotiores sunt, non sint separatae ab aliis plus quam quattuor aut quinque cubitis. Et cum inimicus noxius eis supervenit, qui vult aliquam ex illis capere et incipit domus illarum evertere, evadunt ex portis multis domo-

[1] In cod. B: « laudabilem », minus feliciter. — [2] *Prov.*, xxx, 24-28.

rum suarum, et confugiunt in domos sociarum suarum, et ita, fugientes de domo in domum, ab inimico se liberant. Ferunt enim naturam hanc calliditatem lacertis dedisse. Chamaeleonti vero, qui a Graecis vocatur χαμαιλέων seu leo pulveris, non voluntati eius, ut ita dicam, commissa est ratio faciendi sibi absconsionem ac liberationem a noxiis, sed in ipsa natura corporis permanenter infixa est. Ei enim datum est natura opifice ut similitudinem omnis coloris, praeter album colorem tantum, super corpus suum assumat; quapropter colorem cuiuslibet rei sibi proximae super corpus suum habet, sive petrae sunt sive ligna sive herba sive folia arborum; et ita, quia similis est colori materiae sibi proximae, cum in ea absconditur similitudine coloris, fit ei liberatio et salvatio a noxiis; et quia facultatem habet omnem colorem assumendi praeter colorem album, qui puritatem et munditiem significat, typus est imitationis diaboli qui ad omnem modum et speciem, praeter speciem et modum boni, declinare potest.

Sunt autem, praeter distinctiones et modos qui inveniri in his speciebus reptilium dicti sunt, aliae multae proprietates et distinctiones, a quibus *recitandis,* ob earum multitudinem et incomprehensibilitatem, abstinet sermo, de nonnullis tantum earum curam habere intendens et earum mentionem in medium proferre ad auditum et visum eorum qui in librum in-
* p. 271 cidant, hic reponendo quasdam proprietates * notas et peculiares quae in eis sunt. Dicunt quidem, qui physici vocantur et curam rerum naturalium describendarum et explanandarum habent, existere quandam speciem distinctam ac notam ex genere lacertarum quae apud Graecos salamandra nuncupatur. Ferunt vero, qui periculum fecerunt, viderunt et scripserunt, naturam tantam virtutem ei dedisse ut, quemadmodum nos in aere absque iniuria [commoramur], et pisces in aquis sine nocumento, ita illa ex natura habeat qualitatem et facultatem naturalem in igne manendi, quin ex eo iniuriam aut damnum patiatur; v. gr. si accidat ut homo aut alius inimicus eam venetur, ipsa, cum vult fugere et se ab illo servare, si proxima adsit fornax succensa plenaque ignis aut furnus aut clibanus, in ignem fugit et servatur, et in eo alacriter et absque laesione manet donec videat et sciat inimicum

suum discessisse, et tunc ex illo egreditur quocumque vult absque iniuria et sine timore. Dicunt talem virtutem et frigiditatem magnam corpori eius inesse ut non laedatur calore magno et fervido ignis.

Dicunt autem serpentem habere corpus tam calidum et calore naturali fervidum ut ipse caliditatem corporis sui tolerare non possit nisi semper comedendo pulverem, qui est frigidior omnibus, quo producit venenum illud frigidum et lethale quod contrarietate sua adversus nimiam caliditatem, quae est in corpore suo, contendat. Propter hanc causam dicunt eum comedere terram ut venenum suum conficiat, quod curat multiplicare tum ad refrigerandum corporis sui calorem, tum ad vindictam sumendam, tanquam per arma, ab appropinquantibus ad se. Et medici corporis sapientes, cognoscentes contrarium temperamentum et repugnantiam corporis serpentis eiusque veneni, cum vidissent et sapienter meritoque iudicassent nihil esse fortius nihilque validius * perniciei veneni serpentis obsistere * p. 272 quam carnem ipsius, quae potuit cum illo habitare et caliditate sua nimiam eius frigiditatem vincere, dum parant et componunt ex radicibus calidis pharmacum utile eis qui morsi sunt serpentibus aut venenum lethale quocumque alio modo acceperunt, valde convenienter et intellegenter iudicaverunt aliquid ex carne serpentium calida ac fervida commiscendum in compositione, ut adhuc cum eo pugnet per qualitatem calidam naturae suae et superet frigiditatem quae ex eo dominata est in corpus quod morsum est aut aegrotavit. Talis est virtus compositionis, in qua est aliquid de carne serpentis, ut vincat et de corpore hominis aut animalis cuiuslibet expellat totam frigiditatem et siccitatem veneni illius lethalis aut veneni cuiuslibet.

Sunt vero in hoc genere reptilium etiam aliae species veneniferae, sicut scorpio et scolopendra et phalangium et illud quod « filius stercoris »[1] a quibusdam nuncupatur, et aliae multae his similes. Et fecit Deus adversus illas pharmaca utilia quae solvant ac arceant malum earum tum ab hominibus

[1] Hac appellatione designare videtur scarabaeorum genus quoddam (κοπριῶν); quod quidem nunc inter insecta venenifera non recensetur, sed neque phalangium.

tum ab animalibus, cum morsu aut punctu ab eis laeduntur. ita ut per haec et alia similia clare pateat Deum curam omnium quae creavit agere et egisse, nec despicere nec neglegere creaturas suas, et omnia, quae super terram fecit et creavit, esse pulchra, necessaria et utilia, eumque nihil creasse vanum aut otiosum aut haud utile vitae hominum aliquo tempore aut aliquo modo. Et haec omnia et talia, quae sunt ex hac specie reptilium, in pulvere habitant et degunt, et in eo omnia filios procreant, propagatores generis sui.

Nunc sermo, qui talia prosequutus est, perget amore laboris dicere etiam de eis, quae illis minora sunt et viliora, *p. 273 * nam ecce sicut iam dixi, Deus factor nihil creavit vanum aut otiosum aut non pulchrum aut inutile. Quia vero sermo Scripturae sanctae etiam formicam humilem et pusillam laudare dignatus est et sermo noster vult de ea dicere, ipsa Scripturae verba hic nobis sufficient, sive ad narrationem de illa, sive ad laudandam eius diligentiam: « Vade ad formicam, o piger, dicit Salomon in Proverbiis sapientiae suae[1], et imitare eam; et vide et aemulare vias eius, et fias sapientior, et disce quod, dum non est ei agricultura nec messis, nec est qui urgeat eam nec est sub principe, parat ab aestate cibum suum, et thesaurum multum de messe coacervat sibi ».

Sunt vero, cum illis, alia in genere reptilium valde humilia, parva et debilia; neque Deus ea omnino privavit providentia et scientia discretiva operante curam et securitatem conservationis vitae eorum. Ecce enim et reptili vili, quod illas texturas ⌜tenues[2] facit quae appellantur g w ā g a i, — unde et ipsum denominatur gwāgai (aranea), et apud Graecos dicitur ἀράχνη, aut nescio quid vocem illud, quia omnia eiusmodi, apud omnes homines, nomina et vocabula fixa non habent — Deus creator scientiam discretivam dedit, et ipsum scit sponte sua naturaliter curam habere comparandi sibi cibum ad comestionem, et semper invigilare ad vitam suam servandam. Cum enim corpus tenerum et debile habeat *aranea* nec semper possit habitare aut versari super terram propter debilitatem suam ne conculcata a transeuntibus pereat, nec vi polleat volandi

[1] *Prov.*, VI, 6-8. — [2] Sic e cod. B qui genuinam habet lectionem.

per aerem, quia alas non dedit ei natura, creator et curator omnium, Deus, qui curam omnium creaturarum habuit, aliam viam ei dedit. Fecit ei * igitur facultatem naturalem fila quae- * p. 274
dam tenuia ac aeria de ventre suo semper educendi eaque extendendi per aerem convenienter ac ordinatim, sive de pariete ad parietem, sive de tecto domus usque ad terram, sive de arbore ad arborem. Et haec facit humida atque adhaesiva sicut glutinamentum quoddam ut, cum educuntur de ventre suo et aliud corpus tangant, ei affigantur et adhaereant sicut vinculum indissolubile. Cum autem illa de ventre suo educit et per aerem extendit, dum sunt plus minus invisibilia propter tenuitatem suam et colorem suum aeri similem, facit sibi cum eis simul rete quoddam inconfusum, quod capit ei muscas aut aliquid aliud ad cibum suum, et arcem quandam salutis et securitatis, ut in eam aut super eam fugiat et cito servet se ab iniuriis, abscondens se in locis invisibilibus. Quod si praeda in filis capta fuerit, irruit in eam celeriter eamque apprehendit. Si noxium videt aut inimicum agnoscit et distinguit, fugit super illa celeriter et servat se. Quod si vult de alto in aerem descendere, filum de ventre suo educit et in alto adhaerere facit, et depromit de ventre suo et immittit illud per aerem, et descendit absque timore et sine nocumento. Quod si cum descendit, inimicum percipit, aptat pedibus suis filum, quod ipsam portat cuique suspenditur, et adscendit celeriter et servat se a noxiis. Natura talem scientiam et virtutem dedit reptili huic vili, ut ex illo et ex eis quae apud illud sunt, intellegamus atque sciamus nihil horum omnium, quae Deus factor in hoc universo creavit, existere cui non sit virtus naturalis servans et custodiens eius essentiam, et conservatio ex providentia factoris eius.

Magnis igitur et pusillis, unicuique secundum congruentiam et aptitudinem * naturae suae, sic Deus virtutem naturalem * p. 275
posuit in omnibus quae creavit per mandatum illud primum quo creata sunt cum dixit: « Producat terra animam viventem secundum genus suum, et reptilia quae reptant super terram secundum genera sua ». Sic mandatum, quod iussum est, non eo tempore tantum operatum est et adimpleta est voluntas creatoris, sed et nunc et semper natura terrae agit et constanter

producit quidquid vult et ubi et [quando] vult sapiens gubernator huius universi. Etenim quando vult et utile iudicat, super terram ex terra ipsa locustas generat quibus homines castiget et cohibeat a peccatis eorum; quando vult feras malas in terram immittit sicut ipsum eius verbum in Scriptura sancta nobis declaravit[1]. Quando voluit iussit et adduxit super Aegyptios muscas caninas quibus eos puniret[2]. Et quando voluit, secundum iudicia sua sapientia et incomprehensibilia, iussit terram pediculos super illos generare ut per ea, quae valde vilia sunt et pusilla et infirma, duritiam eorum superbam et arrogantem retunderet.

Talis est virtus Dei creatoris omnipotentis, et talis est altitudo sapientiae eius ut per omnia, quae vult, peccatores castigare possit, sive vult per magna, sive per pusilla, et quando vult et modo quo vult, sicut sapientia eius novit et castigandos esse et media quibus castigandi sunt homines peccatores secundum delicta eorum. Quamobrem quidam sapiens, cum plagas Aegyptiorum consideraret et de eis eloquenter simul ac sapienter narraret, dicebat ad Deum: « Pro cogitationibus stultis iniquitatis eorum, quibus errantes reptilibus irrationalibus et insectis vilibus serviebant, misisti in eos multitudinem animalium vilium ac irrationabilium, ut scirent hominem eis quibus peccat etiam torqueri. Potuisset autem manus tua omnipotens, * p. 276. quae mundum ex materia informi creavit, mittere in eos * multitudinem ursorum aut leonum crudelium aut feras recenter creatas et incognitas, furore plenas, aut anhelitum reddentes spirantem ignis, aut exhalantes aestum fornacis naribus suis, aut emittentes scintillas ignis terribiles ex oculis suis; et non solum damnum ex eis eos delere potuisset, sed ipse adspectus earum eos ad perditionem terruisset. Et etiam absque illis potuisses eos, iusta tua vindicta exagitatos et spiritu virtutis tuae castigatos, uno vento perdere, sed omnia cum mensura et numero et pondere iussisti et super illos adduxisti. Quod enim fortiter potes facere quae vis, semper praesens est et invenitur apud te, et quis potest potentiae brachii tui resistere? ». Haec igitur, quae vir ille sapiens sa-

[1] *Levit.*, XXVI, 22. — [2] Cf. *Ex.*, VIII.

pienter dixit, intellegenti aperte demonstrant mandatum, quod Deus ab initio iussit, omni temporis momento operari, quia scilicet fuit *mandatum* virtutis omnipotentis et aeternae, et Deum cum iustitia et iudicio facere omnia quae facit, et curam habere omnium quae creavit, et nihil in hoc universo absque illo factum esse.

Hi modi igitur, quos sermo hic modo recitavit, et aliae species multae et innumerabiles sunt in hoc genere reptilium, quae Deus creavit ut reptent super terram cum genere animalium in quo sunt iumenta et ferae. Et haec omnia Deus creavit antequam hominem crearet cui essent ministerio servitutis et oblectamento et honori et adimpletioni voluntatis per totam rationem vitae eius super terram. Ita Deus domum magnam, palatium regium, hunc mundum, constituit et ornavit omnibus utilibus et necessariis necessitati eius antequam crearet hominem eius habitatorem, quem regem omnibus quae creata sunt super terram praefecit. Etenim propter hominem omnia prius facta sunt et prius a Deo creata sunt et disposita; propter illum terra firmata est, et caeli extensi sunt, et lux creata est, et conditae sunt tenebrae, et distinctus est dies et nox et mane et vespere; * propter illum separatae sunt aquae quae (* p. 277.) erant sub caelo et aquae quae erant supra caelum, et firmatum est et stabilitum firmamentum in medio, quod inter aquas et aquas divideret; propter illum prius congregatae sunt aquae a facie terrae in collectiones suas, et revelata est facies terrae habitabilis in habitaculum et domicilium hominibus, et in ea relicta sunt maria et flumina et fontes aquarum ad ministerium et iucunditatem eius; propter illum prius creata sunt de terra herba et semina et radices et plantae et omnes arbores, quae sunt super terram, ut essent in cibum et voluptatem eius et animalium omnium quae creanda erant super terram; propter illum creata sunt luminaria in firmamento caeli, sol, luna et stellae, ut fulgerent super terram et dividerent inter diem ac noctem, et essent in signa et notitias temporum et annorum super terram; propter illum aquae prius a Deo iussae sunt proferre et gignere pisces et omnia quae sunt in aquis, et volatilia alata quae volant versus firmamentum caeli; propter illum terra iussa est a Deo, creatore omnium et opi-

fice, producere animam viventem et iumenta secundum genera eorum, et reptilia reptantia super terram secundum genera eorum.

Ita omnia prius creata sunt a Deo ante hominem et propter hominem, ut cum postea crearetur et illa adspiceret, consideraret, cogitatione sua exploraret et intellegeret quod quemadmodum ipse paulo ante non existebat, et ex nihilo transivit et adductus est a Deo ad existentiam, sic intellegeret etiam illa esse creata et ex nihilo transiisse et ad existentiam adducta esse, et inquireret cum iudicio et sciret illa, sicut seipsum, creata fuisse, et eum, qui creavit ipsum, creasse illa, et summatim diceret omnia haec visibilia esse creaturas et habere initium, et non esse aeterna nec sine principio. Et homo per totam suam vitam pulchritudinem et magnitudinem creaturarum visibilium considerat, et ex eis convenienter cognoscit creatorem earum, Deum invisibilem et factorem suum, et ratiocinatione necessaria ac vera cognoscit et dicit quod si ea, quae creata sunt, * sub initio sunt et visibilia, ergo ille, qui illa creavit, omnimodo est sine initio et invisibilis et praeterea iam investigabilis et incomprehensibilis; et cum haec intellexerit, factorem suum, Deum magnum et fortem et laudabilem, semper glorificabit. Etenim ab aeterno est laudabilis, magnus, fortis, omnipotens, bonus, iustus et sapiens; cui est maiestas et iustitia et bonitas et virtus et sapientia, eique debetur laus et honor ab omnibus nunc et semper et per omnia saecula saeculorum sine fine. Amen.

* p. 278.

Explicit tractatus sextus qui est de feris et iumentis et reptilibus terrae.

TRACTATUS SEPTIMUS: De homine quem Deus ad imaginem suam fecit, et instituit et posuit in parvo hoc mundo velut mundum magnum ac mirabilem.

Deus bonus, sapiens et omnipotens, factor et creator omnium, dispositor et curator et rector operum suorum, qui omnes suas creaturas, etiam antequam eas creet, videt ac cognoscit, cum hunc mundum fecit, non absque causa fecit illum. Etenim, qui faciunt quodcumque et qualicumque modo in hoc mundo, non absque causa faciunt quod faciunt, nec inconsulto, nec sine ratione. Ergo si non decet dicere homines creatores et mutabiles, qui cogitationibus suis semper agitantur et omni tempore sub perturbationes mentis cadunt, facere quidquam plerumque absque causa et vane, et dum opus eo non habent, quanto magis dicere non debemus Deum, opificem sapientem et spectatorem omnium, qui scientia sapientiae suae creavit et virtute sua perita et omnipotenti omnia sua opera facit ac disponit, creare aut facere quidquam vane et absque causa necessaria aut dum nulla est rei necessitas. Quod si haec ita iudicamus * et approbamus, inquiramus, ut oportet et inda- * p. 279.
gatione mentis, quae fuerit causa necessaria ac vera quae bonitatem Dei opificis incitavit ad creandum mundum hunc visibilem, hoc opus, dico, et ornatum caeli et terrae et omnium quae in medio et in eis et cum eis simul creata fuerunt atque disposita, et quae fuerit ei de illis necessitas propter quam ad existentiam perducta fuerunt et constituta. Ipse vero Deus, creator eorum, nullo modo indigebat domo in qua habitaret, neque nunc habitaculo indiget is de quo propheta in nomine eius interrogative alicubi dicit[1]: « Numquid non caelum et terram ego impleo? dicit Dominus »; et[2]: « Quae est domus quam aedificabitis mihi? ».

Simili autem modo notum et apertum est quod quemadmodum haec mens magna et prima, creator Deus, non indigebat domo corporali in qua habitaret, sic neque mentes illae secundae, virtutes caelestes, dico, et immateriales, ad imaginem eius

[1] Ier., xxiii, 24. — [2] Is., lxvi, 1.

creatae, indigebant domo in habitaculum, neque nunc indigent. Etenim non sunt corporales, ut domo corporali opus habeant, sed mentes subtiles, quae similitudinem creatoris sui ex parte referunt et corporibus non continentur. Corporales[1] quidem corporibus contineri possunt et indigent domibus corporalibus in quibus habitent, si scilicet habitatores sunt et non habitacula. Mentes autem omnes, vel saltem quaedam ex omnibus incorporeis, non possunt corporibus contineri, sicut sermo iam posuit, neque domibus neque habitaculis corporalibus opus habent. Quod si Deus, creator absconditus et invisibilis, hac domo non indigebat, et illae mentes, ad imaginem et similitudinem eius creatae, omnes virtutes angelicae, ea opus non habebant — nam non indigent corpore caeli quo protegantur, nec terra super quam incedant, nec aqua quam bibant,
* p. 280. * nec aere quem hauriant ad vitam suam sustentandam, nec sole, luna et stellis, quae fulgeant ipsis et dividant diem ac noctem, — ergo manifestum est et apertum hanc domum non propter illas creatam fuisse, sed propter hominem quem Deus ad imaginem suam creaturus erat post creationem et completionem huius mundi, quo praepararet domum regiam regi ad quietem et habitaculum eius et omnium qui ex eo nascituri erant, et animalium quae ad famulatum eius prius creata fuerunt, et volatilium et reptilium quae propter illum super terram creata sunt.

Haec est causa creationis mundi qui prius creatus est propter iucunditatem et necessitatem hominis et eorum quae cum eo sunt, animalium et volatilium et reptilium quae reptant super terram. Propter illum qui ad existentiam a Deo adducendus erat et constituendus rex atque princeps super omnes creaturas corporales, haec domus regia prius aedificata fuit et praeparata. Illa ergo prius facta sunt quemadmodum ecce sermo iam superius ostendit. Illa omnia huius mundi prius completa sunt nihilque deerat institutioni domus huius regiae nisi adventus tantum regis habitatoris. Post haec ait Spiritus scriptor[2]: « Et dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram, et dominentur piscibus

[1] Sic legendum videtur; mss. « corpora ». — [2] *Gen.*, I, 26.

maris et volatilibus caeli et iumentis et universae terrae et omnibus reptilibus quae reptant super terram ». Miranda est praesertim eo loco ineffabilis philanthropia Dei boni et misericordis erga hominem, quia verbis istis, quae sunt prima et praeparatoria de creatione eius, videtur conferre ei honorem praestantem ac magnum magis quam omnibus creaturis sensibilibus quas ante illum creaverat. Scriptum est enim quod iusserat tantum illa fieri et facta sunt, aut iusserat terram vel aquas proferre hoc aut illud, et protulerunt id quod voluit. De creatione * autem hominis verba, quae similitudinem habent * p. 281. cum deliberationibus et praeparationibus quas homines in rebus humanis faciunt, Spiritus scriptor scripsit et nobis tradidit: « Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram », scriptum est Deum dixisse; quasi Deus de homine prius deliberasset, quod opinandum suadet sententia, utrum facturus sit illum necne. Quod si haec non est causa scriptionis horum verborum, et Deus necesse non habet prius deliberare et inquirere de eis quae vult facere, et non est apud eum praeparatio et deinde retractatio, et non indiget consiliariis qui consilientur ei — nam scriptum est[1]: « Quis enim prius cognovit sensum Domini? aut quis fuit ei consiliarius? » — quae est causa ponendi in sermone Deum dixisse: Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram? Quare, quemadmodum de omnibus creaturis dixit, et factae sunt, non ita etiam de homine dixit verbo tantum: Fiat homo; et factus esset statim sine mora una cum mandato?

Etenim de creaturis, sicut iam cognitum et dictum est, dixit: Fiant, et facta sunt; et cum dixisset: Fiat hoc aut illud, rursus scriptor postea statim ponebat: Fecit Deus hoc aut illud. De homine autem non dixit: Fiat homo, sed: Faciamus hominem; et per hoc aperte et valde clare et manifeste ostendit se non ad seipsum loquutum esse sicut mos est hominibus [ineptis] loquendi, sed ad alterum quendam loquutum esse. Ipsum quidem non ad seipsum loquutum esse, nec solum esse qui dixit : Faciamus hominem ad imaginem nostram; sed alium quendam esse cum eo, sive unum sive duos cui aut qui-

[1] *Rom.*, XI, 34.

bus dixit: Faciamus hominem, id clare indicant et demonstrant non solum illud « Faciamus », sed etiam quod addidit dicendo: « ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram ». Si enim una persona tantum esset is qui loquutus
* p. 282. est, et non esset cum eo alter et alter, aut nullo modo * loquutus esset — unus enim necesse non habet dicere: Faciamus; sed silenter facit, nihil prius dicens, — aut, si loquutus esset sic tantum dixisset: Faciam hominem ⌈ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram[1]; nam si unus esset singulariter dixisset: Ad imaginem meam et ad similitudinem meam, non autem pluraliter: Ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram. Quia vero vox quam dixit: Faciamus, pluraliter posita est, et simili modo nomina quae sequuntur cum dicit: Ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram, pluraliter, non singulariter, evidens est Deum Patrem, qui est invisibilis et principium omnium, Verbo suo factori, qui apud Salomonem appellatur sapientia eius — quae dixit: « Quando praeparabat caelum cum eo eram[2] », — et Spiritui suo sancto, qui est eis aequalis essentia et potestate et virtute et voluntate, dixisse: Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram, adhibitis nominibus et vocabulis ex usu nostro loquendi sermonisque humani. Patet enim neminem posse dicere aut facere imaginem et similitudinem Deo, qui est sine similitudine et invisibilis et incomprehensibilis. Neque est ei ulla imago ullaque similitudo nisi Verbum eius unigenitum quod appellatur et est Filius, sicut natus aequalis in essentia, aequalis scilicet in potestate et in voluntate et in virtute et in operatione. Hic enim est ei imago in qua delineatur et in qua videtur, et effigies indicans personam eius, et splendor aequalis gloriae eius, sicut verbum apostolicum nos docuit[3]. Illis igitur Deus dixit: « Faciamus hominem »; et idcirco etiam dixit: « ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram », pluraliter, non singulariter. Etenim nisi essent plures personae unius divinitatis,

[1] Sic codex; in B « meam ». Textus perturbatus videtur. Suspicamur scriptum fuisse: « Faciam hominem; [nec addidisset] ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram; nam si etc. ». — [2] *Prov.*, VIII, 27. — [3] Cf. *Hebr.*, I, 3.

quae propter bonitatem suam hominem facere voluit et ideo dixit tum: « Faciamus », tum « ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram », haec vocabula non posita essent pluraliter; neque verbum illud: Faciamus, neque nomina quae sequuntur usurpata essent quasi *plures sint possessores: *p. 283. « ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram », non autem: ad imaginem meam et ad similitudinem meam.

Detur autem dici eo sensu illud verbum, *attamen* quoniam Verbum et Spiritus, personae ad quas dictum est verbum illud: « Faciamus », in Deo Patre, qui loquutus est, erant et sunt, et ipse in illis, opus non erat dicendi eis: Faciamus hominem ad imaginem nostram; neque necesse erat ut ipsum verbum diceretur. Et ut accurate et manifeste sensum huius verbi, quod positum est, ostendam, sic dicam: Deus hoc verbum nullo modo loquutus est, quia ii, ad quos verbum spectat, necesse non habebant ut ipsis diceretur; sed ipse Spiritus, auctor Scripturae, verbum ita propter nos posuit, ut mysterium operum Dei absconditum ad nos perveniret, ut scilicet ex verbis quae Spiritus scriptor eo loco de creatione hominis posuit, revelatio trium personarum sanctarum unius divinitatis creatricis et aeternae nota et clara nobis fieret, et honor, quem Deus homini magis quam omnibus creaturis sensibilibus, quas propter illum creavit, contulit, nobis manifestaretur et cognosceretur.

« Faciamus[1], ait Deus, hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram », et « dominentur, inquit, piscibus maris et volatilibus caeli[2] ». Rursus, in verbis illis indicatio manifesta est quod Deus eo loco cognoscitur non unum hominem fecisse, sed plures, totum humanum genus simul. Etenim non dicit : Faciamus n ā š ā (hominem) et dominetur, sed : Faciamus b a r n ā š ā (filium hominis) et dominentur. In lingua autem dialectoque hebraica scriptum est non « filius hominis », sed « homo », et hoc vocabulum « homo » apud Hebraeos non significationem singularem habet sed pluralem, ita ut inde clare cognoscatur Deum totum ge-

[1] Pleonastice, hoc loco, « faciamus nobis », quasi « nobis faciendum ». — [2] *Gen.*, I, 26.

nus humanum simul creasse per duas personas, Adam et Hevam, quos ab initio fecit aut plasmavit, aut nescio quomodo *p. 284. dicam. Etenim illud nomen * Adam indicatio communis est totius generis humani, non unius personae tantum, quod manifeste ostenditur etiam ex eo quod scriptum est de illis: « Vocavit nomen eorum Adam in die quo fecit eos »[1], ita ut per illud nomen Adam, et per illud nāšā (homo), et per verbum « dominentur » positum pluraliter, non singulariter, clara fiat nobis sententia Deum totum genus humanum simul creasse per duas personas, Adam et Hevam, quos primum fecit, et deinde dixit: « Dominentur piscibus qui in mari sunt et volatilibus caeli, et iumentis, et universae terrae, et omnibus reptilibus quae reptant super terram ». Igitur verbis illis prioribus Spiritus scriptor ita dixit Deum loquutum esse de creatione hominis et ostendisse dignitatem eius praestantiorem dignitate omnium creaturarum sensibilium quas propter illum creavit.

Deinde autem pergit dicere[2]: « Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum; masculum et feminam fecit eos; et benedixit illis Deus, dicens: Fructificate et multiplicamini et replete terram, et sitis super illam domini, et dominamini piscibus qui in mari sunt, et volatilibus caeli, et iumentis, et universae terrae, et omnibus reptilibus quae reptant super terram ». Et etiam per ista verba eadem cognoscuntur, id est, distinctio personarum divinitatis: ille qui verbis prioribus dixit: Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram, et ille qui fecit hominem, et ille qui ad imaginem eius fecit illum — ait enim: « Deus fecit hominem, ad imaginem Dei fecit illum »; ille qui fecit illum et ille ad cuius imaginem fecit illum non explicantur una persona, sed duae — et cognoscitur etiam dignitas et potestas quam Deus creator homini dedit. Etenim Spiritus per David eadem de illo dicit cum cantat et ostendit excellentiam dignitatis et potestatis eius[3]: « Quis est homo quod memor es eius, et filius hominis quod visitas eum? Minuisti eum paulo ab angelis; gloria et laude coronasti eum, et constituisti eum super

[1] *Gen.*, v, 2. — [2] *Gen.*, I, 27-28. — [3] *Ps.* VIII, 5-9.

omnia opera manuum tuarum. Omnia subiecisti et posuisti sub * pedibus eius, oves et boves universas, et volatilia caeli * p. 285. et pisces marium qui perambulant semitam marium ». Spiritus scriptor et psaltes sic ostendit dignitatem hominis excellentiorem esse dignitate omnium creaturarum sensibilium, et potestatem quam dedit ei Deus super omnia quae fecit super terram, tum per revelationem personarum divinitatis in verbis quae sunt de illo, tum per verba ipsa quae de illo loquutus est, tum per ea quae Deus dixit ei cum benedixit illis, ita ut per haec omnia, et per verba et per opera, cognoscatur hominem esse excellentiorem tota creatione sensibili, et hanc propter illum sic factam esse atque praeparatam ut esset habitationi et iucunditati et nutrimento homini et animalibus, quae cum illo et propter illum super eam creata sunt, et volatilibus et omnibus reptilibus viventibus.

Verba quidem sacra Scripturae sanctae per Moysen sic docuerunt et ostenderunt nobis creationem excellentem et divinam hominis qui factus est ad imaginem et similitudinem Dei, velut rex ac caput omnium quae ab eo super terram creata sunt. Quia vero hic homo videtur esse biformis et diversus, quid compositum et non simplex, idem visibilis simul et invisibilis, sensibilis simul et intellectualis, corporalis et materialis atque spiritalis et incorporalis, et rursus sermo de eo videtur duplex atque diversus, non simplex nec unicus, agedum instemus utrique horum particulariter et specialiter, et ea, quae utriusque sunt, apte et ordine congruenti dicamus. Et primum quidem, ut decet, ordine ponemus sermonem de visibilitate animalis huius compositi; et deinde de absconsione et invisibilitate eius, et de natura eius insensibili et immateriali, spiritali scilicet et intellectuali, dicemus, quantum fieri potest et quantum radius scientiae pervenit ad eum qui in carne habitat ut disserat de natura non carnea et incorporali hominis intellectualis * qui ad imaginem et similitudinem Dei invi- * p. 286. sibilis creatus et conditus est. Corporalis enim est simul et animatus, corporeus et materialis atque spiritalis et intellectualis.

Et primum sermo ad dicendum de corporalitate eius progreditur, quia scilicet haec forma visibilis corporis est sicut ta-

bernaculum, quoddam naturae invisibili animae, et homo hic exterior visibilis videtur instar alius mundi parvi in mundo hoc magno, qui iam sermone dictus et declaratus est, et dispositus est et constitutus a Deo creatore ut sit tanquam habitaculum regium regi habitanti, homini. Quia vero et homo est mundus quidam, qui propter suam mirabilitatem et formationem dicitur etiam maior illo primo, ratio vult illum vocare mundum magnum qui positus est in mundo parvo. Etenim cum ratio intellegens investigatione subtili eum scrutatur, per comparationem invenit illum similitudinem cum hoc mundo maiore ipso multis modis habere. Invenit quidem in structura formae eius diversas contignationes, superiores, inferiores et medias, quae sapientia creatoris sui periti utiliter ac convenienter dispositae sunt. Coaptat autem in eo et caelum et terram modo quodam particulari, et habitaculum constituitur quod homini illi vero, menti, congruit, quemadmodum in medio huius mundi magni habitaculum aptum ad hominem, qui in eo habitat, a creatore, Deo, conditum est.

Quapropter, his prius ita dictis et positis, de structura formae visibilis nunc dicemus et clare disseremus, et initium sermonis congruenter faciemus a verbis sanctis ac divinis ipsius Spiritus, quae in Scriptura sacra sunt. Etenim in ea dictum est de homine ipsis verbis ita[1]: « Et formavit Dominus Deus Adam pulverem de humo », aut, sicut in alia traditione scriptum est, « pulverem de terra; et inspiravit in faciem eius ha-
* p. 287. litum vitae, et factus est homo in * animam viventem ». Sermo quidem Scripturae sanctae ita verbis tantum paucis ac brevibus formationem hominis excellentem et ad imaginem Dei factam exposuit. Ratio autem investigans et intellegens etiam de formatione hominis eadem statuit quae de creatione animalium et volatilium et piscium et omnium reptilium, quae Deus super terram creavit, iam statuit; et de herbis et seminibus et radicibus et arboribus et plantis dixit atque declaravit *ratio* Deum non e terra tantum aut ex aquis solis creasse et fecisse illa, etsi sacra Scriptura iuxta morem humanum ita tradidit, sed ex quattuor elementis, terra, aqua, aere, et igne.

[1] *Gen.*, II, 7.

Ex his omnibus, non e solo terrae elemento, Deus creator corpus hominis composuit et stabilivit. Similem autem sensum habent verba quae Deus homini, postquam peccavit, loquutus est[1]: « Ex terra es et in terram reverteris »; scilicet quia ex terra sola non erat corpus hominis, non in terram solam resolvetur; sed cum creatum est ex quattuor elementis compositum, etiam in haec quattuor, post mortem suam, denuo resolvetur. Sic Deus hominem in plasmatione eius honoravit magis quam omnia animalia ei subdita, cum pulverem de terra sumpsit et hominem formavit. Et vox illa: Formavit, non concedit lectori ut intellegat Deum pulverem tantum de terra sumpsisse, sicut scriptum est. Pulvis enim solus nequaquam plasmatur, sed in natura sua sicca permanet; nam neque ex seipsa, neque natura sua, aut nescio quomodo dicam, consentit adhaerere aut agglutinari; ita igitur ut ex ipsa voce: Formavit, in libro verborum Spiritus posita, compertum sit Deum non ex pulvere tantum corpus hominis plasmasse sed ex quattuor elementis, cum sumpsit simul pulverem, aquam, aerem et ignem e quibus plasmationem substantiae corporis humani subegit. Et substantia corporis totam suam visibilitatem ex * natura pulveris habet et habebit semper magis quam ex natura trium ceterorum elementorum. Ideoque etiam Scriptura dicere solet illud ex pulvere tantum formatum fuisse, et sivit ut tu, lector, ex teipso intellegas et scias haec cetera fuisse simul cum pulvere in formatione hominis, sicut sermo superius de omnibus animalibus iam ostendit et posuit. * p. 288.

His igitur ita intellectis, age dicat sermo de forma corporis humani illamque ostendat vere convenire principatui et potestati regiae in omnia quae sunt super terram, magis quam omnes formas et modos animalium omnium et volatilium, et magis quam formam omnium reptilium quae super terram reptant et moventur. Decebat enim per formam corporis visibilem agnosci visuque distingui ipsam differentiam naturalem eius qui est caput et eorum qui sunt sub capite, ut dignitas eius non natura tantum sed et forma corporis videretur et agnosceretur. Ita Deus distincte honoravit et ex illis

[1] *Gen.*, III, 19.

rebus formavit, composuit, et stabilivit tabernaculum corporis hominis. Fecit et constituit illud ut mundum alium sive parvum sive magnum — aut nescio quid vocem illud — sive domum sive habitaculum hominis illud nuncupem, sicut et Paulus appellavit illud, dicens[1]: « Scimus quod etsi haec domus nostra corporis dissolvatur, tamen est nobis aedificium a Deo, domus non manufacta, in caelo in aeternum ». Igitur sive corpus vocamus illud, sive tabernaculum, sive domum, sive habitaculum, typus est mundi huius magni, quem Deus propter hominem fecit, et mundus magnus hoc maior propter mirabilitatem suam et positus in hoc mundo sicut in parvo, ut esset etiam ipse tanquam domus homini vero, menti.

Corpus autem humanum valde convenienter comparatur et aliquo modo assimilatur turri cuidam altae atque validae, super duobus fundamentis solidis firmiter aedificatae, in qua sunt quinque contignationes diversae superpositae; sunt enim
* p. 289. in eo pedes, * femora, venter, collum et caput. Deus opifex fecit ei fundamentum firmum sub illo, tanquam bases sub columnis, id est, plantas stabiles et firmas, quae super terram semper positae sunt, sub pedibus eius. Et illas confecit non duras nec rotundas sicut plantas iumentorum aut animalium, sed teneras atque carneas et in priorem partem productas ut, cum tota natura aedificii se demittit et in priorem partem inclinatur, illam fulciant ne cadat. Ne autem vacillet et in posteriorem partem inclinetur propter altum turris fastigium, plantas in posteriore parte calcibus validis fulcivit easque et calces simul cum talis validis et stabilibus ligavit, firmis scilicet et inflexibilibus qui super illas sunt. Fecit autem in summis plantis decem digitos separatos, utrique pedi quinque numero, iuxta mensuram latitudinis plantarum, ut iidem, si turris forte vacillet ad inclinandum, eam adiuvent terrae fortiter adhaerentes quippe qui fundamentum infra confirmant.

Tunc super talos, qui sunt supra plantas, velut super bases validas ac immobiles, artifex contignationem primam et inferiorem aedificavit et infixit, cum gemina crura, tanquam duas firmas columnas, erexit et disposuit, non simplicia et unius

[1] II *Cor.*, v, 1.

ossis, sed e duabus arundinibus osseis composita, ut totum turris pondus facile et firmiter sustineant nec deflectantur nec onere gravi multoque disrumpantur. Sic artifex contignationem corporis humani inferiorem super duas bases duasque columnas disposuit; super has autem, geminis crurum arundinibus valide ac firmiter cum patellis genuum ligatis, contignationem secundam aedificavit, par femorum, tanquam duas turres rotundas et fortes quae sub palatio regio firmiter stant. Cum autem super illa artifex et creator aedificavit et infixit aedificium firmum * et validum ex ossibus duris tanquam loris (* p. 290.) quae aedificium cingunt ne disperdatur, hoc scilicet quod usus communis coxas et coccyges nuncupat, et super illud totam gazam regiam condidit et posuit, fecit contignationem tertiam, latam atque amplam, quae usu communi vocatur venter et stomachus et pectus et omnia quae in eis sunt. In ima parte huius domus, apud solum eius, artifex proxime fecit et disposuit vasa duo ad recipiendas omnes sordes et purgamenta domus, vas unum ad adducendas sordes crassas et vas alterum ad recipiendum humorem, quod appellatur vesicula. Sub istis vero duos egressus convenienter fecit, egressum amplum sordibus crassis et egressum alterum tenuem et angustum ad purgationem humoris, ut per illos gaza regia semper mundetur nec sit in illa quid vanum et inutile quod locum vane et sine utilitate occupet. In pariete autem huius domus artifex fecit et disposuit, tanquam res utiles atque pretiosas quae suspenduntur aut uncinis ligantur, ad pulchrum aeris domus temperamentum, per calorem scilicet et frigiditatem temperatam, et per siccitatem et humorem moderatum et aequalem, duo vasa aequalia et eiusdem propensionis, disposita unum contra alterum, ad conservationem totius domus: haec vocantur renes qui colore et forma sua et qualitate carnis suae distinguuntur.

In medio autem huius domus artifex posuit ventrem, qui alimenta recipit, et intestina quae deducunt ea, quae sibi adveniunt, ad egressum exterum. Posuit autem super alterum parietem huius domus, ad latus sinistrum, vas quod appellatur lien et est receptaculum totius turbidae faecis esculentorum et potulentorum quae corpus sustentant. Super hanc domum, in eadem contignatione tertia, artifex Deus, creator naturae,

separavit atque disposuit, intra vela munda pulchraque membranam, aliam domum pretiosam et utilem et bene ordinatam, quae aptissime et congruenter denominatur thalamus pectoris in honorem et iucunditatem sponsi, regis membrorum,
* p. 291. * cordis, et sponsae seu iecinoris, et sociae sponsae, fellis quod est cum illis, ubi scilicet est culina totius corporis et mensa apud quam epulantur omnia corporis membra, rex seu cor, et omnes servi eius et omnes qui ei adstant et ministrant. Ibi autem posuit artifex in corde ignem, qui totum corpus calefacit, et pulmonem, vas molle ac leve quod recipit aerem quo totum corpus vivat et sustentetur. Deus autem formavit et infixit super fundamentum contignationis huius tertiae, super iuncturam, dico, ossium coxarum, apparatum illum osseum, qui vocatur spina et totum pectus eaque, quae super illud sunt, sustinet. Fecit vero costas osseas, cum spina cohaerentes, quae ventrem circumdant, ne propter mollitiem suam conflictibus et impulsibus externis laedatur, et etiam murum osseum solidum, qui ante pectus stat, ne membra illa venerabilia et praecipua, quae intra illud sunt, impetu quodam ictuque externo corrumpantur. Sic cum illis et per illa et propter illa haec tertia corporis humani contignatio necessario constituta est a Deo, opifice forti et omnipotenti et artifice sapienti, ut gaza regia in illa poneretur et honoraretur.

Deus autem artifex aedificio corporis humani fecit quartam contignationem, membrum hoc parvum et pretiosum, quod de more collum seu cervix vocatur, quod est tenue et angustum in toto corpore et in quo colliguntur omnes venae et nervi totius corporis a plantis pedum usque ad ipsum ut perveniant ad caput, contignationem quintam, habitaculum regis, tanquam canales et viae introducentes in civitatem regiam aut tanquam scalaria introducentia in aedes regias. Sic constituta est quarta haec contignatio, collum, in quo perite facti sunt descensus seu aditus duo, fistula gutturis, dico, et oesophagus, per quae ingrediantur omnia quae veniunt in gazam regiam, contignationem quae sub collo est, aer quidem per fistulam gutturis in pulmonem, cibus autem et potus per oesophagum in ventrem.
* p. 292. Quattuor quidem contignationes palatii regii ita et per illa et propter illa in corpore humano factae sunt et dispositae ab

artifice, factore, Deo. Supra illas autem contignationem quintam et summam, caput, sapientissime formavit et posuit ut sit habitaculum aptum et ordinatum cubileque honorabile menti, regi qui est homo verus et imago regis, factoris et artificis, Dei creatoris omnium et ipsius hominis. Hanc contignationem Deus posuit supra totum corpus illamque fecit rotundam et sphaericam forma, sicut adspectum honorabilem et amabilem rosae aut alius arboris eiusmodi supra totum corpus plantarum. In illo artifex septem portas aut fenestras, ut illas more Scripturae[1] denominem, fecit et disposuit quibus ingrediantur et egrediantur omnes legati qui ad regem, mentem, peregre veniunt aut ab eo mittuntur. Illas autem artifex sapiens a tribus lateribus domus illius regiae ordinavit et posuit: ante palatium regium portam magnam atque praecipuam fecit, quae de more os vocatur, eique fecit seras validas et fortes sicut aes, nempe dentes et molares osseos qui intra illud stant sicut murus firmus in qua apertura esse non potest. Fecit vero illi extrinsecus valde apte et convenienter duo vela honorabilia coccinea, superius scilicet et inferius, quae vocantur labia, quibus honorifice operiatur ne inimici haud invitati subito ingrediantur. Creator vero illi praefecit unum de servis honoratis, ministris regni, qui servet illud et cum cura introducat et videat et intellegenter exploret omnia quae per illud gazam regiam et culinam et mensam regis ingrediuntur, servum, regis ministrum qui gustus nuncupatur. Rursus, super illud opifex duas alias portas geminas et parvas aperuit, quae usu loquendi appellantur nares, quibus intrent munera pro rege, omnes odores praestantes et suaves, et aer vivificans et sustentans totum domum regiam et omnes eius ministros; et praefecit * eis servum regium diligentem ac * p. 293. prudentem, pollentem scientia acuta et discretiva, qui appellatur odoratus. Naribus autem artifex creator et natura ordinans non fecerunt vela operientia ab extra sicut portae illi magnae, propter duas rationes: primum quidem, ut aerem refrigerantem et calefacientem continuo introducant ad ministrandum toti domui regiae, et fluxum humoris nimium per

[1] Cf. *Prov.*, VII, 6.

seipsas expellant; alterum autem, quia exitus earum deorsum respiciunt nec opus habent, sicut plerumque, velis operientibus quae prohibeant quominus externi ingrediantur. Servi enim harum portarum diligentes in se suscipiunt ut per illas purgamenta et quisquilias domus regiae eiiciant, per illam quidem salivam et sputum, per has autem mucum omnemque nimium humoris fluxum.

Rursus, super illas, ante palatium regium, artifex duas alias portas fecit, aequales et amplas et recte apertas contra cubile regium, quae usu sermonis denominantur oculi, quibus rex continuo speculetur et adspiciat et intueatur, et longinqua sicut proxima videat. Artifex creator fecit supra illos etiam vela tenuia pellicea, quae illos operiunt ne externi noxii ingrediantur, et propugnacula velocia et pilosa ad cohibendos impetus rerum contrariarum. Et illis praefecit unum de servis diligentibus et vigilantibus regis, qui visus a nobis nuncupatur . A dexteris autem et a sinistris palatii regii, directe contra cubile regium, artifex fecit duas alias portas quae vocantur aures eisque praefecit unum de servis regi ministrantibus, qui sermone communi nuncupatur auditus; his autem portis vela non fecit, sed eas continuo apertas reliquit, et ingrediuntur per eas legati externi qui ad regem veniunt, voces scilicet et strepitus et tinnitus leves et soni qui ex corporibus
* p. 294. semper fiunt. Fecit autem eis * muros quosdam pelliceos qui prohibeant quominus impetus conflictuum noxiorum subito intrent, et aditus angustos et convolutos sicut conchylia usque ad parietem cubilis regii, ne ullus sonus durus facile ingrediatur et regem in suo cubiculo conturbet. Tales sunt aditus aurium omnium hominum. Legati igitur, qui a longe veniunt aut ad regem mittuntur, per has portas dexteram et sinistram ad illum ingrediuntur. Quod si etiam litterae scriptae secum habent, istae ad regem appropinquant et ingrediuntur non per portas illas, sed per duas alias portas, quae sunt ante cubile et appellantur oculi, quibus praeest servus qui vocatur visus. Per illa scripta ingrediuntur et appropinquant ad regem et leguntur; legati autem, qui a rege mittuntur, egrediuntur non per portas dexteram aut sinistram palatii regis, neque per portas quae ante cubile sunt, sed omnes a rege mittuntur

et egrediuntur vecti curribus venti velocibus per portam illam magnam atque praecipuam quae est ante palatium regium.

Intra illam portam, quae est ante palatium, et intra seras validas quae sunt intra eam, ad portam cubiculi regis, unus servus, minister et honorator regis, sedet, qui omnes legatos a rege missos commeatu et curru instruit eosque iubente rege per portas dimittit; hic servus autem appellatur lingua. Supra hunc servum et intra eum, et intra portas illas quae sunt ante cubile regium, et inter portas quae sunt a dextris et a sinistris palatii, artifex creator cubile regium in medio posuit, et iussit et statuit ut mens, rex, homo verus, quem Deus creator ad imaginem et similitudinem suam fecit, in eo requiesceret. Hoc quidem cubile sedesque mentis, regis, hominis, usu sermonis humani appellatur cerebrum; positum est autem in medio contignationis quintae, * quae est fastigium totius aedificii corporis et appellatur caput, inter portas omnes quas sermo iam superius descripsit. Hoc cerebrum vero circumdatur velo mundo atque valde tenui, membrana quadam subtili et inapprehensibili et plusve minusve invisibili propter suam tenuitatem, quae, ut physici et medici dicunt, si parum laedatur aut rumpatur, animal, homo, continuo interit. Hanc vero circumdat desuper et a dexteris et a sinistris os quoddam spongiosum ac molle, et rursus extra istud a posteriore eius parte et undique os aliud firmum et durum, et extra hoc pellis valida et crassa quae totum caput tenet atque cingit. Posuit autem super illa creator artifex [tectum] quoddam aut velamen aut nescio quid illud vocem, comam densam et longam quae descendit et totum caput in circuitu operit, cui est tanquam corona quaedam decora et pulchra quae significat et ostendit hominem esse regem omnium quae Deus factor super terram creavit. Igitur in hac contignatione superiore, quae appellatur caput, colliguntur tanquam funes extensi, qui aedificium cingunt, omnes venae et nervi totius corporis, a plantis pedum scilicet usque ad caput ipsum, et omnia licia et vasa subtilia et tenuia quae dispersa sunt et plane posita sunt intra totam corporis pellem, quae plena sunt aere aut aqua aut sanguine aut humore aut phlegmate aut alio humore qui atra bilis a

* p. 295.

quibusdam vocatur. Omnibus enim his humoris fluentis Deus artifex corpus humanum dense replevit et miscuit, quia ex quattuor elementis illud apte et affabre composuit.

Itaque in hac contignatione corporis superiore, quae appellatur caput, in cerebro quod est in medio eius, ut videtur, habitat mens, rex, id est, homo verus quem Deus ad imaginem et similitudinem suam fecit — simili modo domini et principes huius mundi in contignationibus superioribus habitant, subditos autem et servos habitare faciunt infra seipsos in contignationibus inferioribus — ut inde contempletur et visitet
* p. 296. omnes contignationes quae sunt infra ipsam. * Habet autem apud se servos illos ministros, qui vocantur sensus, et per illos operatur, visum, dico, auditum, gustum et odoratum qui habitant in officinis proximis quae in circuitu eius sunt, in oculis et auribus et ore et naribus. Praeter hos quattuor servos supradictos habet etiam alium servum quintum vigilantem atque diligentem, illum scilicet qui per tactum ministrat menti, dominae suae, et per eum visitat [omnes contignationes] et omnes servos qui in eis habitant et ea quae externa sunt. Sic Deus sedem honorabilem fecit menti, quam ad imaginem suam creavit, eamque complete constituit et ornavit omnibus utilibus et necessariis ut omnia membra tanquam servi, in cunctis contignationibus, in omnibus quae iubet, ei ministrent secundum voluntatem eius.

Artifex autem fecit ei, praeter haec omnia quae sermo exposuit, etiam duos alios servos, ministros diligentes, membra honorabilia quae extra contignationes supradictas aedificio corporis iunguntur. Etenim Deus creator cum prominentiis superioribus contignationis tertiae, quae appellatur gaza, iis quae usu communi vocantur humeri, coniunxit et disposuit haec duo membra quae denominantur brachia eaque ad humeros apte alligavit, unum a dexteris gazae, alterum a sinistris eius, ut voluntatem regis, mentis, rectoris, domini sui, in omnibus quae iubet, celeriter et perpetuo adimpleant. Haec vero artifex ita fecit ut ligamentis laxis ac mollibus moveantur absque labore et facile, sursum scilicet et deorsum, extrorsus et introrsus, ante et retrorsum, sicut remi anulis ad naves alligati. Illa autem artifex creator coniunxit cum an-

teriore corporis parte, et fecit in eis aliam iuncturam in medio eorum, quae cubitus seu ἄγκων appellatur, ut facile incurventur et redeant ad corpus ad semper adimplendas necessitates eius. Ossa quidem superiora et interiora, quae in eis sunt, singularia atque simplicia fecit eaque ad scapulas alligavit funibus rotundis qui in acetabulis rotundis et cavis expedite * et facile et absque labore semper circumaguntur ut mandata * p. 297. regis perpetuo exsequantur; haec usu communi vocantur musculi brachiorum. Ossa autem, quae sunt a cubito et ultra, quae traditio communis docuit nos vocare carpos, natura duplicia et cum duabus arundinibus formavit, sicut illa crurum supradicta, eaque simul ad cubitum cum ossibus brachiorum alligavit. His autem geminis arundinibus carporum brachiorum Deus creator coniunxit et ligavit etiam alia quaedam membra parva, utilia et apta, et corpori humano valde necessaria. Fecit enim apud utrumque carpum adhaesive dorsum quoddam quadratum cum quattuor angulis et quattuor arundinibus aequalibus ac parvis quae apte et affabre invicem adhaerent, et adeo coniunguntur una cum altera adhaerentes ut videntibus existimentur esse os unum. Hoc vero membrum compositum, quod ex quattuor arundinibus natura efficienti adhaesive formatum est, usus sermonis humani docuit nos vocare palmam manus. Utrique palmae natura quattuor digitos coniunxit, et unicuique digito tres articulos unum alteri adhaerentes aptavit quos unum cum altero ligamentis laxis et mollibus et mobilibus ligavit, ut facile se incurvent et expandant, ope organorum et nervorum ⌜qui afferunt dilatationem⌝[1], quae ipsis adhaerent, ad id quod utilitas operis naturae necessario postulat. Iuxta illos autem natura efficiens necessario formavit et posuit alium digitum, cui sunt quattuor[2] articuli, ad radicem et fundamentum palmae, ut cum in loco suo vertitur ad illos quattuor digitos et curvat se versus illos curvatos, teneant inter se id quod ministerio naturae necessarium est. Sic simul formatae sunt manus et digiti, qui sunt in eis, ut convenienter et secure apprehendant quidquid homo vult, et necessitati

[1] Sic ad verbum. Videtur esse translatio cuiusdam vocabuli graeci cum φορος compositi, et eo designari nervos quos « extenseurs » gallice dicimus. — [2] Sic mss.

totius corporis ministrent et subveniant, non solum ut cibos atque potus ori porrigant, sed insuper ut totam exsecutionem operum necessariam officio suo adimpleant.

* p. 298. * Natura autem sapienter simul et convenienter confinxit et fecit in summis digitis etiam ungues ossibus similes eisque dedit corpus durum et inanimum et insensibile propter hasce rationes: primum quidem, ut homo corpus suum pruriens scalpat sanguinemque suum excitet; secundo autem, ut resistant occursui corporis contrarii et duri ne occurrat et carnem teneram in summis digitis conterat; tertio vero, ut etiam ipsi, qui crescunt sicut capilli et superfluitatem inutilem efficiunt resecentur dum sensibilitate non pollent nec dolorem faciunt. Sic enim creator artifex ungues et capillos, qui in corpore animalium crescunt, condidit eosque inanimos et insensibiles fecit et in corpore vivo ac sensibili plantavit ut, cum nutriuntur et crescunt et incrementum accipiunt in corporibus vivis et sensibilibus, resecentur, ut inanimi et insensibiles, quin dolorem corpori vivo et sensibili moveant. Sunt autem omnes articuli, qui in singulis manibus sunt, viginti [1] numero, et natura illos sic multiplicavit et tenues et parvos fecit, et solvit et relaxavit ligamentis eorum, sicut ecce iam sermo superius ostendit, ut facile se curvent et expandant et apprehendant quidquid homo vult ad usum necessarium. Manus quidem ita omnino formatae sunt natura, et tales, et propter talia.

Simili autem modo duos pedes, qui corpus sustinent, natura ita confinxit et formavit ut facile et absque labore et sine ulla difficultate moveantur et totum corpus de loco in locum deducant; femora vero ligavit et infixit in coxis sub fundamento corporis dum ope pistillorum rotundorum et politorum, qui in acetabulis rotundis et cavis circumaguntur ante et retro facile et laxe moventur, et corpus deducunt et appropinquare faciunt quo vult anima quae illud movet. Genua autem, quae crura femoribus iungunt, fecit anteriora, et * p. 299. curvaturas illas, quae commissurae * vocantur, post illa posuit et condidit ut curvaturae eorum, cum homo genua flectit, ad terram ante corpus sint, non retro sicut illae animalium. Sic

[1] Sic mss.

Deus pedes condidit et formavit, et in eis divisit et posuit, sicut in manibus eundem numerum aequalem, in utroque pede, praeter ossicula quae in eo sunt, digitos quinque et articulos viginti, et ungues similiter in summis digitis ut carnem teneram summorum digitorum tuto custodiant.

Fecit autem Deus artifex et creator in structura corporis humani etiam aliud membrum magnum et valde pretiosum quod inserviat coagmentationi firmae et confirmationi securae totius huius turris, domus hominis seu hominis exterioris. Hoc membrum sermo explanatorius vult convenienter comparare sive cum columna quadam valida ac forti, quae in medio aedificio stat, cui undique innituntur parietes et tecta, et super quam stabilitur et erigitur totum aedificium, et in qua firme colliguntur omnia eius vincula ne disperdatur et dissolvatur et in terram cadat, sive cum arbore illa magna, in media navi fixe erecta et semper perpendiculari, cuius in summitate ponitur totus navis malus et velum linteum quod includit et sustinet venti vehementiam, et super quam extenduntur omnes funes constringentes ac retinentes navem; nam a vertice eius usque ad basim eius continuo extensi sunt ne navis agitetur et declinet a libratione et evertatur in aquas et pereat. Hisce sermo assimilat membrum hoc magnum quod Deus in medio corporis humani fecit; nunc de illo dicere aggreditur vultque illud vocabulis loquelae describere et statuere manifeste coram oculis lectorum aut auribus audientium, illud scilicet quod usu loquendi humano spina nuncupatur. De illa igitur sermo vult disserere et institutionem eius necessariam et symmetricam in corpore humano ostendere. Hanc formavit et fecit artifex infixitque sublimiter recte et permanenter in fundamento osseo quod est super femora et inter coxas, * ad instar eorum quae sermo per comparationem adduxit. Hanc artifex composuit et sapienter formavit ex ossibus minutis et articulis multis, sicut columnam aedificatam ex lapillis parvis ac multis, eaque apte et affabre ligavit ope instrumentorum et liciorum tenuium et nervorum plurimorum, ut virtute polleret se relaxandi et flectendi et inclinandi deorsum quando opus est, et iterum se extendendi et erigendi sursum facile quotiescumque vult homo, qui in hoc corpore habitat, iubens

* p. 300.

illam, sicut omnia corporis membra, officium ipsi debitum adimplere. Hanc artifex posuit et coaptavit ut sit semper erecta et extensa a fundamento illo osseo, quod est super coxis, versus ventrem et pectus et post illa, et intra collum anguste usque ad coniunctionem suam sub radice capitis et apud fundamentum cerebri intra caput.

Artifex autem sapiens intra vertebras illius coaptavit et fecit canalem quendam seu ductum similem intestino tenui in quo extenditur et descendit ipsa medulla ex cerebro hominis usque ad iunctionem suam alteram apud coxas. Ad extremitatem vero huius spinae et in ultimo termino eius inter coxas et super coniunctionem femorum in inguine, artifex apte coniunxit et posuit membrum fructiferum et masculinum, et apud illud formavit canales convenientes atque tenues, a vesica scilicet et a stomacho, et a femoribus et venis et nervis qui istis adhaerent, et a medulla quae est intra spinam, ut a vesicula quidem, quae naturae superfluitatem humidae recipit, stillationem humidam semper accipiat et foras cum urina eiiciat, a medulla autem spinae et a canali stomachi et a ductibus et arteriis, quae sunt apud femora, semen naturae humanae recipiat illudque convenienter effundat in congressibus cum femina quando postulat concupiscentia carnalis, quam artifex
* p. 301. ei naturaliter insevit, et quando voluntas * hominis habitatoris stabilimentum et propagationem naturae humanae appetit. Itaque ex tribus canalibus semen humanum vere derivatur, sicut ii qui sunt sapientes inter physicos et diserti, in libris suis de rebus naturalibus hac de re, tradiderunt et scripserunt semen derivari ex canali qui est intra spinam quae de cerebro descendit, et ex arteriis et ductibus, quae sunt apud femora, tanquam ex virtute naturali et prima corporis, et etiam ex canali, qui est in stomacho, tanquam ex virtute secunda quae naturae per alimenta additur. Quapropter et sermo Scripturae divinae consentire videtur cum narrat de Abraham patriarcha qui ad Eliezer vernam suum dicebat[1]: « Pone manum tuam subter femur meum ut adiurem te per Dominum meum », aut, sicut in aliis exemplaribus: « subter lumbos me-

[1] *Gen.*, XXIV, 2.

os », et de Iacob qui de Iuda filio suo prophetice dixit, cum mente respiceret in visione a Spiritu divino futurum esse ut Christus ex eo secundum carnem oriatur[1]: « Non recedet sceptrum de Iuda nec dux de femoribus eius donec veniat is cui repositus est et servatus principatus, et ipse est exspectatio gentium ».

Haec spina structuram corporis humani firmat et tuto consolidat et in ea incumbit totum huius turris aedificium. Haec contra ventrem et super coxas sola videtur stare, et fortem se gerit sub onere ponderis huius turris. Opifex autem contra stomachum costas osseas formavit quas cum illa ligavit tanquam repagula quae fabri lignarii, qui naves fabricant, in navibus ponunt aut tanquam vectes portis superpositi; et illae curvatae stomachum tuto circumdant ne foras effundatur cum cibo multo et potu plenus est. Coniunxit vero cum spina versus pectus et super costis ossa valida atque firma quae totum pectus et ea quae sunt in illo circumdant a duobus lateribus et ante, ut inserviant securitati et conservationi * cordis et * p. 302. iecinoris et pulmonis, membrorum praecipuorum, et omnium quae apud illa sunt. Collum autem et humeros creator ad hanc spinam alligavit aliis vinculis quae iuguli[2] a nobis vocantur; isti fistulam gutturis circumdant, quae aerem introducit portatque pulmonem, et oesophagum qui cibos et potus deducit ne huc et illuc effundantur sub collo et a ductu et aditu convenienti. Deus vero cum iugulis acetabula iunxit, in quibus pistilli qui brachia tenent circumaguntur et versantur. Rursus, artifex sapiens et peritus supra dorsum spinae, membri firmi et validi, fulcivit et formavit interscapula, quae post humeros sunt, ut auxiliatores sint vinculis acetabulorum et pistillorum, quae in istis sunt, ad confirmationem brachiorum ne cum vertuntur et moventur huc et illuc loco suo prosiliant.

Sic Deus formavit hoc membrum, quod spina vocatur, cui totus corporis modus alligetur et fulciatur. Haec quidem firmiter stat sub capite sicut turris valida et firma quae cubile domini sui sustinet; stat autem pone pectus et stomachum et contra ventrem tanquam murus solidus et immobilis qui fac-

[1] *Gen.*, XLIX, 10. — [2] Ad verbum « claves humerorum ».

tus est tutamen firmum iis qui intra illum habitant. Coxae vero cum illa coniunctae sunt eaque fulciuntur femora ne deficiant et cadant cum attolluntur et moventur ad ambulandum. Neque privantur auxilio eius vel genua et pedes qui remoti sunt ab illa et existimantur sine illa moveri; etenim cum istis iunguntur venae et nervi qui super eam et ex ea oriuntur, et etiam illa quae ex istis incipiunt et ad eam transeunt et adscendunt usque ad cerebrum humanum. Sic sermo ostendit hanc spinam esse membrum praecipuum et necessarium in stabilimento et structura totius corporis.

Sic Deus factor figuram corporis humani formavit illud-
* p. 303. que posuit ut sit domus * atque domicilium securum vero homini, menti, quae in illo ad tempus habitat donec iubeat illud dissolvi qui creavit. In eo etiam differentiam maris et feminae convenienter fecit propter fecunditatem et procreationem filiorum ad stabilimentum generis humani, sicut et sermo divinus sacrae Scripturae nobis tradidit dicens[1]: «Masculum et feminam fecit eos Deus in die quo creavit eos»; et ita creator, opifex eius, condidit eum ab initio creationis eius sicut verbum Scripturae divinae testatum est et affirmavit, dicens: Masculum et feminam fecit eos. Et etiam membra apta ad coitum eis convenienter fecit et insevit illis concupiscentiam quae eos ad hoc, quando volunt incitat, *nempe* ad procreationem filiorum et ad stabilimentum et multiplicationem generis humani, ita ut per coitum et congressum in invicem et per concupiscentiam et amorem qui eos simul iungit, sicut creator sapiens eos condidit, homo det semen humanum ac vivum agro seminato et vivo naturae humanae e canalibus corporis sui, sicut sermo iam superius ostendit, et femina det ex vulva sanguinem vivum et fructiferum ad stabilimentum et compositionem hominis qui, tanquam planta parva ac tenera, quae in terra plantatur et humiditate crescit, tenere plantatur ut fetus parvus in ventre matris suae et gradatim nutritur sicut illa, et crescit et lineamenta demonstrativa accipit et figuratur cum formis naturae humanae, et fit homo completus, similis illis qui eum ex corpore naturae suae genuerunt et plantaverunt.

[1] *Gen.*, v, 2.

Sermo autem haec omnia et talia de figura corporis humani moderate narravit. Quia vero natura efficiens formae corporis hominis dedit etiam nonnullas differentias quae essent ei tanquam proprietates quaedam insignes et speciales magis * quam * p. 304. ceteris animalibus, quae sunt super terram, ad significandum simul maiorem honorem et principatum, qui partiti sunt ei a creatore eius in forma structurae eius, in illas sermo parum incumbet, ostendens clare et magis particulariter unumquodque ex membris, in quibus hae differentiae inveniuntur, esse speciale et diversum ab illis animalium.

1. Primum quidem natura hanc proprietatem homini dedit quod, dum omnibus animalibus ambulantibus quattuor pedes dedit, illi duos pedes tantum fecerit; et dum omnibus animalibus plantas rotundas fecit, pecoribus quidem duras atque solidas sicut lapides et ligna, feris autem plantas molles, divisas et pilosas, homini plantas teneras et carneas et firmas et in priorem partem extensas dederit tanquam bases columnarum productas, quibus sunt digiti et ungues in fine terminorum earum et calces fulcientes in posteriore earum parte.

2. Fecit etiam hanc proprietatem corpori humano quod, dum omnia iumenta pedes priores, quibus sunt genua, subter ventrem ponunt cum recumbunt super eis, et genua antrorsum ponunt, et rursus ferae pedibus posterioribus considunt et pedibus prioribus tanquam manibus innituntur, homo genua antrorsum curvet sive cum genuflectit ut creatorem suum adoret, sive cum coxis considit ponitque ante manus suas genua, quae habet mensae instar et super quae omnia sibi necessaria et utilia facit.

3. Proprium etiam corporis humani hoc est quod, dum omnes ferae ungues angustos et productos a natura possident, obtigerint ei ungues molles et lati et teneri et figura ex parte rotundi.

4. Proprium autem hominis est prehendere manibus suis quidquid vult eisque facere et perficere omnia sibi utilia, etsi ferae ex parte habent ut * manibus suis apprehendant id quod * p. 305. volunt, sicut leo et canis aut ursi et simii qui maiorem similitudinem cum homine habent tum in manibus tum in pedibus.

5. Proprietas etiam hominis est, quae eum esse dominum si-

gnificat, quod dum omnia animalia a natura habent velamen operiens corpus suum, ipse solus naturaliter sit sine velamine operiente corpus suum, ita ut tanquam dominus nobilis, qui potestatem in omnia habet, velut artifex sapiens et ingenio fecundus ex animalibus vestimentum sibi aptum convenienter conficiat, ex ovibus scilicet et capris et aliis, illudque induat quando vult et opus habet, modo operiens illo pudenda sua, modo calefaciens se, modo se ornans, et rursum exuat illud quando vult, et sit in quiete et in honore.

6. Proprietas autem hominis etiam haec est quod mammae ei formatae sint in pectore et iuxta cor, dum natura efficiens mammas inter pedes posteriores omnibus aliis dedit.

7. Rursus proprietas insignis et specialis corporis humani est quod statura recta atque extenta data sit ei a natura inter omnia animalia quae sunt super terram, velut turris alta et recta quae inter aedificia multa sibi inferiora stat, et altior eis apparet tanquam in ea dominium habens; et etiam quod intuitus oculorum eius sursum et versus caelum semper tendat, ut, cum opera Dei contemplatur eorumque pulchritudinem et magnitudinem miratur, ex eis coniecturaliter et ordinate intellegat et discat, quantum possunt creaturae assequi et cognoscere, virtutem et sapientiam creatoris sui.

8. Proprietas hominis, in statu figurae corporis eius, haec etiam est quod habeat vultum rotundum et caput sphaericum et grave, etsi quaedam ex animalibus irrationabilibus, leo, in-
* p. 306. quam, et tigris et pardus, et fortasse alia eiusmodi, * similitudinem quandam vultus humani aut imaginem rotunditatis capitis eius ex parte referunt.

9. Proprietas hominis, praeter has omnes modo enumeratas, etiam est quod per diversas aetates incrementi corporis sui, pilos in inguine proferat ad cooperienda pudenda, et simul aut paulo post in axillis; et quod postea, ad indicationem staturae completae, maribus quidem nascatur barba super maxillis et sub ore ad ornamentum simul et ad significandum dominium viri in mulierem, feminis vero gignantur mammillae in pectore quae manifestarent cupidinem coniugii cum viris et essent vasa convenienter apta ad fontem cibi proli naturae humanae utilis.

10. Multo praestantius quam omnes hae proprietates corporis humani est quod caput eius semper sit supra omnia membra eius, dum omnia animalia caput deorsum inclinant, et per hoc aperte ostendunt se esse subiecta homini et eum esse regem atque principem super ipsa.

11. Rursus, hoc [proprium est hominis] quod, dum totum corpus eius sine pilis est, habeat super caput tanquam coronam quae situ suo et ornamento suo pulchro principatum hominis super omnia animalia, quae sunt super terram, indicat.

12. Rursus haec est proprietas insignis et specialis solius hominis quod capilli eius tempore senectutis canescant, et non solum capilli capitis et barbae, sed etiam illi pauci ac breves qui sunt in toto corpore humano, dum crines corporis omnium animalium, quae sunt super terram, tempore senectutis non canescunt.

Istae sunt differentiae et proprietates speciales et insignes, quas natura corpori humano dedit in constitutione eius a creatore, ut per illas manifeste distinctum sit ab omnibus animalibus quae sunt super terram. Forsan autem si quis amore laboris ulterius investigaret, aliae proprietates inveniri possent
* quae naturales sunt structurae solius corporis humani nec * p. 307.
inveniuntur in animalibus irrationalibus quae creator super terram creavit. De forma quidem corporis humani, — *quod est* domus et tabernaculum terrenum a Deo creatore conditum in habitaculum hominis veri quem ad imaginem suam creavit, aut mundus magnus qui positus est in parvo hoc mundo, aut parvus qui conditus est in mundo hoc magno qui formaliter ex caelo et terra et eis quae in medio sunt videtur et definitur, aut quocunque modo velit quis illud convenienter considerare vel vocare : hominem exteriorem aut domum luti, aut tunicam carnalem, aut vestem corruptibilem, aut opus completum compositum et solubile, aut nescio quid illud vocem, quia scilicet talibus nominibus rationaliter appellatur, — et de proprietatibus naturalibus et insignibus quibus distinguitur et differt ab omnibus animalibus et volatilibus et ab omnibus reptilibus quae reptant super terram, haec omnia dicta sint.

Haec est domus parva quam Deus fecit menti, vero homini, quem creavit ad imaginem suam, ut in illa habitaret, in domo

magna, hoc nempe mundo qui constitutus est ex caelo (et terra)[1] et eis quae sunt in illis. Quia vero de homine illo exteriore, qui vocatus est mundus parvus in magno vel, propter mirabilitatem suam, mundus magnus creatus et conditus in mundo parvo, sermo pro viribus suis satis disseruit mediocriter loquendo de eius creatione et figura et de formatione membrorum eius et de differentiis quae in eo sunt; agedum de illo homine interiore, de mente, inquam, quam Deus ad imaginem suam et similitudinem suam creavit, sicut verbum eius tradidit, loquamur, quantum sermo noster potest ea quae superant vires suas audacter aggredi et velle tractare. Quae sunt supra captum et principium rationis nostrae, convenienter desuper nobis accipiamus. Deus, creator fortis et omnipotens, qui in omni quod vult facere, virtutem habet voluntati suae coniunctam, qui verbo virtutis suae et nutu tantum voluntatis * p. 308. suae a nihilo * ad existentiam facile transire fecit et adduxit omnes creaturas, visibiles et invisibiles, cum creavisset et fecisset mentes immateriales secundas, similitudines mentis magnae et primae naturae suae, et condidisset lumina secunda, effigies luminis magni et primi essentiae suae, et fecisset eas libero arbitrio praeditas in natura creationis earum intellectuali, quae immunis est ab omni vinculo et subiectione materiae, voluit facere et creare mirabiliter ad imaginem et similitudinem suam etiam aliam mentem quae, sicut illae, liberum arbitrium et libertatem a creatione sua habeat, quae, si velit, quanquam sub pondere materiae hostilis ligata, voluntate sua seipsam servet apud similitudinem exemplaris sui incorruptibilis et fiat correptrix mentium illarum quae obscuratae sunt et adversariae lucis creatricis suae voluntarie factae sunt.

Itaque propter hanc causam Deus, necnon ut rationem bonitatis suae et magnitudinem virtutis suae et divitias sapientiae suae manifestaret, voluntarie venit ad creandum hunc hominem intellectualem, affinem angelis incorporalibus et immaterialibus, et ipse se incitavit et movit ut mentem humanam seu animam hominis ad imaginem et similitudinem suam faceret, et includeret eam in luto de materia corporali, atque

[1] Vox supplenda; cf. supra, p. 261, l. 28.

omnes mentes rationales et angelicas, quae ante eam creatae fuerant, dum compositionem mixturae eius contemplantur, in stupore de ea et in admiratione eius statueret. Verumtamen, ut sermo noster perspicuus et clarus sit [virtutemque illuminantem ex verbis Scripturae sanctae accipiat], cum verbis de creatione animae ipsa verba de creatione hominis iterum sumemus, — quae Deus dixit ad eos qui sunt ex ipso et cum ipso aeterni et sine initio et factores ac creatores omnium sicut ipse, cum in creatione hominis manifestare voluit lumen gloriae suae et scientiam perfectam de illo, quasi in re honorabili et valde * grata sibi, — verba nempe quae ex supraditis rursum sumemus. * p. 309. Dixit enim Spiritus, scriptor Scripturae sacrae: « Dixit Deus », postquam hunc mundum fecit et formavit, de homine quem creaturus erat: « Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram, et dominentur piscibus maris et volatilibus caeli, et iumentis, et universae terrae, et omnibus reptilibus quae reptant super terram ». Haec Spiritus Deus nobis scripsit atque tradidit tanquam proprium sermonem Dei creatoris hominis. Deinde dicit ipse Spiritus[1]: « Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit illum; masculum et feminam fecit eos. Et benedixit illis Deus, dicens: Crescite et multiplicamini et replete terram, et sitis in eam domini, et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli, et omnibus iumentis, et universae terrae, et omnibus reptilibus quae reptant super terram. » Superius quidem sermo noster haec verba Scripturae sanctae sumpsit ut eis ostenderet honorem creationis hominis maiorem esse honore omnium animalium quae ante eum super terram creata sunt; hoc autem loco sermo noster illa rursus adduxit ut eis [manifestet] apperteque demonstret quis sit qui ad imaginem et similitudinem Dei creatus est, corpus hominis an anima? et quae sit effigies animae et similitudo quam ad Deum habet. Dixit enim: Faciamus hominem ad imaginem nostram et ad similitudinem nostram. Nunc si haec verba divina et mystica humano modo et secundum usum sermonis nostri humani intellegimus, non possumus dicere imaginem esse Deo neque similitudinem. Quaenam

[1] *Gen.*, I, 27-28.

enim similitudo praedicari potest de essentia naturae quae est omnino incorporalis et invisibilis et penitus incomprehensibilis, incogitabilis et ineffabilis? Verum illis verbis clarum et apertum est non naturam hominis corporalem et materialem dici esse ad imaginem et similitudinem Dei qui est absque imagine et absque similitudine, sed ipsam naturam intellectualem et incorporalem * p. 310. animae invisibilis, quodcumque * sit anima; nam difficile est nobis cogitare et declarare illam, seu mentem quam Deus ad imaginem et similitudinem suam creavit sicut omnes mentes angelorum, dum per nomina imaginis et similitudinis audimus et intellegimus quod Deus creator ad exemplar et similitudinem rerum suarum eximiarum et bonarum fecit et assimilavit mentes rationales et immateriales et subtiles virtutum illarum spiritalium, et etiam mentem humanam, seu animam, quantum potest natura creata ac facta similis fieri naturae creatoris sui increatae et incomprehensibili.

Quia vero sermo res Dei appellavit eximias et bonas cum nescit quid aut quomodo loquatur nisi adhuc utatur nominibus et terminis quae apud nos sunt, agedum dicamus quae sint bona quae cogitamus esse Deo, quibus figuravit et signavit, ut ita dicam, mentem humanam, et quibus ista dicitur esse imago et similitudo Dei.

1. Primum, postquam cogitamus et intellegimus Deum esse sine initio, aeternum et ab aeterno, et incomprehensibilem creaturis, dicimus eum esse intellectualem, invisibilem et incorporalem, quin immo non-intellegibilem et non-comprehensibilem, neque eum a mente apprehendi, etsi paulum ex parte et subobscure imaginatur. In his similem fecit[1] Deus creator mentem cum creavit eam, et in eis ea dicitur esse imago eius. Itaque ipsa mens dicitur et est intellectualis, invisibilis et incorporalis.

2. Deus proprie et perfecte dicitur et est omnino infinitus ac incomprehensibilis; etiam in istis Deus mentem humanam similem fecit eamque in hoc imaginem suam fecit. Et ipsa quoque ex parte et aliquo modo dicitur infinita et incomprehensibilis quia non potest a nobis concludi nec apprehendi ut non vagetur.

[1] Sic legendum, ut paulo inferius (l. 23); vide correctiones.

3. Deus dicitur et est subtilis et levis et acutus et videns omnia. Et etiam in istis assimilata est mens humana in sua creatione, et dicitur * esse imago et similitudo Dei; et ipsa quoque est subtilis et levis et acuta in natura sua, et videns omnia per phantasiam. * p. 311.

4. Deus dicitur et est bonus et iustus, quia ipse solus habet bonitatem praestantissimam, et ideo dixit[1]: « Non est bonus nisi unus Deus »; et naturaliter possidet iustitiam et aequitatem quae super montes exaltatur, ut verbis Psalmistae utar[2]. Quapropter dicebat ad Patrem suum[3]: « Pater mi, iustus es et mundus te non cognovit ». Et etiam in istis similitudinem suam mentem humanam fecit, seu naturam animae, et dicitur in illis esse imago creatoris sui; et ipsa ex parte vocatur bona et iusta, si pro viribus suis similitudinem partialem ad exemplar suum, quae in his est, servare curat.

5. Deus dicitur et est robustus et fortis et omnipotens; et etiam horum imaginem et similitudinem fecit Deus mentem humanam. Et ideo posuit in ea iram et zelum quae roborant et ad fortitudinem incitant. Et etiam in istis anima dicitur ex parte esse imago factoris sui; nam propter hoc homines dicuntur imagines Dei et imitatores, et fiunt fortes voluntate sua, et pondus infirmorum sustinent.

6. Deus dicitur et est misericors et amans hominum. Etiam istis figurata est mens humana a creatore suo et habet similitudinem, et dicitur esse imago Dei in illis. Et ei posita est lex naturalis in illis ut proximum suum sicut seipsam diligat; et ex parte dicitur et est misericors, si curat servare imaginem eius et diligere proximum suum sicut seipsam et diligere aequales suos. Quapropter et Christus ad discipulos suos dicebat[4]: « Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est ».

7. Deus naturaliter dicitur et est sapiens et cognitor omnium. Et haec posuit Deus creator in mente humana eamque istis signavit et figuravit per similitudinem; et homo dicitur esse in eis imago Dei, et ipse etiam vocatur cognitor et sapiens ex parte et participative * cum exemplar suum contemplari stu- * p. 312.
det ut ex illo splendores scientiae et sapientiae recipiat et res intellegat.

[1] Marc., x, 18. — [2] *Ps.* xxxv, 16. — [3] Ioh., xvii, 25. — [4] Luc., vi, 36.

8. Deus dicitur et est purus et sanctus et mundus ab omni macula et pollutione, perfecte et quam maxime. Et etiam horum imaginem et similitudinem fecit Deus mentem humanam, quae dicitur pura ac sancta secundum mensuram, prout possibile est creaturis, cum studet pro viribus suis mundare se ab omni macula et pollutione tum carnis tum spiritus.

9. Deus dicitur et est mali et peccati expers et odio habens omnem malitiam et iniquitatem. Et etiam haec insevit et signavit similiter in configuratione mentis humanae ad seipsum, et fecit eam inimicam malitiae et inimicam iniquitatis. Et ipsa dicitur esse imago et similitudo Dei in illis, quia habet intra seipsam conscientiam iudicem quae ab his abhorret, etsi aliquando vacillet et ad ea voluntarie inclinet.

10. Deus vere dicitur et est mitis et humilis et pacificus et longanimis et immemor malitiae et non servans odium et non irascens in aeternum. Et etiam horum imaginem et similitudinem fecit Deus mentem humanam, quae figurat eum in illis si velit, et per illa fit et dicitur imago et similitudo Dei, cum est mitis et suavis et humilis et pacifica et longanimis, et immemor malorum et non servans odium conservis suis. Et ideo Christus, ipse mitis et humilis et pacificus, ad discipulos suos dicebat[1]: « Respicite in me et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris ».

Isti sunt colores lineamentorum effigiei et similitudinis mentis humanae ad Deum, creatorem suum, quibus et anima et mens hominis dicuntur esse ad imaginem et similitudinem Dei factoris sui. Rursus, ut paucis verbis illos colores includam ad intellegentiam eorum qui discere volunt, hi sunt: Mens est intellectualis, invisibilis et incorporalis in similitudinem crea-
* p. 313. toris sui; est indefinita, inapprehensibilis, subtilis, levis, * acuta, et videns omnia a longe per phantasiam; habet bonitatem, iustitiam, robur, fortitudinem, misericordiam, philanthropiam, scientiam, sapientiam, intellegentiam quae aedificatur operibus Dei, puritatem, sanctitatem, remotionem ab omni macula et pollutione carnis et spiritus; nec malitiam nec iniquitatem *habet,* sed odio habet omnem malitiam et iniquitatem; *habet*

[1] Matth., xi, 29.

mansuetudinem, humilitatem, pacem, suavitatem et longanimitatem; non autem memoriam mali nec custodiam irae in corde. Hi sunt colores effigiei divinae mentis humanae, et rursus, una cum istis, quod Deus posuit eam caput et principem super omnes creaturas sensibiles, et dedit ei liberum arbitrium et libertatem sui ipsius, et fecit ut dum invisibilis est et locus eius non cognoscitur, praesens sit et omnia membra corporis impleat, et operetur et regat et moveat illa omnia quando vult et sicut vult, quemadmodum Deus implet omnes suas creaturas et operatur et regit et movet illas omnes aequaliter quando vult et sicut vult, dum non apprehenditur nec continetur nec cognoscitur ubi sit. Rursus, una cum istis, id maximum est in imagine et omnia superat, quod ad exemplar suum semper respiciat et ab eo illuminetur, et quando anima ad exemplar suum venit commisceatur ei sicut lumen lampadae quod de flamma sumptum cum ea iterum commiscetur. Et *habet* quod, dum est creata et initium existentiae accepit, immortalis sit et incorruptibilis et sine fine et in aeternum.

Haec est imago perfecta mentis humanae quoad Deum creatorem suum; et haec est vera et propria et exacta similitudo imaginis animae humanae quoad exemplar, factorem suum. Nunc verba, quae prius ex sacra Scriptura allata sunt de creatione homnis, notitiam nobis dederunt totius naturae humanae simul et potestatis quae concessa est * ei a creatore super universam creationem sensibilem. Quia vero verbum de unione et compositione eius eo loco in sermone nostro necessarie ponendum est, oportet illud accipiamus ex eadem Scriptura sancta ponamusque nobis ut fundamentum eorum quae postea dicturi sumus. De hac igitur sic dixit sacra Scriptura[1]: «Et formavit Deus hominem pulverem de terra et spiravit in faciem eius halitum vitae, et factus est homo in animam viventem ». Verba quidem priora nobis indicaverunt Deum fecisse hominem ad imaginem suam et similitudinem suam; haec autem nunc docuerunt quid sit corpus hominis exterioris aut domus hominis, et etiam ostenderunt et significaverunt nobis quid sit anima, homo verus; nam *Scriptura* corpus quidem vocavit pulverem et signi- * p. 314.

[1] *Gen.*, II, 7.

ficavit nobis simul unde Deus formator eius illud sumpsit, animam autem convenienter appellavit halitum vitae. Nunc non dixit sicut prius: Fecit, sed: Formavit, dum illud: Formavit, aperte ostendit corpus hominis esse lutum formatum ex pulvere et aqua. « Formavit, ait, pulverem de terra, et spiravit in faciem eius halitum vitae ». Corpus quidem creatorem mutuatum esse a terra illa prius creata evidens est; halitum autem vitae ipse ex seipso addidit immisitque in plasmatione. Igitur Spiritus Dei halitum vitae, sicut dixi, vocavit animam quae a Deo creata est secundum imaginem et similitudinem eius; et ideo postea etiam subiunxit: « Et factus est homo in animam viventem ». Etenim halitus vitae seu spiritus vivens nihil aliud est nisi anima viva quae operatione sua corpus, cui coniuncta est, movet. Illud autem: « Spiravit in faciem eius », quod dixit Spiritus, hanc habet significationem: Quemadmodum apud nosmetipsos is, qui in faciem proximi sui spirat, non aliunde spirat in faciem socii sui, sed ipse ex seipso propria potestate afflatum spiritus in faciem recipientis immittit, sic et Deus factor, cum hominem creavit, ex seipso
* p. 315. posuit in eo animam * viventem quae in suis imago facta est, et praeter alia, etiam in hoc quod est vivens de vivo et vivificante et largitore vitae, et intellectualis de intellectuali, et immortalis de immortali.

Animam quidem rationalem et intellectualem et incorporalem esse a creatore Deo intellectuali et incorporali, non solum Scriptura sancta Spiritus divini testatur, sed etiam vir quidam ex Hebraeis, homo disertus et sapiens et celebris[1], qui omnes animas appellavit filias Dei, non tantum quia vidit eas esse intellectuales ex intellectuali, sed praetera quia considerabat dilectionem patris earum erga illas decies millies superare dilectionem parentum, qui in hoc mundo sunt, erga filios et filias. Neque intempestivum est sententiam quorundam ex profanis[2] Chaldaeorum et Graecorum iuxta nostram ponere, nam eadem vera docet atque confirmat. Etenim quidam ex eis, nos-

[1] Philonem alex. designare videtur. Recordare tamen Platonem a nonnullis antiquis scriptoribus vocari ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος (CLEMENT. ALEX., *Strom.*, I, 1. *Patr. Gr.*, t. XI, col. 697). — [2] Ad verbum: « qui sunt extra domum nostram ».

tra imitati, dixerunt et narraverunt de deo Belo[1], eum fecisse hunc mundum, et cum separasset et formasset caelum et terram et ea quae in medio sunt, venisse, adhaerendo sententiae nostrae, ad hoc ut faciat hominem, sicut et Moyses dixit et scripsit; et dum apte et mystice scribunt et affirmant, ad verbum haec dicunt[1]: « Hic deus, Belus, cum praecidisset caput suum, sanguinem manantem alii dii cum terra subegerunt et formaverunt homines, qui idcirco intellegentia praediti sunt et divinae sapientiae participes. Belus vero, quem interpretantur Iovem, scissis tenebris e medio, caelum et terram ab invicem separavit; belluae vero, non sustinentes vim lucis, perierunt. » Eo loco belluas, quae perierunt, videtur appellare virtutes rebelles diaboli et daemonum, quae factae sunt adversariae Dei creatoris sui. « Cum autem Belus, aiunt, regionem desertam et vacuam, attamen fructiferam, vidisset », et de terra, ut videtur, loquitur, « cuidam ex diis imperavit ut cum sanguine, qui e suo capite abscisso deflueret, terram subigeret atque fingeret homines et belluas * qui aerem sustinere possent. Perfecit autem ipse Belus stellas et solem et lunam et quinque sidera errantia ». * p. 316.

Haec, quoad sensum, similitudinem quandam proximam cum sermone nostro aliquo modo habent, nec valde remota sunt a verbis veritatis; docent enim et affirmant quasi partem quandam de Deo esse in hominibus, et esse intellectuales quosdam de Deo intellectuali genusque eorum esse a Deo, quemadmodum quidam alius ex eis dixit et statuit eos participes esse sapientiae divinae; et ei, qui divinam sapientiam participant, per eam imago Dei merito dicuntur. Quod enim usurpant vocabula, caput et sanguinem, nobis solita, et dicunt deum praecidisse caput suum, et sanguinem ex eo manantem cum terra subegisse et homines finxisse, nihil aliud demonstrat nisi Deum in figmento hominum partem quandam ex se posuisse ut scientiam et sapientiam ipsius participarent. Igitur sapientiam Dei, quam homines spiritales et intellegentia praediti participant, qui facti sunt ad imaginem et similitudinem Dei

[1] Quae hic de Belo recitat sumpsit ex Eusebii *Chronico* (I, II). Textus graecus apud GEORG. SYNCELLUM (ed. Bonnae, 1823; I, p. 53).

spiritalis, accepta spiratione Dei, quid aliud quis censere debet revera esse nisi Spiritum divinum et sanctum qui est animator et vivificator omnium animarum, mentium rationalium, qui a Scriptura vocatur et denominatur sapientia Dei?[1] Etenim quanquam multi ex doctoribus Ecclesiae, verborum divinorum sacrae Scripturae interpretibus, hunc locum: Spiravit in faciem eius halitum vitae, quem Spiritus de formatione hominis dixit, de creatione animae intellegunt, attentis eis quae sequuntur: Factus est homo in animam viventem, tamen ille qui animam egregiam a Deo sortitus est, beatissimus, inquam, magister magnus et thesaurus verborum Spiritus, Cyrillus, de participatione Spiritus sancti posuit locum qui dicit: Spiravit in faciem eius halitum, et sic verbis suis statuit *p. 317. * et de eo confirmavit, aperte dicens[2]: « Spiratio quam Deus in Adam spiravit vere finxit eum hominem, et ecce, ait, hanc videmus et dicimus esse participationem Spiritus sancti. »[2] Ergo si, iuxta sententiam viri huius inspirati, spiratio Dei hominem vere finxit, et *si* hanc statuit esse participationem Spiritus sancti, clare visum est et demonstratum hanc esse imaginem veram et similitudinem accuratam cum Deo qui nos ad imaginem suam fecit, ut menti rationali et cogitanti semper sit participatio et operatio Spiritus divini qui animas rationales Deo conformatas perpetuo illuminat mentesque earum omni tempore purgat et mundat ut radios et fulgores scientiae divinae accipiant.

Verum quia Deus nos libero arbitrio praeditos fecit et in libera nostra voluntate fixe et continuo habemus ut quo voluerimus tendamus, sive ad bonum mens nostra se inclinat, sive ad malum; et creator et gubernator nos coacte non ducit, etsi vult salutem nostram et nos omni via modoque ad hoc adiuvat, si nos voluntate nostra libera mentem nostram sicut speculum poliverimus ad accipiendum in anima nostra lumen participationis Spiritus divini, vere erimus imagines Dei quemadmodum creati sumus. Quod si animum nostrum corruperimus et mentem nostram a splendoribus luminis scientiae creatoris et a fulgoribus lucis mandatorum et legum Dei averte-

[1] I *Cor.*, II, 10, 11. — [2] Cf. *Patr. Gr.* t. LXXVI, col. 540.

rimus et ad desideria carnis et ad dolos fallaciasque tenebrarum huius mundi nos converterimus, statuemus nosmetipsos non esse imagines Dei sicut creati sumus, et ostendemus nosmetipsos remotos et alienos a participatione et operatione Spiritus divini qui datus est nobis in nostra creatione. Sic in creatione hominis bonum a Deo datum est, et hoc bonum non est firmum nec permanens, quia non in natura insitum est sed in voluntate positum est, et illud, quod quasi imago omnia bona continet, est in nobis mobile * et sine permanentia *p. 318 propter nostram cum luto coniunctionem et propter voluntatem nostram malam, quae a pueritia ad mala posita est, et propter peccatum quod in nos dominatum est.

Itaque ex verbis veritatis, quae Spiritus in sancta Scriptura scripsit et tradidit, demonstratum est quid sit imago animae quoad similitudinem Dei, et qui sint colores qui mentem perficiunt et servant sine pollutione et sine corruptione, et ea quae Deus in creatione hominis mirifice commiscuit ut virtutem et sapientiam suam divitiasque bonitatis suae infinitas manifestaret, et in admirationem hominis eiusque compositionis incomprehensibilis omnes mentes rationabiles antea creatas moveret, esse diversa et alia specie et penitus dissimilia essentia ac natura. Spiritus lutum et spiritum simul commiscuit, non naturam aeris[1], inquam, sed naturam intellectualem et incorporalem quae coniuncta est simul et composita in compositionem stupendam admirationeque dignam. Unam naturam conflatam ex quattuor corporibus, ex terra, dico, et aqua et aere et igne, visibilem et palpabilem trinamque mensuris, atque alteram naturam spiritalem, intellectualem et immaterialem, Deus perite et sapienter collegit et ad compositionem simul adduxit, et unum animal, compositum et mirabile, hominem, ex naturis contrariis et dissimilibus formavit. Has naturas ab invicem remotas et separatas specie et distantia magna et incommensurabili appropinquare fecit, et ex eis unam naturam compositam et commixtam absque confusione scilicet et absque mutatione composuit; et hae naturae adeo commixtae sunt ineffabiliter et mirifice ut quid unum vere

[1] Eadem vox syriaca rūḥa « spiritum » et « ventum » significat.

sint et dicantur, et omnes utriusque proprietates proprie sint totius compositi, etsi notae sunt et servatae incommixtae. Deus in initio huius mundi naturam visibilem et naturam invisibilem simul prius coniunxit, ut in antecessum, puto, viam ad * p. 319. magnum mysterium calcaret illudque, cum factum fuerit, * credibile et acceptabile redderet. Hoc mysterium, si est hic scrutator et inventor absconditorum, ex verbis illis de stabilimento et compactione naturae illius compositae, hominis, Deus, qui hominem ex rebus diversis et dissimilibus creavit et composuit, videtur prius considerasse. Deus, hominis creator, qui omnia antequam fiant novit, praevidit et praescivit hominem peccaturum et lapsurum et amoturum esse ab ipso totum genus humanum, seipsum autem descensurum esse et exaninaturum esse seipsum propter inventionem et salutem imaginis suae. Et prius fecit, ut typum et figuram viae suae et mysterii adventus sui, compaginem hominis ex naturis contrariis, quae esset similitudo et exemplum conveniens unioni naturae suae cum natura humana, quae prius creata est ad imaginem et similitudinem ipsius et prius composita fuit ex naturis diversis et dissimilibus, et in hoc etiam expressit imaginem quae esset exemplum commixtionis et compositionis eius cum illa, quam unionem facturus erat propter salutem hominis.

Hoc mysterium prius figuratum est et depictum per commixtionem hominis, scilicet unio Dei cum humanitate. Hoc exemplum prius delineatum est et praeparatum per compositionem animae cum carne, quae esset similitudo et exemplum clarum et perspicuum compositioni Dei, creatoris hominis, cum carne, quando venturus esset propter salutem eius. Quapropter cum ipse creator hominis et figurator typi venisset et mysterium complevisset, mystae Ecclesiae nihil aliud sumpserunt ad illustrandam incarnationem Dei eiusque compositionem cum carne animata naturae humanae nisi compaginem hominis qui, ex naturis diversis factus, per hoc figuravit typum unionis naturarum remotarum simul et diversarum, creatoris, inquam, et creaturae, quae simul uniuntur et constiuunt unam naturam compositam, et unam hypostasim commixtam et indivisibilem, et unam personam, Dominum Christum, eundem hominem et Deum, et unam completionem commixtam et compositam,

Deum-hominem, quae completa est unione mirabili atque indivisibili; et cum * Deus esset simplex, factus est Deus compo- * p. 320. situs propter salutem hominis compositi.

Ita Deus opifex typum et exemplum unionis suae cum carne animata per compositionem imaginis suae cum carne viva, praefiguravit atque delineavit. Etenim quia nos, qui facti sumus homines anima praediti in imaginem eius, cum passionibus carnis nosmetipsos subiecimus, omnes carnales facti sumus, necessarium fuit ut ipse Deus, qui erat spiritalis, sine carne et sine corpore, caro fieret propter hominis salutem eumque a passionibus carnis liberaret, dum eum facit per unionem secum spiritalem et divinum, quin immo dat ei ut sit et appelletur deus, sicut olim a serpente inimico suo seductus concupiverat et quaesiverat fieri. Sic natura hominis ex his contrariis composita est, ex pulvere et spiritu, ex anima et corpore, ex visibili et invisibili, ex sensibili et intellectuali, ex corporali et spiritali, ex dissolubili mortalique et ex immortali sempiternoque. Et hoc erat mysterium compositionis eius, quemadmodum sermo illuminatus ostendere potuit. Quia vero, una cum illis mysteriis, quae sermo modo patefecit et ostendit de hominis compositione, nempe quod homo in admirationem rapit mentes spiritales et rationales sibi cognatas quae, commixtionem eius miratae, sapientiam creatoris celebrant, et quod ipse per compositionem suam compositionem Dei cum carne figurat, ratio aliud mysterium subtiliter et explorato intuetur quod creator peritus sapienter confinxit, hoc etiam sermo declarabit.

Verumtamen quia verba Gregorii, qui divina vere loquutus est, illuminatione divini Spiritus prolata sunt, et ipsa mysterium maxime exponere possunt, haec sermo noster nunc vult accipere quibus ostendat id quod vidit. Dicit enim alicubi, cum vult de creatione hominis tractare, ita[1]: « Enimvero mens iam et sensus, sic inter se discreta, intra * fines suos mane- * p. 321. bant et maiestatem Verbi, creatoris sui, in seipsis ferebant, taciti laudatores insignis eius opificii et canori praecones. Nondum autem ex utroque temperatio ulla erat aut mixtio ex his

[1] *Patr. Gr.*, t. XXXVI, col. 629.

contrariis, quae sublimiorem sapientiam et naturae divitias exhiberet, nec omnes bonitatis divitiae spectatae erant. Hoc igitur cum artifex Verbum ostendere voluisset, animal unum ex utroque, ex visibili, dico, et invisibili natura, hominem creat; atque e materia quidem, iam ante producta, sumpto corpore, a se autem insita vita, quod quidem intellectualem animam Deique imaginem Scriptura agnoscit, velut alterum quendam mundum, in parvo magnum, in terra collocat, angelum alium, mixtum adoratorem, sensibilis creationis spectatorem, intellectualis mystam, eorum quae in terra sunt regem, superis autem subditum, terrenum et caelestem, caducum et immortalem, visibilem et intellegibilem, medium inter magnitudinem et humilitatem, eundem spiritum et carnem, spiritum propter gratiam, carnem ob elationem; illud quidem ut maneat eumque cuius beneficiis honoratus est, concelebret; hoc autem ut vexetur ac vexatus admoneatur et erudiatur; animal hic gubernatum atque ad alium locum demigrans, et, quod extremum mysterii est, animi ad Deum propensione divinitatem consequens. Eo enim mihi veritatis splendor ille, qui hic exiguus est, tendit ut Dei claritatem et videam et diligam, quod dignum est eo qui simul constringit et dissolvit, ac rursus excellentius sublimiusque constringet ». Istis revelatum est tertium illud mysterium, ut anima rationalis et cogitatione praedita, cum videt corporis, cui unita est, infirmitatem et patitur cum eo omnia eius tanquam sua propter mutuam coniunctionem, et eruditur eis quae patitur, et discit eorum, quae hic sunt, mobilitatem et instabilitatem, fugiat ea quae non stant nec permanent et adhaereat eis quae stant et permanent et finem non habent, servans cum levitate sua pondus eius cui ligata est
* p. 322. secundum consilium Dei creatoris qui * ea simul coniunxit ut simul servarentur propter imaginem suam quae in eis figurata est et delineata. Igitur mysterium de compositione hominis et mutua unione animae et corporis, quae patefaciunt consilium Dei creatoris qui ea ad hoc constrinxit, haec sunt secundum sermonem manifestum.

Quia vero vocabulum et auditus « animatio » non dicuntur simpliciter nec uno modo, neque eius facultates ubique et de omnibus eaedem sunt, sermo in eis rursus parum incumbet.

Profani animationem praedicant de hominibus rationalibus et de animalibus irrationalibus, et etiam de arboribus et plantis, et, ut breviter dicam, animationem praedicant de omni quod habet vim nutritivam et augmentativam, et statuunt illud animam habere. De arboribus quidem et plantis et de omni quod habet facultatem germinandi ex terra et proferendi semen constituens genus suum, ut ait sacra Scriptura, unam tantum facultatem praedicant, quam vocant nutritivam et augmentativam. Patet enim quod nisi haec species naturaliter haberet vim recipiendi nutrimentum illudque in se vertendi ex terra et aqua et aere et igne, quibus, cum in ipsam ingrediuntur, nutritur et auget corpus suum, crescendo et proferendo ramos et folia et fructus, animam de illa non praedicassent quemadmodum non praedicant animam de lignis siccis et de lapidibus quae non nutriuntur nec crescunt. Quia vero illa nutriuntur et crescunt corpusque suum augent, dicunt ea esse animata et affirmant animam esse illis, non quidem animam completam, sed pollentem una facultate, nutritiva, dico, et augmentativa. De animalibus autem et volatilibus et de omni reptili quod super terram reptat duas facultates animationis praedicant, illam nutritivam et augmentativam quae plantis inest, et illam sensitivam et locomotivam quae demonstrat ea esse viventia, et idcirco ea denominant animata, et affirmant animam esse illis, non quidem deficientem * [* p. 323.] et minorem sicut animam plantarum quae unam tantum facultatem habet, sed magis completam quam illam et duabus facultatibus simul pollentem, illa nutritiva et augmentativa et illa sensibili et locomotiva; non tamen est completa. Dicunt enim iram et concupiscentiam esse animae eorum, et ideo appetunt et quaerunt et rapiunt cibum, et minantur et irascuntur et se ad ultionem movent.

De homine autem rationali tres animationis facultates praedicant, quod et nos pro certo habemus, illam nutritivam et augmentativam sicut de plantis, illam sensitivam et locomotivam sicut de animalibus, et illam rationalem et cogitativam quae honorifice data est ei a Deo creatore suo tanquam ei qui factus est ad imaginem et similitudinem eius. Quapropter dicimus animam completam esse homini, et statuimus tres fa-

cultates esse animae eius, et affirmamus iram et concupiscentiam esse animae cum cogitatione rationali[1]. Ideo non a nobis alienum dicimus de illa interpretari currum illum Platonis[2], et duos pullos et aurigam qui est super illos. Etenim huic homini composito inest concupiscentia, sicut illa animalium, qua sicut illa feminae coniungitur ad procreandos filios, et appetit et recipit cibos sicut illa, propter unionem animae et corporis, et cum istis etiam concupiscentia quae bona appetit propter unitatem animae et corporis, et ira qua irascitur iniquitati et mala odio prosequitur. Illae duae, cum, sicut pulli currui, iunguntur cogitationi rationali et intellegenti quae eas habenis regit tanquam auriga prudens ac fortis, auxiliatrices sunt animae, quin immo totius compositi, et videntur etiam ipsae datae esse a Deo ad stabilimentum et conservationem totius animalis compositi, hominis. Etenim absque ira nemo po-
* p. 324. test moveri ad ultionem contra mala, neque * absque concupiscentia ad bona comparanda. Ideo illae duae datae sunt animae a sapienti creatore, una cum cogitatione exploranti et dirigenti, ut dum cogitatio irae et concupiscentiae praeest, sicut auriga pullis currus, cursus et certamen in toto mundi huius stadio bene et laudabiliter et absque casu omnino consummetur, et sicut videre cupit et vult spectator et coronator certaminis totius humani generis, Deus qui hominem creavit. Sic formata est anima cum omnibus praestantibus et manifestata est ut similitudo Dei creatoris sui, et sic conflatus est homo ex duobus contrariis, ex anima et corpore, et constitutus est unum animal compositum, in medio prope omnia positum, inter animalia irrationalia et mortalia et virtutes rationales, spiritales, intellectuales et immortales.

Verumtamen quia sermo noster balbutiens, pro viribus suis, satis de figura corporis humani seu hominis exterioris exposuit, et de modis eius et proprietatibus insignibus, et de creatione animae, et de effigie eius secundum similitudinem Dei, et de mixtione eius mirabili et unione cum corpore composito

[1] Cf. Greg. Nyss., *De Anima et resurrectione* (*Patr. Gr.*, t. XLVI, col. 27), e quo plura hausisse videtur. — [2] Locus ad quem alludit occurit in *Phaedro* Platonis.

et dissolubili, auxilio ad hoc accepto ex verbis potentibus et excultis Spiritus divini et illuminantis, oportet nunc ut sermo rursus in animam paulo plus laboris impendat atque pro viribus ostendat quid sit anima et quid sit mens, et utrum mens sit aliquid aliud praeter illam necne, et quae sint nonnullae proprietates animae insignes et distinctae quae non pertinent ad aliam naturam creatam sed ad ipsam tantum. Vocabulum quidem « anima » (n a f š ā), quod sermone nostro mesopotamiensi seu aramaeo usurpamus, a lingua Hebraeorum antiqua et venerabili mutuati sumus, neque cognoscimus etymologiam eius nec quid indicet prolatio soni eius. Haec autem etymologia, quae apud Graecos sapientes * et multiloquaces ex si- * p. 325.
militudine soni eius cum vocabulo « frigus »[1] deprompta est, ex magno deliramento ineptiisque insulsis provenit, si quidem, iuxta eorum insipientes sententias fabulasque inanes[2], quia refrixerunt easque taeduit status fervidi solertisque ministerii sui coram creatore suo, factae sunt et appellatae sunt « p s y c h ē », id est, frigidae, et ideo in exsilium seu eiectionem a Deo factore suo et separationem a spiritibus immaterialibus, intellectualibus ac fervidis eiectae sunt et missae sunt ut in hoc mundo habitent, et damnatae fuerunt ad unionem cum carne hac dura et gravi, plena passionum et dolorum, dissolubili et mortali. Verumtamen quocumque modo vocetur et quodcumque appelletur, sive p s y c h ē sive n a f š ā (anima), sive alio nomine, necesse est ut verbo peculiari dicamus quid sit et proferamus de ea notitiam definitam atque claram, quantum possumus vocabulis e corpore sumptis naturam incorporalem indicare et manifestare.

Anima igitur est substantia creata, vivens, et ex se mobilis quae, dum est absque corpore et intellectualis, ad unionem cum carne a creatore suo formata est. Mens autem non est aliquid aliud praeter illam, nec natura diversa ei aliena, sed est, ut verbo quantum possibile est definiamus, animae oculus intellectualis, qui lucem intellectualem recipit animamque dirigit, qui phantasia et repraesentatione exploranti remota si-

[1] ψύχο . — [2] Perstringit Origenem; (cf. περὶ ἀρχῶν, III, viii; *Patr. Gr.*, t. XI, col. 223).

cut praesentia videt. Etenim mens id animae est quod sensus videndi aut audiendi est toti corpori, nam per illam anima videt et per illam audit, et per illam gustat aut odoratur aut palpat ea quae tangit. Et quemadmodum oculus et auris non sunt diversi natura nec alieni ab ipso corpore, sic et mens non est aliquid alienum aut diversum a natura animae, etsi propter *p. 326. * copiam vocabulorum et significationum, appellationibus animae et mentis utimur ob maiorem clarioremque notitiam. Quoad significationem praecipuam et peculiarem, natura animae seu mentis est constitutivum hominis, quod licet definire id quod in nobis affert secum similitudinem Dei creatoris earum, propter quod etiam dicimur esse imago Dei. Deus enim creator, huius imaginis exemplar, est invisibilis, intellectualis et incorporalis; item et anima seu mens, imago eius, simili modo invisibilis, intellectualis et incorporalis est et dicitur ab omnibus qui mente exploranti et intellegenti pollent Haec est natura animae; talis est mens, huius oculus.

Proprietates autem animae humanae et rationalis hae sunt:

1. Primum quidem, ex omnibus mentibus creatis et rationalibus ipsa sola cogitatione exploranti uti debet; Deus vero et angeli immateriales, et etiam daemones rebelles, non indigent nec utuntur cogitationis investigatione utrum aliquid quodcumque facere debeant necne; etenim cum aliquid vident, statim cognoscunt etiam ea quae ad illud pertinent, quia non habent velamen in facie naturae mentis; itaque igitur proprium est solius animae humanae ut deliberatione ac diligenti cogitationis investigatione videat utrum aliquid facere an non facere debeat.

2. Proprietas est animae seu mentis humanae quod ipsamet, dum fixa est et inclusa in corpore humano, cui unita est, per phantasiam cogitationis imaginetur et videat et figuret ea quae ab ipsa remota sunt quasi praesentia, et sit quasi peregrinetur et migret dum a loco suo non discedit. Etenim, dum inclusa est in corpore, habitaculo suo, et non separat se nec discedit domo sua, super caelos celeriter adscendit et sub terram facile descendit, et in abyssum maris se immergit et *p. 327. subsidit absque timore, et totum mundi * circuitum perlustrat absque labore, videns et probans omnia explorate et con-

siderans et intellegens subtiliter omnia opera Dei creatoris sui.

3. Proprietas est animae cogitantis seu mentis humanae, et quidem clare distincta, quod dum corpus humanum ei unitum dormit et requiescit et tranquillum est inter somnum, ipsa *mens* etiam requiescat et tranquilla sit cum illo propter mutuam unionem, [attamen sicut][1] homo in domo obscura inclusus non cessat a vagatione cogitationum, ipsa commovetur et vagatur sine quiete, volens videre et visitare ea quae inter vigiliam videbat et visitabat; etsi quidam opinantur etiam nonnulla animalia irrationalia, canem dico, et si sit aliud eiusmodi, somnia videre et ex parte imaginari ea quae inter vigiliam viderunt.

4. Proprium animae rationalis humanae hoc est ut, dum simul alligata est corpori tum voluntarie tum naturaliter, simul patiatur in omnibus quae corpus patitur, et affligatur doloribus cum illo et molestia passionum sicut illud, etsi naturaliter est impassibilis et superior omni dolore et morbo, et affinis spiritibus immaterialibus et incorporalibus qui, ab omni passione et tristitia remoti, in omni felicitate plena deliciarum et gaudiis abundante laetantur.

5. Praeter haec omnia, proprietas animae rationalis et cogitantis seu mentis, quae in ea est, etiam haec est: ut malum, peccatum et iniquitatem odio habeat atque bona, iustitiam ac virtutem diligat, quanquam vacillet et peccet et ad passiones et mala inclinetur; et proprium eius est ut, cum peccaverit, eam delictorum suorum paeniteat et petat veniam a misericorde suo creatore, et simul ipse, tanquam amans hominis, hoc donum et virtutem, et paenitentiam atque veniam ei concedat.

6. Deus, creator mentis animae, cum excellentia imaginis suae, * ei dedit quod sit sponte sua inventrix scientiarum re- * p. 328.
rum utilium, commodarum et necessariarum — et hac in re pro viribus exemplar suum, Deum creatorem et factorem, imitatur — ex creaturis quas Deus propter eam prius creavit. Scilicet, cum intellegens cogitatio hominum sapientium et in-

[1] Locus corruptus videtur.

vestigantium illas considerat, obstupefacta eas multum mirari debet, et propter illas opificem peritum, Deum, indeficienter laudare, qui tantam scientiam et sapientiam homini dedit in eius creatione, et etiam propter opera eius magna et mirabilia, caelum, dico, et terram et omnia quae sunt in eis. Quis enim non mirabitur et obstupescet cum mirabiles ineffabilesque mentis humanae inventiones videt, has, dico, quae spectant ad multiplicitatem et extensionem artium sapientiae, quae ad varia aedificia et structuras in civitatibus, in templis, in balneis, in diversis hibernaculis et castris aestivis optime exstructis arte architecturae, cum tabulatis superioribus et inferioribus et mediis, publicis ac privatis: distributiones fenestrarum, ornamenta portarum et porticuum diversarum et tectorum variorum, aedificia parietum multum caelata cum variis figuris ope lapidum pretiosorum et splendentium, et aliquando alicubi ope lapillorum irradiantium auri et argenti et vitri pretiosi ac lucidi aliarumque materiarum diversarum et splendentium? Quis non mirabitur compositiones ac structuras canalium et aquaeductuum, quos mentes hominum peritorum sagaces in hoc mundo excogitaverunt et invenerunt? Quis non mirabitur cum videt artes quas homines sapientes per ignem exercent, et cum videt species diversas metallorum de terra, aurum scilicet et argentum et aes et ferrum et stannum et plumbum et vitrum aliasque materias, et res utiles et necessario affabreque constructas quae ex illis fiunt? Quis non mirabitur cum videt artes quae exercentur ope aquae et aeris, quas mens humana ad usus et necessitates hominum invenit? lapides et ligna parata quae servitutem eis prompte
* p. 329. serviunt: illi * quidem per lapides molares cibum parant, haec autem machinis aliisque modis potum necessarium hauriunt ex puteis et lacubus profundis, aliquando etiam ex imis fluminibus validis et intractabilibus?

Admiratione autem digni sunt etiam modi quos mens per aerem invenit ad artem musicae et cantuum diversorum, organis scilicet callide constructis et aliis variis instrumentis ad talia aptis. Quid vero dices, mirans et laudans, de artibus diversis et mirabilibus quas genus humanum scientia suae mentis invenit in lapidibus et lignis, et in pellibus et ossibus ani-

malium, et ex luto terrae vili, et ex ramis et foliis arborum et aliarum herbarum et radicum diversarum? Quid autem de materia quam artificiose invenit ad vestimenta, ex lana scilicet et pilis animalium, et ex corticibus herbae terrae, et etiam ex visceribus vermium, quae omnia admiratione digna sunt? Dignae quidem sunt laude et admiratione, valde dignae etiam inventiones scientiae humanae per texturas multiformes et opera diversa vestimentorum et operimentorum quae sapienter parantur et conficiuntur. Ait enim de illis sacra Scriptura — ut verba aurea, ut dicendum est, pro illis plumbeis sermonem nostrum exornent, aut, ut dicam quod magis decet, ut verba Spiritus divini, loco verborum ineptorum, orationis meae infirmitatem roborent — « Quis posuit sapientiam in abscondito, ait Deus ad Iob, aut quis dedit visum intellectui? Quis dedit mulieribus texturae sapientiam aut variegandi scientiam? »[1] Haec dixit Deus ostendens partem scientiae quam in mente humana efficienter posuit.

Digna autem sunt admiratione et laude, et quidem multo magis quam illa, et digna quibus fiat glorificatio creatori hominis et largitori sapientiae menti humanae, etiam * inventa (* p. 330.) mirabilia hominum sapientium et peritorum quae pertinent ad agriculturam et terrae arationem, et collectionem et coacervationem fructuum et messis ex illa, ita ut ego quoque de illis dicam, sermone meo verbis quae Deus posuit assimilato: Quis posuit sapientiam in abscondito in hominibus, et quis dedit visum intellectui, menti humanae? Quis dedit hominibus tantam scientiam et sapientiam ut excogitare et invenire possent ea quae pertinent ad agriculturam et arationem et collectionem frumenti, scientiam scilicet seminandi et metendi et triturandi, et ea quae pertinent ad confectionem et collectionem vini et olei? Quis dedit tantam scientiam et virtutem, — pergo dicere, — eis « qui descendunt mare in navibus et eis qui faciunt operationem in aquis multis[2] », ut callide ac sapienter sibi conficere possint currus ligneos super dorsum aquarum et alia instrumenta et apparatus quibus ventorum auxilium sibi capiant et marium saevitiam violentiamque coer-

[1] *Iob.*, XXXVIII, 36. — [2] *Ps.* CVI, 23.

ceant et abyssorum terrorem profundarum conculcent? Equidem haec omnia mens humana inventis suis facere potuit aliaque mirabilia et laudabilia et ineffabilia per scientiam et artem et calliditatem modorum inventricem fecit et aptavit, non solum utilia sed praeterea etiam nociva et iniuriae plena. Talia enim excogitaverunt et paraverunt homines in fabricandis armis et in bellis in invicem; talia bellatores inimici contra oppida invenerunt, et talia oppidani contra bellatores.

Sed ad quid plura ponerem de inventionibus sapientiae mentis humanae quae in creatione sua constituta est Dei imago atque similitudo, et ostendit se esse exemplaris sui imaginem etiam in hoc quod dum Deus omnia quae vult facit, mens humana omnia quae invenit sapienter conficit. Testis sit de mentis humanae inventis * Beseleel[1], artifex sapiens, tabernaculi
* p. 331. testimonii aedificator, et etiam Hiram[2] tyrius, apud Scripturam divinam laudatus, qui omnia vasa aenea templi Domini fabricavit secundum mandatum et voluntatem Salomonis, filii David, regis Israel, et alii quoque artifices multi, sapientes ac docti, qui opera miranda laudabiliaque in multis locis et regionibus diversis confecerunt et gloriam propter opera sua in hoc mundo consecuti sunt et propter inventiones mirabiles sapientiae et scientiae. Phidiam enim et Daedalum, forsitan et alios callidos eiusmodi inventisque scientiae celebres, supervacaneum est nos commemorare. Quod vero necesse dicendum est id tantum ponimus, nempe mentem humanam in inventionibus et operibus suis adeo edoctam fuisse ac illuminatam a Deo factore suo ut et opera naturae et creationem Dei creatoris apte imitetur, non solum per sculpturas similitudinem hominum repraesentantes, et animalium et volatilium, in aere scilicet et ferro et auro et argento et in lapidibus et lignis aliisque multis materiis, sed etiam in figmentis ex luto terrae vili et ex mixturis et compositionibus calcis et gypsi aliarumque rerum; et una cum istis etiam picturas conficit pigmentis et coloribus diversis. Et quidam adeo processerunt et progressi sunt in accuratione artis ut visum hominum animaliumque ob magnam et accuratam repraesentationem decipiant.

[1] Ex., XXXV, 30. — [2] III *Reg.*, VII, 13.

Sic creator mentem humanam condidit eique insevit sapientiam et scientiam imitatricem et intellegentem intellectu, et commiscuit eam cum luto composito, mutabili scilicet et dissolubili, et ex eorum compositione hominem hunc visibilem et invisibilem, qui dicitur similitudo et imago creatoris sui, constituit et sic condidit ut paulatim crescat et proficiat et perficiatur dum transit per aetates diversas et cum istis * manifestationes scientiae et sapientiae sibi insitae profert. * p. 332. Quia vero incrementum huius hominis visibilis sermo commemoravit dum in cursu narrationis suae progrederetur, necesse est ut illud ordine convenienti apte disponam, et cum illo spatium temporis vitae quod creator ei statuit, quemadmodum superius in oratione illud animalium et plantarum posuit. Sacra Scriptura dicit Deum fecisse eos masculum et feminam in die quo creavit illos, duos primos homines quos de terra fecit eosque condidit, sicut animalia et volatilia omnia animata et viventia, ut per coitum et commixtionem marium et feminarum, dum ambo fiunt una caro cum una voluntate, per concupiscentiam et amorem, et per proiectionem seminis humani ex viro et sanguinis ex muliere, propagationem generis sui efficiant. Sic opifex Deus creavit et ordinavit ut genus humanum oriatur et multiplicetur; ideoque dixit illis: « Fructificate et multiplicamini, et replete terram et sitis super illam domini ». Sic Deus, sapiens artifex, statuit et constituit ut coagmentatio et compositio hominis viventis perficiatur in utero humido et carneo et luteo, qui est naturae humanae officina, sicut coagmentatio plantarum tenerarum in sinu terrae humidae et luteae.

Quoniam autem compositio et substantia corporis humani ex quattuor elementis est, terra, aqua, aere et igne, fortasse propter hoc Deus creator et artifex sapiens statuit et constituit ut post numerum quadraginta dierum completio coagmentationis fetus in utero definite fiat, cum unicuique elemento aequaliter et convenienter divisit numerum determinatum decadis dierum perfectae. Ita enim physici sapientes tradunt, et etiam quidam de sanctis Ecclesiae magistris docent atque statuunt numero quadraginta dierum figuram et delineamenta substantiae corporis humani in utero mulieris gravidae per-

* p. 333. fici; cum notum sit * quod in initio conceptionis fetus anima et corpus simul subacta fuerunt et composita ad stabiliendam naturam hominis compositam, et cum ambo simul essent in utero corpus nutriebatur et incrementa paulatim recipiebat et crescebat et gradatim aperte perficiebatur, et anima abscondita et incognita in secreto usque ad diem quadragesimum unam tantum animationis facultatem habebat, illam vegetativam, quae dicitur nutritiva et augmentativa; ideo usque in id tempus fetus immobilis et insensibilis erat. Verum post quadraginta dies, cum facultas sensibilis et locomotiva additur et in fetu manifestatur, iste cognoscitur esse sensitivus et mobilis et movet seipsum in utero matris suae sicut Iohannes, filius Zachariae, qui mense sexto in utero matris suae Elisabeth exultavit, quemadmodum testatur Spiritus evangelista[1]. Ita se habet fetus in utero; nutritur et crescit vi illa vegetativa, et sentit et se movet vi animali usque in nonum mensem, mensem completionis conceptus humani. Sic enim Creator statuit ut novem mensibus conceptus perficiatur et proles humana, etsi passio quaedam accidere possit naturae ex qua fiat deminutio aut incrementum tempori quod Creator statuit.

In utero quidem sic certum tempus conceptui humano statutum est et sic corpus humanum in ventre matris perficitur, dum in eo sunt et agnoscuntur ab operationibus suis illae duae facultates animantes quas sermo superius declaravit, illa, dico, vegetativa et illa animalis, et facultas rationalis et cogitativa in eo nullo modo manifestatur aut cognoscitur, illa scilicet quae est et merito existimatur anima hominis vera atque completa. Ita post conceptionem in utero, post novem menses, homo nascitur et in hunc mundum miserum plenumque aerumnarum ingreditur, et ita dum paulatim laboriose et cau-
* p. 334. tissime *educatur, fit gradatim, secundum incrementum corporis sui, etiam manifestatio et revelatio animae rationalis et cogitantis, quoniam ex operationibus suis tantum, quae in ipsa sunt, plene cognoscitur ab eis qui vident et oculis mentis suae illam aut opera eius considerant. Et eo difficilius est incrementum hominis et diuturnius, prae incremento omnium

[1] Luc., I, 44.

animalium quae in terra sunt, quo honorabilior est in creatione sua omnibus creaturis sensibilibus, ita ut exinde certius fiat magisque omnibus confirmetur verbum illud quod dicit: Pretiosius et gratius est quodcumque multo labore et difficultate comparatur. Sic homo nascitur et ex carne matris suae nutritur lacte ex uberibus eius usque in tempus duorum annorum aut ultra. Rursus, interdum, dum omnia animalia post nativitatem statim pedes super terram firmiter ponunt ad ambulandum cum matribus suis, homo, post hoc biennium, pedes stabiliter vix ponit ad ambulandum super terram. Deinde ad annum quartum plus minus, apud quosdam, anima rationalis seipsam revelat per verbum prolatum tantum et per passiones et varias indicationes particulares quae parvum initium ex operationibus et facultatibus, quae in natura sua sunt, manifestant. Et ita grandescit homo usque ad annum septimum, habens mentem simplicem et teneram, puram scilicet et ab omni iniquitate remotam, quae ne corporis quidem nuditatem cognoscit, illam quidem quae fuit Adamo, primo homini, et Hevae, uxori eius, per totum tempus mansionis eorum felicis, sine passione et sine tristitia, in vita sancta ac munda, in loco qui sacra Scriptura Paradisus deliciarum allegorice appellatur. Ita se habet homo in prima annorum vitae suae hebdomada, dum non est in eo malitia, nec peccatum ei imputatur a iudice vivorum, Deo, nec iudicatur legibus huius mundi * nec legibus futuri propter iudicium rectum iustitiae Dei. *p. 335. Quamobrem haec aetas primae annorum hebdomadae haud multum apta est ad disciplinam et doctrinam nec ut corrigatur virga institutionis; virga tantum caedi debet propter admonitionem et terrefactionem ut nociva fugiat.

Secunda autem annorum vitae humanae hedomada revelantur et manifestantur omnes opes naturales facultatis rationalis et cogitantis quae est animae hominis intellectuali; et haec est aetas apta ad accipiendam disciplinam, et debet subiici virgae correctoris. Huic igitur aetati delicta imputantur et poenae iudiciales a iudicibus irrogantur, puero scilicet qui est quindecim annos natus et duas annorum hebdomadas iam explevit. Ab anno autem septimo usque ad decimum quintum puer valde aptus est ad recipiendam correctionem et doctri-

nam, quia mens eius passionibus nondum verberata est nec vindictam a correctoribus quaerit. De hac aetate pueri Salomon initio Proverbiorum suorum dixit[1]: « Ut detur parvulis astutia et pueris novis scientia et intellectus ». Convenit, ait, dare illis scientiam et intellectum quia, sicut cera mollis, promptam habilitatem habent ut imagines virtutis nove sibi infigantur et scientia ac sapientia in ipsis figurentur. Propter hoc pueros novos appellavit eos qui in secunda annorum hebdomada versantur.

Tertia autem vitae humanae hebdomada, ab anno scilicet decimo quarto usque ad vicesimum primum, aetas est mobilis quae omni passionum vento facile deiicitur et ad omnes distractiones inconstans inclinatur, et indiget vigilantia magna custodiaque fideli. Is ergo, qui in hac aetate tertiae annorum hebdomadae grandescit et absque casu servatur, haud difficulter corrigitur et etiam in quarta annorum hebdomada disciplinam accipit. Cum autem homo quattuor annorum hebdomadas compleverit atque in tertia annorum decade stat, agnoscitur
* p. 336. aetatem viri perfectam iam * attigisse, et dignus principatu et gubernatione multorum iudicatur, siquidem plenus est scientia et sapientia. Ita educatur homo, et ita per aetates diversas viri, dico, completi et per medios annos et senectutem ad exitum vitae huius mundi pervenit iuxta mandatum creatoris sui, cum sint ei pro termino vitae anni septuaginta aut octoginta sicut dicit Scriptura. Ait enim Spiritus psallens per Moysen prophetam cum Deum pro populo Israel suppliciter oraret eumque rogaret ne peccata eorum respiceret[2]: « Dies annorum nostrorum in ipsis sunt septuaginta anni; si autem in fortitudine, octoginta anni ». Hic est terminus spatii vitae humanae novissimus. Novissimum quidem dixi, considerans longaevitatem quae de patriarchis antiquis in Scriptura divina relata est. Testatur enim sancta Scriptura maiorem partem eorum, qui ante diluvium fuerunt, nongentis annis et plus vixisse. De illis autem, qui nati sunt ex angelis, filiis Elohim, qui scandalo fuerunt et pactum suum cum Deo violaverunt, et ex filiabus Cain quas duxerant et ex quibus viros bellatores

[1] *Prov.*, I, 4. — [2] *Ps.* LXXXIX, 10.

genuerunt et mala multa super terram fecerunt, Scriptura tradidit Deum dixisse[1]: « Non habitabit spiritus meus in hominibus illis in aeternum quia caro sunt, sed erunt dies eorum centum viginti anni. » In hos tantum haec sententia a Deo lata fuit, non in totum genus humanum posterius, quod notum et evidens est ex eo quod Scriptura retulit et tradidit nonnullos de patriarchis, qui post diluvium fuerunt, sexcentis annis vixisse, interdum autem quosdam etiam usque ad septingentos et amplius. Etiam annales scripti historicorum Graecorum tradunt Iovem Graecorum, qui fuit Cretae tyrannus, septingentos annos superasse. Insuper autem dicendum est quod etiamnunc homines in regionibus Indorum tam longaevi sunt * prae * p. 337. omnibus gentibus, ut inter illos quidam sint qui trecentis quinquaginta annis vivant, et qui quadringentis annis; maior autem pars eorum ducentis annis et ducentis quinquaginta. In regionibus vero Arabiae Felicis, multi etiam nunc centum triginta annis vivunt, ita ut ostendatur decretum Dei de centum viginti annis statutum esse eis qui ante diluvium peccaverunt, non toti generi humano, sive eo tempore sive postea. Verum, praeter id quod scriptum est, oportet dicamus quod nunc in regionibus occidentalibus Hispaniae et Galliae et regionibus septentrionalibus Sarmatarum et Scytharum spatium vitae hominum, qui ibi sunt, vix et cum ultima et extrema senectutae sexaginta annos attingit, ut inde agnoscatur ea, quae ad senectutem et longaevitatem hominum pertinent, e temperamentis aeris et locorum pendere et ex decretis divinis quae narravimus. Verumtamen id pro definito et vero habeamus quod in Dei voluntate et gubernatione est spatium vitae hominum super terram, et locus et tempus quo dies vitae eorum abscindentur et ipsi inde migrabunt, dum cura ei est de omnibus simul et de singulis particulariter, et de eorum vita et exitu et discessu.

At de creatione divina mentis humanae, et de scientia et sapientia quae data est ei a suo factore, et de eius inventis et operibus mirabilibus, et de constitutione hominis et compositione ex anima et corpore, et de propagatione eius per coitum et conceptionem et nativitatem et educationem, et de diver-

[1] *Gen.*, VI, 3.

sis eius aetatibus, et de numero annorum vitae eius, sermo eis quae modo dicta sunt satis declaravit et posuit. Aequum est autem et utile ut nunc de modo unionis animae et corporis
* p. 338. iterum * dicat et ostendat quomodo, dum anima in natura sua servatur et in omnibus suis sine commixtione et inconfuse, absque mixtione scilicet et absque effusione, praeter omnem mutationem et conversionem, et corpus simili modo manet et servatur in natura sua et in omnibus suis, sine mixtione et sine confusione et sine mutatione, ambo simul, propter veram suam unionem et perfectam compositionem, faciant haec alterutrius indivise et omnino proprie et aequaliter quasi omnia sint unius et eiusdem, simplicis et non diversi. Sic anima sibi sumit suasque facit passiones corporis, quasi sint sibi naturales; et similiter ipsum corpus suas facit proprietates animae, quasi in natura sua insitae sint. Anima enim sua existimat corporis famem et sitim et appetitum cibi potusque, et etiam defatigationem, morbum et infirmitatem, frigus et aestum et omnia cetera, atque dicitur esurire et sitire et fatigari et laborare morbo et infirma esse, et pati omnia quae corpus naturaliter patitur. Simili modo et corpus conturbatur et expavescit et timet et contristatur et gaudet et floret et strenue promptum fit ad audaciam et fortitudinem; quae omnia de illo praedicantur quasi ad illud naturaliter pertineant et ex illo oriantur, non autem ex anima originem habeant. Haec quidem ita esse et perfici non solum anima et corpus testantur et confirmant per ea quae facere videntur, et rursus sententia traditioque communis ita affirmant et docent, et usus loquendi eadem docet et tradit, sed, cum omnibus istis, etiam Scriptura divina eadem testatur et docet, adhaerens et ipsa consuetudini communi. Etenim Spiritus psallens dicit Deum animam esurientem satiare [1] et animam Ioseph in vincula transiisse [2]; et Salomon dicit furem furatum esse ut animam esurientem satiaret [3], dum ani-
* p. 339. ma nunquam esurit, * nec cibo corporali satiatur, nec ferro alligatur, neque ullum horum, quae de corpore solo dici solent, patitur. Sed haec omnia sic dicuntur aut scribuntur, sive illa animae de corpore, sive illa corporis de anima, propter veram

[1] Cf. *Ps.* cvi, 9. — [2] Cf. *Ps.* civ, 18. — [3] Cf. *Prov.*, vi, 30.

et naturalem unionem quam Deus creator fecit eis, compositionem quae unum ad alterum aptat. Dum sunt longinqua et valde remota ab invicem, natura scilicet et proprietatibus diversis ac contrariis, visibilitate et invisibilitate, sensibilitate et intellectualitate, corpore et spiritu, corporalitate et incorporalitate, creator Verbum opifex ita animam et corpus coniunxit, dum sunt res specie alienae et diversae et essentia dissimiles, per unionem veram, naturalem, mirabilem et ineffabilem, et ita, tanquam artifex sapiens et omnipotens ea convenienter praeparavit et constituit, ut unum sumat sibi quae sunt alterius suaque faciat, etsi existimantur contraria et dissimilia, sive proprietatem scilicet, sive passionem, sive aliquid aliud, sive nomina, sive verba quae illa denotant.

Et hoc fecit sapienter simul et allegorice, quia praefiguravit sibi effigiem significantem et typum repraesentantem mysterium incarnationis suae, et calcavit viam et demonstrationem verbis de seipso dedit. Etenim quemadmodum anima simplex et intellectualis et corpus compositum et sensibile simul coniuncta sunt unione naturali sine mixtione et sine confusione, et unumquodque sua facit quae sunt alterius, et nemo litem de hoc movet aut dubitat, quia tum consuetudo tum Scriptura testantur et assentiuntur sicut ostendimus, sic divinitas simplex et intellectualis, aeterna scilicet et increata, cum naturaliter et vere * unita est humanitati compositae et sensibili, *p. 340. factae et creatae, unione naturali et hypostatica, mirabili et indivisibili, absque mixtione et sine confusione et sine mutatione, sua dedit humanitati suaque fecit quae sunt humanitatis. Hoc testantur sancta evangelii verba, et nemo [ex iis qui intellectum participant] litem movet aut dubitat. Etenim tribuuntur humanitati, et bene merito, virtutes operaque mirabilia quae Christus fecit: sanatio infirmorum, eiectio daemoniorum, et suscitatio mortuorum; et passiones humanitatis eius ad divinitatem eius recte evehuntur: fames, sitis, somnus, lassitudo, turbatio, angor animi, tristitia et timor; rursus, passio et crucifixio et mors, et cum illis omnia quae immunia sunt ab omni reprehensione et peccato. Et haec confitetur eisque assentitur sine dubio omnis spiritus qui est ex Deo et novit Iesum Christum in carne venisse.

Verum sermo de istis eo loco consistet, et sufficiunt ei qui novit cum obedientia audire, verba particularia et moderata quae dicta sunt; nostra autem oratio ad finem impetus sui properabit, et ea quae manent dicenda de homine prompte exponet. Manent quidem dicenda et omnino necessaria sunt, quae ad rationem vitae hominis in hoc mundo spectant: quae sint ei necessaria in illo, quare in eo positus sit, et quandiu Deus hominem in hoc mundo relinquat, et quae spectent ad eius mortem et dissolutionem per illam, et ad vivificationem et resurrectionem corporis eius e terra, et ad iudicium et probationem totius generis humani, et ad retributiones quas intellegunt et confitentur dandas esse unicuique, prout aequum est ex iustitia, quae scilicet sunt et vocantur sacris libris regnum caelorum et gehenna ignis. Haec manent nobis dicenda in sermone de homine.

Ratio quidem vitae in hoc mundo ita imposita est homini illum ingredienti et ita concessa est a Deo curatore et gubernatore eius — ut verbis Scripturae Spiritus orationem meam exornem, — ut terram maledictionum in quam eiectus est colat et panem de herba agri in sudore vultus sui comedat, dum
* p. 341. haec tantum, * quae utilia et necessaria sunt, ex ea sibi comparat et colligit cum labore et defatigatione et vexatione. Etenim dixit illi[1]: « In doloribus et tristitia comedes eam omnibus diebus vitae tuae; et spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbam agri; in sudore vultus tui comedes panem tuum donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris ». Decretum quidem Dei et sententia de ratione vitae hominis in hoc mundo, quae iusserunt et concesserunt illi ea tantum quae sunt necessaria, talia sunt.

Necessaria autem erant haec: ut ex terra aedificaret sibi domos in quibus habitaret, ipse scilicet et pecora quae serviunt ei servitutem, et quibus protegeretur contra frigus et rigorem hiemis et aestum aestatis; ut ex ea colligeret victum necessarium pro seipso et pecoribus suis et compararet sibi res utiles ad usus necessitatis suae, sicut ferrum et aes, dico,

[1] *Gen.*, III, 18-19.

et alia eiusmodi; ut ex ea et ex animalibus quae sunt super eam, conficeret sibi vestimentum et operimentum quibus calefaceret se tempore frigoris et operiret nuditatem corporis sui propter modestiam naturae et propter custodiam ac fugam ab impudicitia. Haec tantum videtur Deus homini mystice concessisse ad habitationem eius super terram et ad rationem vitae eius in hoc mundo. Verum, ut sermonem meum verbis cuiusdam sapientis adornem, haec eo loco nobis ponenda sunt. Ait enim: « Principium vitae hominis est panis, aqua et operimentum, et domus tegens opprobrium eius », ita ut, secundum sententiam viri huius sapientis, tum domus tum vestimentum necessaria sint ad habitationem et ad operiendum hominis opprobrium, non autem ut sint in ornamentum et in gloriationem vanam, otiosam et sine utilitate, cum primum coram incolis lapillis aureis et lapidibus splendidis et fulgentibus vane cum labore inutili se adornat. Ut autem omnia, quae necessaria sunt, in oratione nostra proferantur, alia ex verbis viri illius sapientis multum convenienter et valde necessario * iterum eo loco ponemus. Dixit enim in sermone de illis ita: « Principium omnium rerum, vitae hominum necessariarum, est aqua et ignis et ferrum et sal et medulla frumenti, et lac et mel, et sanguis uvarum et oleum et res ad operimentum et vestimentum ». Post haec autem perrexit valde congruenter alia adducere ut ostenderet haec sufficere sobriis et timentibus Deum, et iis qui superflua non inhiant, etsi avidi post alia multa ardenter currant. Etiam haec omnia, ait, bonis et timentibus Deum fiunt in bonum, malis autem et impiis in maledictiones et mala convertuntur. Haec tantum necessaria erant rationi vitae hominum in hoc mundo. Aurum vero et argentum aliaque eiusmodi cupiditate magna inventa sunt, et bella et rebelliones aliaque multa mala generi humano suscitaverunt. Et totus incolatus hominum in omni necessitate completus erat et non deficiens, etiam cum ista non inventa erant. Ecce enim, ante tempora diluvii, spatium quod exsuperat duo millia annorum, ne unum quidem verbum est quod de auri et argenti inventione vel etiam de eorum nomine mentionem faciat, nec videbatur status mundi ulla re necessaria carere aut ei esse auri usum et necessitatem; ita ut igitur

* p. 342.

apertum sit inventionem harum rerum non solum inutilem esse sed etiam damnosam et causam malorum, siquidem amor pecuniae omnium malorum mater atque radix est et vocatus est verbo apostolico [1].

Itaque quae erant rationi vitae hominum necessaria sermo moderate hoc modo indicavit. Quare autem homo positus est in hoc mundo vexationis et laboris et dolorum post lapsum et peccatum suum, et quomodo id aequum visum est, et quousque hac sententia damnetur, nunc sermo clare et breviter ostendet. Homo in hunc mundum missus est non ut in illo permaneat, neque ut sit incola in illo in aeternum, sed ut erudiatur in illo sicut parvulus in schola disciplinae, et ita peccatum eius et de-
* p. 343. lictum trangressionis Adam penitus deleatur, * et eruditus agnoscat hunc mundum vere esse vallem lacrimarum, non locum habitationis, et horam somniorum quae non stat nec permanet, non veritatem rerum, et gratias agens faciem cogitationis suae a rebus terrenis avertat, et suspiciens ad creatorem suum et exspectans ab eo redemptionem stet firme et stabiliter et sine perturbatione in desiderio et amore eorum quae stant atque permanent. Haec est ratio propter quam homo missus est et positus in hoc mundo, et haec sententia ad genus humanum ita extensa est ut in eo misere habitet, afflictum et vexatum miseriis huius mundi, nempe conceptione, nativitate, educatione cum angustiis et doloribus, distractionibus et passionibus, morbis et infirmitate senectutis, et deinde morte et corruptione corporis et dissolutione in terra, donec numerus electorum redemptorum ingrediatur, qui sunt in natura humana ab eius creatione, qui scilicet cogniti sunt et statuti in scientia Dei creatoris sui etiam ab initio creationis hominis. Cum autem hic numerus completus fuerit, tunc statim propagatio generis humani finem habebit, et cessabit cursus huius mundi durus atque brevis. Haec etiam est causa dilationis incolatus generis hominum miseri in hoc mundo.

Ita se habet ratio vitae hominis in hoc mundo et propter hanc causam. Deinde, quid? Mors et corruptio in sepulcris, dissolutio et dispersio membrorum corporis in terra, et dissi-

[1] I *Tim.*, VI, 10.

patio ossium secus infernum, ut verbis Psalmistae utar[1], quando corpus in pulverem iuxta decretum divinum mittetur, et inde unumquodque ex elementis ad affine suum, aquam et aerem et ignem, secedet donec pulvis solus vere relinquatur apud terram in pulvere cognato suo, anima vero migret aut ad animas iustorum cum turmis angelorum sanctorum aut ad animas impiorum cum gregibus daemoniorum rebellium, unaquaeque secundum sententiam in illam a Deo latam, donec veniat tempus resurrectionis totius generis humani et iudicii et retributionis * iustae quae unicuique debetur secundum opera sua et secundum vitam et actiones in hoc mundo. Haec omnia vero sermo ita laudavit sicut Patres nostri, Ecclesiae columnae, nos docuerunt et tradiderunt ex testimoniis hominum veterum et recentiorum, eximiorum scilicet et veracium fideque dignorum. * p. 344.

Quia vero sermo mentionem fecit vivificationis et resurrectionis corporum, oportet ut et propter illam orationem nostram paulum producamus, et de illa dicamus quae necessaria sunt, et clare ostendamus quae sint sententiae de illa probatae, et quae sint reiiciendae et non accipiendae. Etenim non omnes, qui confitentur futuram esse mortuorum resurrectionem et corporum resurrectionem de terra, de illa recte sentiunt. Verum ut sermo noster de illa clarus et lucidus sit, primum varias de illa sententias hic ponemus ordine convenienti et cum nota indicativa, et deinde sententiam probatam atque veram, cum testimonio recepto ex verbis divinis Spiritus, adiungemus et congruenter ponemus ad confirmandum et stabiliendum nostrum de illa sermonem.

1. Quidam haeretici de Iudaeis, qui Sadducaei appellabantur, adversus Christum contendebant resurrectionem mortuorum non esse, aut, si sit, tunc coniunctionem virorum et mulierum omnino necessariam esse. Hanc vero haeresim ipse Christus verbo suo coercuit confutavitque quando ad illos haereticos dixit[2]: « Erratis quod Scripturas non legistis neque virtutem Dei novistis; in resurrectione enim mortuorum viri non ducent mulieres neque mulieres erunt viris, sed sicut angeli Dei in caelis erunt ».

[1] *Ps.* CXL, 7. — [2] MATTH., XXII, 29-30.

2. Alii stulte dixerunt: Corpora spiritalia et aeria surgent, non corpora crassa quibus sit tactus verus atque firmus, et in testimonium adversus sententiam nostram Pauli locum proferunt qui dicit [1]: « Et si novimus Christum secundum carnem, attamen ex hoc tempore non novimus eum »; ergo dicunt etiam corpora nostra sicut corpus Christi surrectura esse. Ast
* p. 345. redarguuntur * isti verbis quae Christus ad discipulos suos loquutus est [2] « Palpate me et cognoscite quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut videtis me habere ». Quod si carnem et ossa palpabilia habebat Christus etiam post resurrectionem, ergo haec non erant aeria nec spiritalia, sed materia dura ac firma in qua sunt quattuor elementa. Si autem quod ingressus sit ianuis clausis [3] proferunt, sciant id esse ex eis quae fecit quatenus Deus et supernaturaliter, neque corporibus nostris post resurrectionem competere ut per ianuas clausas ingrediantur. Et quod Paulus dixit, non significat corpus Christi post resurrectionem non esse carnem, sed corpus Domini nostri post vivificationem suam ex mortuis non esse in passionibus carnalibus et naturalibus quae sunt ante resurrectionem.

[3.] Alii vero, deficientes intellectu, desipiunt dicentes non totam formam, quam corpora ante resurrectionem habent, esse illis post resurrectionem. Dicunt enim delirantes: Ad quid eis manus cum nihil operentur? ad quid eis pedes cum non opus habeant ambulare? ad quid eis membra masculina et feminina cum non coniungantur? Haec dicunt quia nesciunt quod quodcumque Deus fecit dignum participatione imaginis ipsius, quidqui est, sive magnum sive parvum, non derelinquetur ut contemnatur et pereat. Rursus, non intellegunt quod scriptum est omnia quae Deus fecit pulchra esse [4]. Itaque si omnia quae creavit Deus, qui omnibus doctior et sapientior est, valde pulchra sunt, etiam membra maris et membra feminae utiliter ac valde pulchre a Deo, naturae ordinatore, creata sunt et digna effecta sunt quae imaginem eius participent. Ergo neque ipsa in corruptione relinquentur ut pereant et ad nihilum

[1] II *Cor.*, v, 16. — [2] Luc., xxiv, 39. — [3] Cf. Ioh., xx, 26. — [4] Cf. *Eccles.*, iii, 11.

redigantur; sed in locis suis surgent in renovatione corporum humanorum; et etiam forma corporis masculini surget et servabitur, et forma corporis feminini; et vir surget vir, et mulier mulier. Etenim Christus * dicendo: « Sicut angeli Dei sunt », * p. 346. non significavit viros et mulieres non esse, sed indicavit tantum eos non nubere. Ergo omnia humana corpora, quia imaginem eius participaverunt, integra surgent, cum formis suis scilicet et membris suis magnis atque parvis, et sine defectu. Et totus nitor ac firmus naturae splendor surget et renovabitur liber ab omnibus passionibus et maculis et ab omni superfluitate et defectu. Et ad quid in multo sermone laboro cum haec paucis ex apostolicis verbis, quae Spiritus scripsit, exornari possint et ostendi vera atque firma? Dixit enim divus Paulus de resurrectione corporum humanorum [1]: « Seminantur in corruptione et surgent sine corruptione; seminantur in ignobilitate et surgent in gloria; seminantur in infirmitate et surgent in virtute; seminatur corpus animale et surget corpus spiritale; est enim corpus animale et est corpus spiritale ». Haec dixit Spiritus apostolicus de corporibus humanis, dum animale vocat corpus cui sunt omnes passiones corporales et animales, fames, dico, sitis, somnus, morbus et omnia eiusmodi, ira, concupiscentia, conturbatio, timor, tristitia, et omnes ceterae animae passiones, et omnes passiones compositi: spiritale autem nuncupat corpus ab his omnibus liberum. Post haec Apostolus rursus dicit [2]: « Caro et sanguis regnum caelorum hereditare non possunt, neque corruptio hereditabit incorruptionem »; carnem autem et sanguinem et corruptionem vocat corpus subiectum passionibus quas dixi corporales et animales; regnum autem caelorum et incorruptionem appellavit id quod Deus daturus est diligentibus se. Et deinde dixit tanquam per mysterium: « Non omnes dormiemus », id est, moriemur; « omnes autem immutabimur », et per illud: Immutabimur, liberationem corporum a passionibus ostendit. Postea, cum vult declarare quale sit opus resurrectionis et quae sit virtus eius, ait [3]: « Futurum est enim ut hoc corruptibile induat incorruptibilitatem et hoc mortale immortalitatem;

[1] I *Cor.*, xv, 42-44. — [2] I *Cor.*, xv, 50. — [3] I *Cor.*, xv, 53-55.

tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. * p. 347. Ubi est aculeus tuus, o mors? Ubi est * victoria tua, inferne? » His verbis Spiritus apostolicus aperte notum facit liberationem completam ab omnibus passionibus corporalibus et animalibus fore corporibus humanis in resurrectione mortuorum, et sub nomine duarum maximarum passionum, corruptionis nempe et mortalitatis, omnia corpora, quae a mortuis resurgent, ab omnibus ceteris passionibus eduxit et liberavit. Ergo a passionibus corporalibus liberabuntur corpora in resurrectione mortuorum, non autem a forma membrorum quae in eis sunt, quae data sunt eis natura per mandatum creatoris sui. Talis quidem est modus resurrectionis corporum humanorum, sicut ostenditur verbis apostolicis.

Cum opus auctoris seu doctoris sapientis hucusque processisset, impleta est vita eius, et terminus factus est operi eius. Absolvit autem quae sequuntur pius Georgius, episcopus tribuum Taiorum et Tu'iorum et Cufitarum, eius aequalis. Eodem calamo ac totus liber haec tabella[1] scripta est.

Nunc vero dicemus etiam de iudicio et probatione, in sermone memorata, quae fiet post vivificationem et resurrectionem corporum nostrorum de sepulcris; et primum hoc referimus quod multi ex ignorantia solent iudicium vocare poenas per cruciatus et tormenta passionesque diversas quas iudices hominibus propter varia eorum delicta et scelera statuunt et irrogant. Ideo multi saepe dicunt: Talis iudex tali iudicato dura et amara irrogavit, aut: Talis iudex talem coram se iudicatum non multum iudicavit. Sunt quidem in variis librorum sanctorum locis verba nonnulla quae opinionem quandam praebeant rem ita se habere; v. gr. illud quod Iacobus, frater Domini nostri, in epistula sua catholica dixit[2]: « Iudicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam »; et illud quod dixit Paulus apostolus[3]: « Quoniam in igne iudicabit Dominus, et probabit in eo omnem carnem »; et illud quod dixit ipse Salvator noster in evangelio Iohannis[4]: « Qui fecerunt bona, in resurrectionem vitae; qui vero egerunt mala, in resurrectionem iudicii »; et item alia his similia. Nobis

[1] Tabella scilicet in textu depicta lineis hanc adnotationem circumdantibus. — [2] Iac., ii, 13. — [3] Cf. I *Cor.*, iii, 13. — [4] Ioh., v, 29.

autem et omnibus peritis notum et compertum est quod iudicium * proprie et vere est inquisitio et investigatio et probatio quam facit iudex cum hominibus de eis quae fecerunt et egerunt, aut cum aliis hominibus de vexationibus et iniuriis quae passi sunt et tulerunt. Et argumenta quibus ostenditur rem ita se habere innumerabilia inveniri possunt in Scripturis sanctis, si quis velit illa omnia adhibere. Nobis vero pauca ex multis sufficiunt. Quae? Illud quod Scriptura sancta de David rege testata est[1]: « Faciebat David iudicium atque iustitiam omni Israel »; et illud quod Deus per Isaiam prophetam iudicibus filiorum Israel praecepit, dicens[2]: « Iudicate orphanos et iudicate viduas »; et[3]: « Venite, loquamur cum invicem, ait Dominus »; et illud[4]: « Parvum sicut magnum iudicate, neve acceperitis personam in iudicio », quod Deus saepe admonuit; et illud[5]: « Iudicate orphanos et miseros, et pauperes et humiles iustificate »; et illud quod dixit David[6]: « Deus iudex verus, probans cor et renes », quod a David et Ieremia dictum est; et illud[7]: « Dominus in aeternum permanet, et parat thronum suum ad iudicium ut iudicet orbem terrae in aequitate et populos in rectitudine », quod a David dictum est cum aliis multis istis similibus. * p. 348.

Rem quidem ita se habere multo clarius testatur id quod dictum est ab eodem Spiritu psallente de impiis consummatis et publicis[8]: « Idcirco non surgent impii in iudicio ». Etenim si iudicium poenam et tormentum denotat secundum quorundam sententiam, quomodo dicit: Non surgent impii in iudicio, id est, in tormento? Hoc enim non congruit. Verum compertum est quod hoc dicit de iniquis qui, ut ita dicam, separati sunt ab utero, qui ne stare quidem in iudicio cum iustis digni sunt. Non enim actiones eorum indigent inquisitionis et investigationis coram iudice, quia omnibus apertae sunt et manifestae. Ergo iudicium, quod futurum est a Deo iusto et recto generi hominum post vivificationem et resurrectionem corporum eorum a morte, probatio est et investigatio et inquisitio

[1] I *Par.*, XVIII, 14. — [2] Is., I, 17. — [3] Is., I, 18. — [4] *Deut.*, I, 17. — [5] *Ps.* LXXXI, 3. — [6] *Ps.* VII, 12, 10; IER., XI, 20; XVII, 10; XX, 12. — [7] *Ps.* IX, 8-9. — [8] *Ps.* I, 5.

quae fiet iuxta vitam et verbum confessionis uniuscuiusque.

Et hoc valde congruenter et iuste efficietur. Etenim etiam
* p. 349. ei, qui in hoc mundo principatus * magnos aut parvos adepti sunt, et dignitates seu ministeria quaedam iis, qui sub se sunt, credunt, aut fidos seu oeconomos super domos suas et alias res constituunt, sive mercenarii ipsorum sint, sive servi, sive forsan saepe filii, solent, cum terminus temporis impletus fuerit aut cum ipsis principibus placuerit aut voluerint, illos vocare et sistere sibi ut faciant cum eis iudicium et probationem seu inquisitionem et investigationem et rationem de eo quod singulis traditum et creditum est. Simili modo et Deus, princeps principum, et rex regum, et Dominus dominorum, probationem atque iudicium faciet, id est, inquisitionem et investigationem cum omnibus hominibus de omnibus quae illis commisit et credidit quibusque illos prius honoravit et cumulavit, et de ratione vitae eorum a primo die creationis eorum usque ad ultimum diem vivificationis eorum, non solum de omnibus quae sermo noster supputavit et enumeravit in aliquot tractatibus quos fecit[1] (auctor) sed etiam de aliis multis quae non enumerantur. Id autem facit Deus sapientissimus non quod opus habeat iudicio et inquisitione ad cognoscenda opera et actiones hominum — ipse enim novit cogitationes cordis et probat renes et cor, sicut scriptum est, et omnia aperta et nuda sunt in conspectu eius, opera scilicet et verba et motus mentis — sed ut ostendat angelis simul et hominibus se iudicaturum esse orbem terrae in aequitate et populos in rectitudine, et iuste redditurum esse unicuique secundum vias eius et secundum fructus operum eius, sicut clamant sacrae Scripturae[2]: « Notum enim facit Dominus iudicium quod facit, et in opere manuum suarum comprehenditur impius », et rursus: « Quia non in perpetuum oblivioni da-
* p. 350. tur pauper, et spem pauperum non perdes * in saeculum ».

Manifestum est vero omnibus sapientibus id quod de Deo dicitur, *nempe* quod sedet super thronum iudicii, et iudicat, et inquirit, et investigat, et probat opera actionesque hominum, se-

[1] Tertia personna masc. numeri singularis; ita etiam supra, textus p. 332, col. 1, l. 20. — [2] *Ps.* IX, 17-18.

cundum usum nostrum loquendi de eo praedicari, et sicut passim in sanctis libris Veteris et Novi Testamenti scriptum est sive ab aliis de eo, sive ab eo de seipso. Etenim non est illic aut apud illum thronus aut sedes sensibilis aut iudicium aut probatio materialis, sed tantum potestas Deo congruens et immaterialis, et iudicium spiritale, et probatio intellectualis, cuius faciendae modum ipse solus novit. Verumtamen omnino vere et infallibiliter fiet, sicut omnes libri sancti praedicant et clamant, libri scilicet prophetarum et apostolorum, multo autem clarius et apertius ipse Dominus prophetarum et apostolorum, Iesus Christus, qui venturus est iudicare vivos et mortuos in revelatione adventus sui, quemadmodum Paulus scribit [1], qui est iudex veritatis sicut David cantat [2], qui in evangelio sancto Iohannis clamavit, dicens [3]: « Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio », et paulo post: « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit etiam Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei ut etiam faceret iudicium. »

1. Hic igitur iudex est Filius hominis, cuius signum in caelo parebit, qui missurus est angelos suos cum tuba magna et congregaturus est electos suos a quattuor ventis, ab extremo caelorum usque ad extremum illorum [4].

2. Hic iudex est Filius hominis qui venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis sanctis, ut reddat unicuique secundum opera eius [5].

3. Hic iudex est cuius coram tribunali terribili regina Austri surget in iudicio cum hominibus generationis Iudaeorum et condemnabit illos [6].

4. Hic iudex est in cuius conspectu viri Ninivitae cum generatione Iudaeorum in iudicio surgent et condemnabunt illam [7].

* 5. Hic iudex est dominus bonus qui servos suos bonos, qui * p. 351.
scilicet accingunt lumbos suos et accendunt lampadas suas et exspectant dum veniat a convivio, statim ac venit et invenit illos sic facientes, accingit lumbos suos et facit eos recumbere et transiens ministrat eis [8].

[1] II *Tim.*, IV, 1. — [2] *Ps.* VII, 12. — [3] IOH., V, 22, 26. — [4] MATTH., XXIV, 30. — [5] MATTH., XVI, 27. — [6] MATTH., XII, 42. — [7] MATTH., XII, 41. — [8] LUC., XII, 37.

6. Hic iudex est dominus ille qui servum fidelem et sapientem super domesticos suos constituit, ut det cibum in tempore suo; et cum venerit et invenerit illum sic facientem, bonum multum ei dabit constituendo illum super omnia quae possidet[1].

7. Hic iudex est homo dives qui habet oeconomum iniquum, et quia iste bona eius dissipat, dominus vocat eum ad se dicitque ei: Redde mihi rationem villicationis tuae; non enim potes deinceps oeconomus esse mihi[2].

8. Hic iudex est homo qui peregre profecturus vocavit servos suos deditque illis talenta; et cum revertitur, illos quidem qui bene eis negotiati sunt laudibus cumulat et in gaudium suum introducit, servum autem malum et pigrum, qui talentum suum abscondit neque eo negotiatus est, ligatis manibus et pedibus, in tenebras exteriores eiicit[3].

9. Hic iudex est qui media nocte cum clamore venit, et virgines quidem sapientes, quae accenderunt lampadas suas, secum in thalamum introducit; illas autem stultas, quarum lampadae exstinctae sunt, infitiatur et extra ianuam relinquit[4].

10. Hic iudex est Filius Dei qui omnem confitentem se coram hominibus confitebitur coram Patre suo qui in caelis est, omnem autem negantem se coram hominibus negabit ipse coram Patre suo qui est in caelis[5].

11. Hic iudex est Christus, et coram tribunali eius terribili futurum est ut nos omnes stemus nudi, collo revelato, ut reddatur unicuique secundum ea quae gesserit, sive bona, sive mala[6].

12. Hic iudex est Filius hominis qui, cum venerit in gloria sua et omnes angeli eius sancti cum eo, tunc sedebit super thronum gloriae suae; et cum omnes populi coram eo congregati fuerint separabit eos unum ab alio, sicut pastor qui oves ab hoedis separat; et oves quidem statuet a dextris suis,
* p. 352. * hoedos autem a sinistris suis. Ad eos quidem qui a dextris suis clamabit voce plena gaudii, dicens: Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a fundamentis mundi;

[1] MATTH., XXIV, 45. — [2] LUC., XVI, 1-8. — [3] MATTH., XXV, 30. — [4] MATTH., XXV, 1. — [5] MATTH., X, 32. — [6] II *Cor.*, V, 10.

ad eos autem qui a sinistris suis: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius [1].

Sermo quidem de iudicio et probatione, id est, inquisitione et investigatione quae humano generi fiet a iudice iusto post vivificationem et resurrectionem corporum eorum haec omnia breviter exposuit. De mercedibus autem bonorum et malorum in sermone de iudicio simul coniunctis, quae unicuique, sicut aequum est, a iusto iudice rependentur, quae summatim regnum et gehenna denominantur, nunc oportet breviter dicamus. Quidam vero dicunt mercedem bonorum, id est, felicitatem in bonis, quam recti et iusti in mundo futuro recipient, in aeternum permansuram esse, propter Dei bonitatem et misericordiam, quae sunt infinitae et incommensurabiles, quibus ipse semper dat et largitur nobis bona et gaudia sua praeter merita nostra. Mercedem autem malorum, id est, poenam et cruciatum, quae iniqui et impii propter opera sua mala recipient, dicunt non in aeternum et sine fine permansuram esse; sed, aiunt, apocatastasis fiet et finis erit cruciatui, statim ac unusquisque cruciatus fuerit et purgatus sicut aequum est, et omnes in regnum caelorum ingredientur, et ita, aiunt, implebitur sermo qui a divo apostolo dictus est [2]: « Tunc erit Deus omnia in omnibus ». Etenim, aiunt, non congruit mensuris veris et stateris aequis Dei ut, propter breve tempus quo in hoc mundo peccat — breve enim est totum mundi huius tempus prae diuturnitate et tempore infinito mundi illius futuri, — homo crucietur in mundo illo aeterno et sine fine, quemadmodum propter bonitatem et philanthropiam eius iustus in aeternum sine fine laetabitur. Verumtamen contra hanc sententiam et * falsam doctrinam, quae scilicet tenet finem fu- * p. 353.
turum esse cruciatui, docent atque admonent, ut ita dicam, omnes Ecclesiae doctores sancti et eximii, dum proferunt contra illam verba quae Dominus noster dixit post sectionem novissimam quam posuimus [3]: « Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam », ubi evidens est illud: In aeternum, eo loco pro utraque parte significare « sine termino et sine fine ».

[1] Matth., xxv, 31-34, 41. — [2] I *Cor.*, xv, 28. — [3] Matth., xxv, 46.

Nunc vero quia merces bonorum operum regnum vocatur, merces autem actionum malarum gehenna ignis, notum est prudentibus etiam has appellationes ex usu nostri sermonis sacris Scripturis sumptas fuisse. Etenim quoniam in hoc mundo nihil est maius nec altius nec sublimius honore, dico, et felicitate et excellentia quam ii qui sunt reges et filii regni, ideo, cum verba scripta indicare nobis volunt, prout audire possumus, magnitudinem et excellentiam bonorum quae sanctis et operantibus bonum parata sunt in mundo futuro, haec omnia summatim regnum vocaverunt. Item, quia in hoc mundo nihil est durius magisque crucians quam ustio ignis, ideo Scriptura, cum voluit indicare nobis, prout possibile est, vehementiam multamque saevitiam passionum et suppliciorum acerborum quae in illo mundo impiis et operantibus iniquitatem reservantur, haec omnia gehennam ignis summatim appellavit. Rursus Salvator noster, cum voluit nobis significare, ut mihi videtur, modos multos magnitudinis et parvitatis, abundantiae scilicet et paucitatis, qui sunt in mercedibus bonorum et malorum — unicuique enim iuxta opera sua rependetur sicut scriptum est, — alicubi in evangelio Iohannis dixit[1]: « Multae sunt mansiones in domo Patris mei ». Etenim etiam in hoc mundo tum in bonis tum in malis eius, id est, in eius gaudiis et afflictionibus, multi modi sunt multitudinis et parvitatis, et abundantiae et paucitatis, sicut ex rebus ipsis videri et [cognosci] potest.

Itaque mercedes bonorum et malorum in mundo futuro existere easque esse aeternas et sine fine omnes quidem, ut ita di-
* p. 354. cam, libri inspirati testantur, * et etiam nos omnes Christiani confitemur atque credimus. Hoc autem cogitaverunt et dixerunt etiam quidam ex ethnicis, qui spem resurrectionis non habent secundum sententiam apostoli[2]; mercedes quidem operum bonorum appellaverunt Insulas Beatorum et Campos Elysios, et id dixerunt, sicut existimo, quia a nobis seu a Scripturis nostris audierunt, quae illas appellant felicitatem in Paradiso; mercedes autem malorum operum, quae patiuntur ii qui inique vixerunt, vocaverunt Tartarum et Cocytum

[1] Ioh., xiv, 2. — [2] Cf. I *Thess.*, iv, 12.

et Pyriphlegethontem. Dicunt quidam Tartarum esse locum quendam medium huius universi, tenebrosum et sine lumine, in quo est exhaustio aquae huiusque absorptio usque ad limum, ubi impii cruciantur. Cocytus autem, aiunt, est fluvius quam maxime frigidus in quo omnes peccatores torquentur; Pyriphlegethon vero est fluvius quam maxime fervidus in quem cadunt omnes iniqui et cruciantur, quod, ut mihi videtur, ethnici e libro Danielis prophetae sumpserunt, ubi scriptum est de fluvio igneo fluente[1]. Ab his suppliciis quidem et aliis, quae sunt secundum fabulas ethnicas, maxime timebat et contremiscebat Clemens romanus, qui fuit discipulus Petri, principis apostolorum; cum enim erat ethnicus conturbabatur et perplexus erat in mente sua quia ignorabat quid accideret sibi post mortem suam. Ita enim scribit de seipso in prima homilia operis sui: « Dicebam quidem: Si duriora iis quae nunc me vexant illic patiar eo quod non vixero secundum iustitiam et aequitatem, tunc tradar, ut dicunt verba quorundam philosophorum, Pyriphlegethonti et Tartaro, sicut Sisyphus vel Tityus[2] vel Ixion vel Tantalus, et poenam dabo in inferno in aeternum »[3].

Verum libri ethnicorum illis appellationibus, sicut superius diximus, vocaverunt supplicia ac poenas quae dicunt reservari impiis; * libri autem nostri Christianorum, ea appellaverunt * p. 355.
infernum inferiorem, tenebras exteriores, fletum et stridorem dentium, vermem qui non moritur, ignem qui non exstinguitur, flumen ignis, gehennam ignis. Similiter et delicias et gaudia iusti parata ii, qui exteri sunt seu ethnici, denominaverunt Insulas Beatorum et Campos Elysios, sicut diximus; nos autem Christiani ea appellamus Paradisum deliciarum, hortum gaudiorum, thalamum qui non dissolvitur, convivium quod non deficit, tabernacula lucis, domicilium deliciarum, habitaculum gaudiorum, loca praeclara, regnum caelorum; dum notum est, quemadmodum iam diximus, tum supplicia tum gaudia, secundum consuetudinem et usum humanum, vocari in omni populo secundum traditionem et modum linguae eius, non quod ita sint materialiter. Etenim mens humana appre-

[1] Cf. DAN., VII, 10. — [2] Vide correctiones. — [3] *Patr. Gr.*, t. II, col. 60.

hendere nequit quot et quomodo et quae sint mercedes malorum, nec quot et quomodo et quae sint mercedes bonorum, nisi in speculo et in aenigmate priusquam cognoscamus sicut et cogniti sumus secundum verbum apostolicum[1]. « Oculus enim non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum »[2]; simili modo evidenter, nec illa quae praeparavit odientibus se. Hoc vero omnino fiet cum unusquisque mercedem operum suorum et fidei suae recipiet a iudice iusto qui est Rex omnium et Dominus omnium, Salvator noster Iesus Christus.

Haec omnia de causa prima et creatrice, aeterna scilicet et omnipotenti et increata, quae est unus Deus omnipotens, qui in unitate essentiae intellegitur et idem in trinitate personarum cognoscitur et glorificatur, in libro priore in quodam tractatu exposui. Rursus de creatione, quae a causa prima ad existentiam adducta est, illa scilicet invisibili et spiritali et hac
* p. 356. visibili et sensibili, * in libro hoc secundo, septem tractatus composui, et sermo meus, prout potuit et virtus naturalis mentis meae par fuit, haec ostendit tibi, amanti Deum, filio meo dilecto, Constantino, ad utilitatem et illuminationem tuam et simul omnium qui tempore futuro in illum incident. Et haec te et illos rogo: primum quidem, preces vestras admovete pro infirmitate mea, pro opere eius, sicut fieri potest; deinde, si in sermone de creatione passim quid inveneritis alienum a doctrina quorundam sanctorum Ecclesiae doctorum nolite nos culpare. Etenim et ego et illi id quod quisque cogitavit et apprehendit ut congruens et conveniens rerum naturae locutus est et tradidit in hoc sermone de creatione. In sermone quidem de creatione, quemadmodum sancti doctores dicunt, quod apprehendamus veritatem utile est, quod autem erremus sine periculo est. In sermone autem de theologia seu tractatu de divinitate aut saltem in sermone de fide, ego scio et confido me nihil novi aut alieni ausum esse statuere aut dicere; sed id, quod Spiritus sanctus cantavit et locutus est in libris sanctis prophetarum et apostolorum et doctorum deiferorum, ego quoque deficiens secutus sum et ratum habui et tradidi tibi et

[1] Cf. I *Cor.*, XIII, 12. — [2] I *Cor.*, II, 9.

aliis qui lecturi sunt. Et hoc optime se habet sicut mihi et omni, qui veritatem amat, videtur. Oramus autem et, ut peccatores, obsecramus Trinitatem sanctam et increatam et aeternam et consubstantialem, quae omnem sapientiam et scientiam et prudentiam dat et largitur toti creationi rationali, angelis scilicet et hominibus, unicuique sicut convenit et sicut dignus est, ut det etiam nobis scientiam et sapientiam in omnibus secundum orationem apostolicam, ita ut ab ea illuminati et ducti in verbo et in operatione omnia nostra sint ad utilitatem et salutem et ad auxilium nobis et aliis, ad honorem *[autem et *p. 357. laudem et glorificationem eius; eam enim decet et ei congruit omnis gloria] et honor et adoratio hic et in saeculis futuris, omni tempore et nunc et semper et in saeculum saeculorum. Amen.

[Explicit tractatus septimus, qui est de homine quem fecit Deus ad imaginem suam et formavit et posuit quasi mundum magnum et mirabilem in mundo hoc parvo].

Expliciunt tractatus septem de Hexaemero seu de institutione creaturarum, auctore sancto Iacobo episcopo Edessae civitatis.

Gloria Patri qui adiuvit et Filio qui roboravit et Spiritui sancto qui auxiliatus est. Amen.

Sequuntur clausulae codicis:

Absolutus est hic liber feria quinta, hora sexta, mense adar, die octava mensis, anno millesimo centesimo quadragesimo octavo secundum computum Macedonum. Eum autem descripsit peccator, indigens misericordiarum Domini, infirmus et miser, [Dioscorus], scriptor quidem, in officio autem suo sacerdos. Sed te, lectorem, timentem Deum, rogo: ora pro me propter amorem peregrinorum.

In laudem et honorem et gloriam et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis, Patris et Filii et Spiritus sancti, *scriptor* curavit et fecit et composuit hunc thesaurum spiritalem in honorem et utilitatem suipsius et omnium amantium Dei qui illum adire vellent, ut Deus, pro cuius nomine sancto diligens fuit et fecit, gratia sua rependat ei bona et pulchra in hoc mundo, et in mundo qui non transit felicitatem cum sanctis et requiem in tabernaculis lucis, ei et Ahudemmeh, possessori libri, et inscribat nomen eius in libro vitae in Ierusalem, quae in caelis est, et defunctis eius donet requiem et commemora-

tionem bonam illosque aspergat rore misericordiae in die revelationis suae de caelis, per orationem Dei genetricis, virginis Mariae, et omnium sanctorum. Amen.

Fili Patris, Fili Virginis, Iesu Christe, Deus vere, miserere scriptoris Dioscori sacerdotis, et fac eum per misericodias tuas fiducia dignum coram te in die iudicii tui iusti.

INDEX BIBLICUS.

INDEX TOMI LVI.

De creatione seu institutione creaturarum.

CORRECTIONES IN TEXTU

P. 19, l. 2, legendum ܕ̈ܝܢܐ.

P. 20, l. 5, legendum videtur ܢܬܕܡܪ « mirari », vel ܢܬܬܕܡܐ « decipi ».

P. 31, col. 1, l. 16, legendum ܠܪܥܘܬܗ vel ܠܪܥܝܘܬܗ.

P. 52, col. 2, l. 4, lege ܕܐܡܬܝ ܐܬܬ.

P. 88, col. 2, l. 15, lege ܒܐܢܪ̈ܐ.

P. 105, col. 1, l. 6, cod. Leidensis fert ܢܠܐܕܒܐ (non ܡܐ'', ut perperam traditur p. 371).

P. 202, col. 2, l. 5, lege ܕܒܟܪ ; (cf. l. 24).

P. 224, col. 2, l. antepenult., lege ܦܘܐܪ̈ܘ (cf. p. 212, col. 2, l. 4 a fine)

P. 259, col. 2, l. 10, legendum videtur ܦܬܟ̈ܢܬܐ.

P. 310, col. 2, l. 12, lege ܕܡܢܗ ; (cf. l. 23).

P. 354, col. 2, l. 9 a f., lege ܛܝܛܘܣ ; gr. Τίτυος.